





# BREVIARIUM CARCASSONENSE,

Illustrissimi & Reverendissimi in Christo Patris, DD. ARMANDI BAZIN DE BESONS, Carcassonensis Episcopi, auctoritate, ac venerabilis ejusdem Ecclesiæ Capituli consensu, editum.

*PARS AUTUMNALIS.*




PARISIIS,

Apud { J. B. COIGNARD, Regis Typographum, Et Fratres GUERIN.

M. DCC. XLV.

*CUM PRIVILEGIO REGIS.*






# ARMANDUS BAZIN DE BESONS,

MISERATIONE DIVINA, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopus Carcassonensis:

*CLERO CARCASSONENSI*

Salutem & benedictionem in Christo Jesu.



UM legem a credendi lex statuat supplicandi, FRATRES CHARISSIMI, *fidesque ex publicis Ecclesiæ precibus potissimùm appareat, proprium est ac præcipuum Episcoporum munus curare, ut communes illæ precationes, quibus* ante Thronum Dei *fidelium vota, tamquam* incensa multa, b *jugiter deferuntur, religionis veritati ac dignitati aptissimè omni ex parte conveniant.*

a Cælest. Epist. ad Episc. Gall. c 8.

b Apoc. 8. 3. 4.

*Quam ob rem à Concilio Tridentino*, c *Episcoporum curæ & autoritati demandatum est, ut ad eos præcipuè libros, quibus publicarum precum materia continetur, attendant animum: idque sedulò perficiant,*

c Sess. 25.

*ne quid irrepat divini cultûs absonum sanctitati; aut si fortè quid ejusdem decori, integritati, ac majestati minùs consentaneum illevisset error, vel ignorantia, hoc omne penitùs expungatur.*

*Huic legi summus Pontifex Pius V. correcto Breviario quo Apostolica ipsa utebatur Ecclesia, plenum autoritatis insuper exemplum adjecit: idemque posteà ab Episcopis passim susceptus labor. Indè sensim, si quid in Breviariis, librisque aliis Ecclesiasticis mendosum esset, aut saltem minùs accuratè digestum, non semel recisum est: quod quidem, nostrâ hâc præsertim ætate, plures Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi tentaverunt majore cum diligentia ac delectu, & multa non sine laude perfecerunt.*

*Eorum nos exemplum ut sequeremur, operæ pretium fore duximus,* FRATRES CHARISSIMI, *novum hoc Breviarium in hujusce Diœceseos usum emittere. Hoc verò eo majore studio sumus aggressi, quòd apertam jamdudum ab Ecclesia Metropolitana semitam ineundo, & muneri nostro, & totius Cleri nostri votis faceremus satis; ac præclaram aliunde veteremque hujus, quæ nobis à Deo concredita est, Ecclesiæ* [d] *hæreditatem publicis etiamnum apud nos testatam tabulis, ut suum sibi Breviarium, suum sibi officium ritumque haberet, desuetam revocaremus.*

[d] Missal. Carcas. an. 1472. item Breviar. Carc. an. 1538.

*Quod quidem opus ut quàm absolutissimum & utilitati vestræ convenientissimum in manus vestras veniret,* FRATRES CHARISSIMI, *nihil à nobis diligentiæ prætermissum est: neglectumque nihil, ut illud tandem & divini cultûs splendori, & nostris quæ communem omnium sanctificationem spectant, votis responderet. Quâ autem ratione elaboratum sit ac concinnatum, quâve lege singula totius operis membra compacta sint atque digesta, ut ejusdem usus fiat omnibus facilior & planior, in ipso limine, breviter aperiendum esse judicavimus.*

*Hanc porrò esse Breviarii mentem ut & precandi formulas complectatur, & documenta suppeditet, nullus profectò ignorat. In ejusmodi opere ad alterutrum omnia spectare necesse est. Quæcumque autem Chorus tota decantat, Psalmos, Cantica, Hymnos, Responsoria, Antiphonas, Versiculos, iis precationes contineri notum est. Quæ verò unius voce proferuntur, ut Lectiones, Capitula, & Canones, ea pertinent ad*

*rum documentum qui aut Officium privatum recitant, aut publico intersunt.*

*Ac primùm quidem quòd spectat ad precationem, quæ & potior Breviarii pars & latiùs diffusa est, cùm verissimum illud sit quod aiebat quondam Cyprianus*, e Amicam & familiarem esse orationem, Deum de suo rogare; *hoc loco vos monitos volumus*, FRATRES CHARISSIMI, *maximam in eo præsertim curam à nobis adhibitam fuisse, ut, si excipiantur Hymni, Antiphonæ quædam, Orationes, ac Lectiones nonnullæ, singulæ Officii partes è sacra depromerentur Scriptura, quæ, ut scitis*, divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in justitia. f

e Lib. de Orat. Dom. post init.

f 2. Tim. 3. v. 16.

*Eamdem verò in partiendo Psalterio rationem secuti sumus, quam in aliis Ecclesiis jam institutam invenimus. Sui singulis cujusque hebdomadæ diebus, imò & singulis cujusque diei Horis addicti sunt Psalmi, ita dispositi, ut omnes, ferè semper, intra unius hebdomadæ spatium perlegantur. Qui longiùs excurrebant, eos divisimus; qua in re, veteri huic ac gentilitiæ legi obsecuti sumus, quâ in Provincia Narbonensi antiquitùs sancitum fuit*, ut per majores Psalmos pausationes fierent, & per quamque pausationem gloria Trinitatis Domino decantaretur. g *Eâdem autem Psalmorum partitione precum inæqualitatem sustulimus, & ad justiorem modum contraximus nimiam officiorum prolixitatem: non eâ sanè mente, ut aliquid ex iis subduceretur quæ Deo deberi sentimus, sed ut recitantium animi minùs jam gravarentur, Cantoresque jam lento spiritu & distincto verba omnia pronunciarent.*

g Conc. Narb. an. 689. c. 2.

*Quoniam verò animus rerum tenore nimiùm æquabili plerumque dejicitur, & varietate aliquâ certiùs & faciliùs ad pietatem inescatur, ex aliis quoque Breviariis exemplum sumpsimus, ut cujusque diei officio suus quidam scopus, certumque discrimen assignaretur; sicque sua cuique diei tribueretur ad meditandum materia. Die Dominicâ, quâ Dei potestas in mundo creando salvandoque præcipuè colitur, & quæ creatæ lucis dies est, excitatur in fidelium animis Dei & divinæ legis amor. Feriâ secundâ, benigna Dei erga homines charitas & beneficentia celebratur. Tribus proximè sequentibus feriis amor proximi, spes,*

*fideſque commendantur. Feriæ ſextæ, quæ dies eſt Paſſionis Chriſti, Officium ad patientiam in hujuſce vitæ laboribus & ærumnis ſuſtinendis refertur. Sabbato denique, propter bona fidelium opera, iiſque repenſam mercedem grates Deo perſolvuntur. Atque tum hac ipsâ die Dominicâ, tum aliis cujuſque diei Feriis, Hymni quilibet Officio Noctis ac Laudum aſſignati huic eidem ſcopo reſpondent & continunt: quem etiam ad mentem revocat in Veſperarum Hymnis ſtropha penultima. At ſuperioribus ſtrophis ſex dierum opus expanditur, cujus quidem mutationis admonet Veſperarum Capitulum, quo in unaquaque Feria ex Geneſi deprompto, proprium cujuſque diei opus ſignificatur.*

*Omnia Adventûs Reſponſoria iis, pro more ſolito, contexta ſunt ſacrorum librorum verbis quæ flagrant deſideriis Patriarcharum & Prophetarum Meſſiam toto pectore anhelantium. Eadem, à Natali die ad Purificationem, ſpirant precibus aut laudibus ad Chriſtum infantem pertinentibus. Quadrageſimali tempore, ea ſelecta ſunt Scripturæ loca quæ* contriti & humiliati cordis [h] *affectibus imbuta, ſanctæ exhiberent pœnitentiæ ſeveritatem. Quæ verò grati animi ſignificatione & lætitiâ magis perſonant, ea tempore Paſchali adhibentur. At verò tum in Officiis diverſarum anni tempeſtatum propriis, tum aliis, atque etiam in Communi Sanctorum, prætermiſſis, ex conſilio, iis Scripturæ ſacræ locis, in quibus, aut Deus ipſe, aut Sancti loquentes inducuntur, quæ quidem homini precanti minùs accommodata viſa ſunt; ea tantùm in Antiphonis Reſponſoriiſque ordinandis, adhibita ſunt Scripturæ verba, quæ brevi quodam & acri ſenſu, aut admirationem exprimerent & laudationem; aut fidem, ſpem, charitatem, fiduciam in Deum, terreſtriumque rerum aſpernationem enunciarent. In cujus rei diſpoſitione ubique Scripturæ ſacræ textus tantâ religione & reverentiâ adhibitus eſt, ut ſedulò cautum fuerit, ne unquam ullâ vi à genuino & litterali ſenſu ad accommodatitium adduceretur.*

[h] Pſal. 50. v. 19.

*Hactenùs ea quæ ad precationem præcipuè ſpectant. De iis quæ documenti ſunt, dicendum nunc ſupereſt. Hæc Lectionibus demum & Canonibus includuntur: neque enim immorandum in Capitulis, cùm ea elaboratæ diſpoſitionis conſilium minimè admittant.*

*Ab ipso statim ingressu, occurrit Adventus. Steterat universus orbis per quatuor millia annorum in expectationem Messiæ suspensus & erectus. Segregata est gens quædam cui promissa Dei crederentur: & ipsa extitit quasi Propheta unus immortalis qui, perdurante in sæcula vocis sono, Liberatoris adventum prænunciaret. Hunc porrò non Isaiæ solùm libri loquuntur: multa de ipso canit Genesis; canunt & libri Regum: nec Propheta ullus est qui non vocem suam habeat tanti eventûs vaticinio consecratam. Hoc quidquid est testimoniorum, quibus inconcussa manet vigetque Religionis nostræ veritas, in tempore Adventûs secundùm Isaiæ Lectiones collocatum est, ut uno omnia conspectu deprehendantur.*

*Passionis tempore eamdem quoque rationem ineundam esse judicavimus. Quapropter id unum è Jeremia desumptum est, quod Christum humiliatum patientemque subjiceret oculis: & quæ Scripturæ loca eamdem præberent imaginem, in ejusdem temporis Lectiones conjecta sunt. Idem etiam consilium fuit in aliis Officii Divini partibus, ut quantùm res tulit, colligerentur sparsa passim cùm in veteri, tùm in novo Testamento, unius ejusdem imaginis quasi lineamenta, quæ in unum collata usui fore videbantur ad eorum qui Breviarium recitant fovendam pietatem, fidemque illustrandam.*

*Cùm verò ita contingit, ut Dominica dies aliquid habeat peculiare sibi, tum in secundo Nocturno legitur sermo alicujus è sanctis Patribus ad illam rem pertinens. Sin aliter se res habeat, tum pro sermone ejusmodi, quo trium primarum Lectionum narratio evolveretur, affertur alius è Scriptura sacra locus, quo eadem facta explicantur; sicque per anni decursum, quod quidem religioni duximus, orbis Historiæ sacræ totus peragitur, & eorum, aut veteris, aut novi Testamenti librorum qui sapientiales moralesve dicuntur, haud ullus est, qui non aut perlegatur, aut aliquâ saltem parte delibetur.*

*Lectiones è Patrum Scriptis & vita Sanctorum excerptæ, cavimus ut cum delectu fierent; idque provisum maximè, ne ultrà in sanctorum Historiis* recitentur novella, vel levia; sed certe autentica & antiqua, quæ & Ecclesiam ædificent, & Ecclesiasticam redoleant gravitatem. i *E Patrum verò sermonibus, eos*

i Sanct. Bern. Epist. 312.

*præ cæteris seligendos curavimus*, *qui* lumen veritatis mentibus parerent, formam moribus, crucem vitiis, affectibus devotionem, sensibus disciplinam. l

l Ibid.

*Morem quoque demùm illum omnium recentiorum Breviariorum, quo in Officio Primæ leguntur Canones Conciliorum imitati sumus. Ii autem ferè omnes hausti sunt è Generalibus, aut Provincialibus Conciliis; atque ex iis præsertim quæ in hac Provincia habita sunt: quibus nonnulla passim ex antiquioribus hujusce Diœceseos Synodis Statuta adjungi voluimus. Quidquid autem ad tuendam Ecclesiæ disciplinam, aut ad fingendos Cleri mores utilissimè institutum est, id omne illorum Canonum serie elucescet.*

*Eâ tandem ratione*, FRATRES CHARISSIMI, *totum elaboratum est opus, ut parata sint Sacerdotibus subsidia quibus suam ipsi pietatem enutrire, ac populos sibi commissos scientiâ salutis faciliùs possint instruere. Hinc Verbi Divini dispensatores non largas quidem, sed salubres aquas haurire poterunt, quibus pia animarum Christianarum sitis expleatur. Hinc ipsi altarium Ministri veræ pietatis morumque regulas elicient, & opem quoque ferent facillimam ad orationem mentalem cœlestiumque rerum commentationem, ex quâ ipsa eorum oratio quæ vocalis dicitur, vim suam omnem accipit.*

*Unum igitur superest*, FRATRES CHARISSIMI, *hortari vos in Domino, ut has preces eâ, quâ par est, animi attentione, religione, ac pietate recitetis. Vestris porrò auribus assiduè insonet vox illa Dei quondam populum suum objurgantis, quòd labiorum tenùs adoraret, & mente procul abesset. Non enim solo & inani verborum sonitu precandi munus peragitur, sed* spiritu & mente; m *sed* continuato cordis desiderio, *ut ait S. Augustinus.* n Multùm enim precari est, ad eum quem precamur, diuturnâ & piâ cordis excitatione pulsare. o Orate igitur certatim, concordique & sancto certamine; & sanè memineritis & pro nobis orare. p Obsecro ergo vos, fratres, q per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. r Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, & Deus, & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolatio-

m 1. Cor. 14. 15.
n Epist. 130. ad Probam. n. 9.
o Ib 30.
p Ib. 31.
q Rom. 15. v. 30.
r 2. Th. 2. v. 15. 16.

nem æternam & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono.

*Mandamus itaque omnibus Diœceseos nostræ Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Communitatibus, Ordinibus, necnon & omnibus Clericis qui ad illud tenentur seu ratione Beneficii, seu ratione sacrorum Ordinum, seu aliâ quâlibet ratione, ut hocce Breviario nostro à nobis ita digesto & concinnato utantur: districtè videlicet inhibentes, ne aliud quàm hoc nostrum, sive privatim, sive publicè, in posterum recitare præsumant.*

*Datum Carcassonæ in Palatio nostro Episcopali die octava mensis Junii anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti.*

✠ ARMANDUS, Episc. Carcassonensis.

De Mandato
BUTEL.

# TABULA TEMPORARIA

| *Anni Domini.* | *Aureus Nu.* | *Epactæ.* | *Indictio.* | *Lit. Domin.* | *Dom. post Epiph.* | *Septuagesima.* | *Dies Cinerum.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1745 | 17 | xxvj | 8 | c | 5 † | 14 Febr. | 3 Mart. |
| 1746 | 18 | vij | 9 | b | 4 † | 6 Febr. | 23 Febr. |
| 1747 | 19 | xviij | 10 | A | 3 | 29 Jan. | 15 Febr. |
| 1748 | 1 | xxx | 11 | g f | 5 | 11 Febr. | 28 Febr. |
| 1749 | 2 | xj | 12 | e | 3 † | 2 Febr. | 19 Febr. |
| 1750 | 3 | xxij | 13 | d | 2 † | 25 Jan. | 11 Febr. |
| 1751 | 4 | iij | 14 | c | 5 | 7 Febr. | 24 Febr. |
| 1752 | 5 | xiv | 15 | b A | 3 | 30 Jan. | 16 Febr. |
| 1753 | 6 | xxv | 1 | g | 6 | 18 Febr. | 7 Mart. |
| 1754 | 7 | vj | 2 | f | 4 † | 10 Febr. | 27 Febr. |
| 1755 | 8 | xvij | 3 | e | 2 † | 26 Jan. | 12 Febr. |
| 1756 | 9 | xxviij | 4 | d c | 5 † | 15 Febr. | 3 Mart. |
| 1757 | 10 | ix | 5 | b | 4 † | 6 Febr. | 23 Febr. |
| 1758 | 11 | xx | 6 | A | 2 | 22 Jan. | 8 Febr. |
| 1759 | 12 | j | 7 | g | 5 | 11 Febr. | 28 Febr. |
| 1760 | 13 | xij | 8 | f e | 3 † | 3 Febr. | 20 Febr. |
| 1761 | 14 | xxiij | 9 | d | 2 | 18 Jan. | 4 Febr. |
| 1762 | 15 | iv | 10 | c | 4 † | 7 Febr. | 24 Febr. |
| 1763 | 16 | xv | 11 | b | 3 † | 30 Jan. | 16 Febr. |
| 1764 | 17 | xxvj | 12 | A g | 6 | 19 Febr. | 7 Mart. |
| 1765 | 18 | vij | 13 | f | 3 † | 3 Febr. | 20 Febr. |
| 1766 | 19 | xviij | 14 | e | 2 † | 26 Jan. | 12 Febr. |
| 1767 | 1 | xxx | 15 | d | 5 † | 15 Febr. | 4 Mart. |
| 1768 | 2 | xj | 1 | c b | 3 † | 31 Jan. | 17 Febr. |
| 1769 | 3 | xxij | 2 | A | 2 | 22 Jan. | 8 Febr. |
| 1770 | 4 | iij | 3 | g | 4 | 11 Febr. | 28 Febr. |
| 1771 | 5 | xiv | 4 | f | 2 | 27 Jan. | 13 Febr. |
| 1772 | 6 | xxv | 5 | e d | 5 | 16 Febr. | 4 Mart. |
| 1773 | 7 | vj | 6 | c | 4 | 7 Febr. | 24 Febr. |
| 1774 | 8 | xvij | 7 | b | 3 | 30 Jan. | 16 Febr. |
| 1775 | 9 | xxviij | 8 | A | 5 | 12 Febr. | 1 Mart. |
| 1776 | 10 | ix | 9 | g f | 4 | 4 Febr. | 21 Febr. |
| 1777 | 11 | xx | 10 | e | 2 | 26 Jan. | 12 Febr. |
| 1778 | 12 | j | 11 | d | 5 † | 15 Febr. | 4 Mart. |

# FESTORUM MOBILIUM.

| *Anni Domini.* | *PASCHA.* | *Ascensio Domini.* | *Pentecostes.* | *Fest. Corp Christi.* | *Dom. post Pent.* | *Domin. prima Adv.* |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1745 | 18 April. | 27 Maii | 6 Junii. | 17 Junii. | 24 | 28 Nov. |
| 1746 | 10 April. | 19 Maii. | 29 Maii | 9 Junii | 25 | 27 Nov. |
| 1747 | 2 April. | 11 Maii. | 21 Maii. | 1 Junii. | 27 | 3 Dec. |
| 1748 | 14 April. | 23 Maii. | 2 Junii | 13 Junii. | 25 | 1 Dec. |
| 1749 | 6 April | 15 Maii. | 25 Maii. | 5 Junii | 26 | 30 Nov. |
| 1750 | 29 Mart. | 7 Maii | 17 Maii. | 28 Maii. | 27 | 29 Nov. |
| 1751 | 11 April. | 20 Maii | 30 Maii. | 10 Junii. | 25 | 28 Nov. |
| 1752 | 2 April. | 11 Maii. | 21 Maii. | 1 Junii. | 27 | 3 Dec. |
| 1753 | 22 April. | 31 Maii. | 10 Junii. | 21 Junii. | 24 | 2 Dec. |
| 1754 | 14 April. | 23 Maii. | 2 Junii. | 13 Junii. | 25 | 1 Dec. |
| 1755 | 30 Mart. | 8 Maii. | 18 Maii. | 29 Maii. | 27 | 30 Nov. |
| 1756 | 18 April. | 27 Maii | 6 Junii. | 17 Junii | 24 | 28 Nov. |
| 1757 | 10 April. | 19 Maii. | 29 Maii. | 9 Junii. | 25 | 27 Nov. |
| 1758 | 26 Mart. | 4 Maii. | 14 Maii. | 25 Maii | 28 | 3 Dec. |
| 1759 | 15 April. | 24 Maii. | 3 Junii. | 14 Junii. | 25 | 2 Dec. |
| 1760 | 6 April. | 15 Maii. | 25 Maii. | 5 Junii. | 26 | 30 Nov. |
| 1761 | 22 Mart. | 30 April. | 10 Maii. | 21 Maii. | 28 | 29 Nov. |
| 1762 | 11 April. | 20 Maii. | 30 Maii. | 10 Junii. | 25 | 28 Nov. |
| 1763 | 3 April. | 12 Maii | 22 Maii. | 2 Junii. | 26 | 27 Nov. |
| 1764 | 22 April. | 31 Maii. | 10 Junii. | 21 Junii. | 24 | 2 Dec. |
| 1765 | 7 April. | 16 Maii. | 26 Maii. | 6 Junii. | 26 | 1 Dec. |
| 1766 | 30 Mart. | 8 Maii | 18 Maii. | 29 Maii. | 27 | 30 Nov. |
| 1767 | 19 April. | 28 Maii. | 7 Junii. | 18 Junii. | 24 | 29 Nov. |
| 1768 | 3 April. | 12 Maii. | 22 Maii | 2 Junii. | 26 | 27 Nov. |
| 1769 | 26 Mart. | 4 Maii. | 14 Maii. | 25 Maii. | 28 | 3 Dec. |
| 1770 | 15 April. | 24 Maii. | 3 Junii. | 14 Junii. | 25 | 2 Dec. |
| 1771 | 31 Mart. | 9 Maii. | 19 Maii | 30 Maii. | 27 | 1 Dec. |
| 1772 | 19 April. | 28 Maii | 7 Junii. | 18 Junii. | 24 | 29 Nov. |
| 1773 | 11 April. | 20 Maii. | 30 Maii. | 10 Junii | 25 | 28 Nov. |
| 1774 | 3 April. | 12 Maii | 22 Maii. | 2 Junii | 26 | 27 Nov. |
| 1775 | 16 April. | 25 Maii. | 4 Junii | 15 Junii. | 25 | 3 Dec. |
| 1776 | 7 April. | 16 Maii. | 26 Maii. | 6 Junii | 26 | 1 Dec. |
| 1777 | 30 Mart. | 8 Maii. | *18 Maii.* | 29 Maii. | 27 | 30 Nov. |
| 1778 | *19 April.* | *28 Maii.* | *7 Junii* | 18 Juni.. | 24 | 29 Nov. |

*In sequenti Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit :* an. *significat anno :* c. an. *circa annum :* s. *seculo :* c. med. s. *circa medium seculi :* c. fin. s. *circa finem seculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

*Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriantur apud populum.*

---

# JANUARIUS.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| * | A | Cal. | 1 | CIRCUMCISIO DOMINI, *Solemne-minus.* |
| xxix | b | iv | 2 | Basilii magni, Cæsariensis in Cappadocia Episc. & Eccl. Doct. *Semiduplex.* Obiit 1. Januar. an. 379. |
| xxviij | c | iij | 3 | Genovefæ, Virginis Paris. *Simplex,* an. 512. |
| xxvij | d | Prid. | 4 | Ferreoli, Ucetiensis Episc. *Semid.* c. an. 581. cum *comm.* S. Titi, Episc. Cretensis & Discip. beati Pauli, an. 90. |
| xxvj | e | Non. | 5 | Vigilia Epiphaniæ *sine jejunio.* |
| 25. xxv | f | viij | 6 | *EPIPHANIA DOMINI, Solemne-majus.* |
| xxiv | g | vij | 7 | De Octava Epiphaniæ, *Semid.* SS. Juliani & Basilissæ in Ægyp. Mart. *comm.* init. iv. s. |
| xxiij | A | vj | 8 | De Octava Epiphaniæ, *Semid.* cum *comm.* S. Luciani, Presb. & Mart. an. 290. |
| xxij | b | v | 9 | De Octava Epiphaniæ, *Semid.* |
| xxj | c | iv | 10 | De Octava Epiphaniæ, *Semid.* |
| xx | d | iij | 11 | De Octava Epiphaniæ, *Semid.* |
| xix | e | Prid. | 12 | De Octava Epiphaniæ, *Semid.* |
| xviij | f | Idib. | 13 | Octava Epiphaniæ, & Baptismus Domini, *Duplex-majus.* |
| xvij | g | xix | 14 | Hilarii, Pictav. Episc. & Eccl. Doct. (è 13.) *Duplex-minus,* c. an. 368. cum *comm.* S. Felicis, Presb. Nol. c. an. 265. |

# JANUARIUS.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis | | |
|---|---|---|---|---|
| xvj | A | xviij | 15 | Pauli, Eremitæ, *Simplex*, c. an. 342. cum *comm.* S. Mauri, Abbatis, an. 604. |
| xv | b | xvij | 16 | |
| xiv | c | xvj | 17 | Antonii, Abbatis Ægyptii, *Semid.* an. 356. |
| xiij | d | xv | 18 | Pontificatûs, seu Cathedræ S. Petri Apost. quâ primùm Antiochiæ, c. an. 36. tum Romæ sedit, c. an. 43. vel 48. *Duplex-minus.* |
| | | | | *Prima Septuagesima.* |
| xij | e | xiv | 19 | |
| xj | f | xiij | 20 | Sebastiani, Mart. *Duplex-majus.* c. an. 288. ( *Festum in utraque urbe : in tota Diœcesi, Missa de præcepto.* ) cum *comm.* S. Fabiani, Papæ & Mart. an. 250. |
| x | g | xij | 21 | Agnetis, Virg. & Mart. *Semid.* an. 303. vel 304. cum *comm.* SS. Fructuosi & Socior. Mart. c. an. 257. |
| ix | A | xj | 22 | Vincentii Cæsar-Augustani, Diaconi & Martyris Valentiæ in Hispania, an. 303. vel 304. *Duplex-majus.* ( *In Colleg. Eccl.* Annuale. ) |
| viij | b | x | 23 | |
| vij | c | ix | 24 | |
| vj | d | viij | 25 | Conversio S. Pauli Apostoli, *Duplex-majus*, an. 30. vel 31. aliis 34. vel 35. |
| v | e | vij | 26 | Polycarpi, Smyrnensis Episc. & Mart. *Semid.* an. 169. |
| iv | f | vj | 27 | Joannis Chrysostomi, Episc. & Eccl. Doct. *Semid.* (è die 14. Sept.) an. 407. |
| iij | g | v | 28 | Francisci Salesii, Genev. Episcop. (è 28. Dec.) *Duplex-minus*, an. 1621. |
| ij | A | iv | 29 | (In Colleg. Eccles. Octava S. Vincentii, *Duplex-minus.*) |
| j | b | iij | 30 | Bathildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semiduplex*, c. an. 680. |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | MARTIUS. |
|---|---|---|---|
| | | | *Primum Novilunium Paschale.* |
| xxij | e | vij | 9 | Martyrum qui pro libris sacris interière, *Simplex*, an. 303. |
| xxj | f | vj | 10 | |
| | | | *Ultima dies Cinerum.* |
| xx | g | v | 11 | |
| xix | A | iv | 12 | |
| xviij | b | iij | 13 | |
| xvij | c | Prid. | 14 | |
| xvj | d | Idib. | 15 | |
| xv | e | xvij | 16 | |
| xiv | f | xvj | 17 | Patricii, Episc. & Hibernorum Apostoli, *comm.* c. an. 460. |
| xiij | g | xv | 18 | Cyrilli, Hierosolym. Episc. *comm.* an. 386. |
| xij | A | xiv | 19 | Josephi, Sponsi B. Mariæ, *Duplex-majus.* 1. C. |
| xj | b | xiij | 20 | |
| x | c | xij | 21 | |
| ix | d | xj | 22 | *Primum Pascha.* |
| viij | e | x | 23 | |
| vij | f | ix | 24 | |
| vj | g | viij | 25 | *ANNUNTIATIO ET INCARNATIO DOMINI, Solemne-majus.* |
| v | A | vij | 26 | |
| iv | b | vj | 27 | |
| iij | c | v | 28 | |
| ij | d | iv | 29 | |
| j | e | iij | 30 | |
| * | f | Prid. | 31 | |

Feriâ sextâ post Dominicam Passionis fit Officium de Compassione B. Mariæ, *Duplex-minus.*

## APRILIS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | g | Cal. | 1 | |
| xxviij | A | iv | 2 | Francisci de Paula, Institut. Ord. Minim. *Semid.* an. 1507. |

# APRILIS.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis | | |
|---|---|---|---|---|
| xxvij | b | iij | 3 | |
| 25. xxvj | c | Prid. | 4 | |
| xxv. xxiv | d | Non. | 5 | |
| | | | | *Ultimum Novilunium Paschale.* |
| xxiij | e | viij | 6 | |
| xxij | f | vij | 7 | |
| xxj | g | vj | 8 | |
| xx | A | v | 9 | |
| xix | b | iv | 10 | |
| xviij | c | iij | 11 | |
| xvij | d | Prid. | 12 | |
| xvj | e | Idib. | 13 | Justini, Mart. *Simplex*, an. 167. vel 168. |
| xv | f | xviij | 14 | |
| xiv | g | xvij | 15 | |
| xiij | A | xvj | 16 | |
| xij | b | xv | 17 | |
| xj | c | xiv | 18 | |
| x | d | xiij | 19 | |
| ix | e | xij | 20 | Martyrum pro solemnitate Paschali occisorum, *Simplex*, an. 459. |
| viij | f | xj | 21 | |
| vij | g | x | 22 | |
| vj | A | ix | 23 | Georgii, Martyris, *commemoratio*, c. an. 303. |
| v | b | viij | 24 | |
| iv | c | vij | 25 | Marci, Evang. *Duplex-majus*, c. an. 68. |
| | | | | *Ultimum Pascha.* |
| iij | d | vj | 26 | |
| ij | e | v | 27 | |
| j | f | iv | 28 | Aphrodisii, Biterrensis Episc. & Mart. *Simplex*, c. an. 255. |
| * | g | iij | 29 | Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis, (d. 1.) *Semiduplex*, v. vel vi. s. |
| xxix | A | Prid. | 30 | Eutropii, Santonensis Episc. & Mart. *Simplex*, iii. s. |

## MAIUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxviij | b | Cal. | 1 | Philippi* & Jacobi** (Alphæi) Apost. *Duplex-maj.* * post. |

# JUNIUS.

| Cycl. Epact. | Lit. Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xv | b | Prid. | 12 | |
| xiv | c | Idib. | 13 | |
| xiij | d | xviij | 14 | *Ultima Pentecoste.* |
| xij | e | xvij | 15 | |
| xj | f | xvj | 16 | Cyrici & Julittæ, Mart. *Simplex*; an. 305. |
| x | g | xv | 17 | |
| ix | A | xiv | 18 | Amandi, Burdeg. Episc. *Commem.* c. an. 432. |
| viij | b | xiij | 19 | Gervasii & Protasii, Mart. *Simpl.* I. *vel* II. s. |
| vij | c | xij | 20 | |
| vj | d | xj | 21 | Sylvestri, Papæ (è 31. Decemb.) *Semidupl.* an 335. |
| | e | x | 22 | Paulini, Nolani Episc. *Simplex*, an. 431. |
| iv | f | ix | 23 | Vigilia *cum jejunio.* |
| iij | g | viij | 24 | NATIVITAS S. JOANNIS BAPT. *Solemne-min.* |
| | | | | *Ultimus terminus Festi Corporis Christi.* |
| ij | A | vij | 25 | De Octava Nativ. S. Joann. Bapt. *Simplex*, cum *Commem.* sancti Prosperi, Eccl. Doct. an. 456. vel 457. |
| j | b | vj | 26 | De Octava, *Simplex*, cum *Commem.* SS. Joannis & Pauli, Romæ Mart. c. an. 362. |
| * | c | v | 27 | Irenæi, Lugd. Episc. & Eccl. Doct. ac Soc. Mart. *Duplex-min.* c. an. 201. *Commem.* Octavæ S. Joan. Bapt. |
| xxix | d | iv | 28 | Vigilia *cum jejunio*: *Commem.* Oct. S. Joan. Bapt. |
| xxviij | e | iij | 29 | PETRI ET PAULI, APOST, *Solemne-minus*: c. an. 66. *Commemoratio* Octavæ S. Joan. Baptistæ. |
| xxvij | f | Prid. | 30 | Commemoratio S. Pauli Apost. *Duplex-majus.* |

# JULIUS.

| t. | Lit. Dom. | | Dies Mensis. | |
|---|---|---|---|---|
| | g | Cal. | 1 | Octava Nativit. S. Joan. Bapt. *Semiduplex*: cum *commem.* S. Martialis primi Lemovicensis Episcopi, 111. s. |
| tv | A | vj | 2 | Visitatio B. M. V. *Duplex-majus.* |
| r | b | v | 3 | De Octava SS. Apostolorum Petri & Pauli, *Simplex.* |
| j | c | iv | 4 | Ordinatio * & Translatio ** sancti Martini, Turon. Episc. *Semidup.* * an. 372. ** 473. cum *commem.* Octavæ. |
| j | d | iij | 5 | De Octava SS. Apost. Petri & Pauli, *Simplex.* |
| | e | Prid. | 6 | Octava SS. Apost. Petri & Pauli, *Semiduplex.* |
| | f | Non. | 7 | Pantæni, Presbyt. Alexandrini, *Simplex*, c. an. 214. |
| c | g | viij | 8 | |
| ij | A | vij | 9 | |
| j | b | vj | 10 | Septem Fratrum, & Felicitatis matris eorum, Romæ Mart. *Simplex*, c. an. 150. |
| j | c | v | 11 | Benedicti, Cassinensis Abbatis. (è 21. Mart.) *Semiduplex*, an. 543. *Translatio hâc die*, c. ann. 653. |
| r | d | iv | 12 | |
| v | e | iij | 13 | |
| ij | f | Prid. | 14 | Bonaventuræ, Albanensis Episc. & Eccl. Doct. *Semiduplex*, an. 1274. |
| ij | g | Idib. | 15 | |
| j | A | xvij | 16 | |
| t | b | xvj | 17 | Sperati & Sociorum, Mart. *Simplex*, an. 200. |
| x | c | xv | 18 | Thomæ Aquinatis, Doctoris (è 7. Mart.) *Duplex-minus*, an. 1274. *Canonizatio hâc die*: c. an. 1333. |
| iij | d | xiv | 19 | Arsenii, Diaconi Romani, solitarii Scetis, *Simplex*, an. 445. |
| ij | e | xiij | 20 | |
| j | f | xij | 21 | Victoris Massiliensis, Mart. & Sociorum, *Semiduplex*, c. an. 290. |
| r | g | xj | 22 | Mariæ Magdalenes, *Duplex-majus*, 1. seculo. |

| Cycl. Epact. | Lit. Dom. | | Dies Mensis. | JULIUS. |
|---|---|---|---|---|
| iv | A | x | 23 | Apollinaris, Ravennensis Episc. & Mart. *Simplex* I. *vel* II. *s.* |
| iij | b | ix | 24 | |
| ij | c | viij | 25 | JACOBI (ZEBEDÆI) APOST. *Duplex-majus*, an. 44. (*Hâc die Offic. sancti Jacobi; Festumque, si in diem Dominicam inciderit: sin minùs, fit die Dominicâ, 25. diem antecedente.*) cum *Commem.* S. Christophori, Mart. in Licia, III. *s.* |
| j | d | vij | 26 | JOACHIM ET ANNÆ, parentum B. Mariæ Virginis, *Duplex-majus.* (In Cathedr. *Solemne-minus*; Festumque in Civitate ejusque Suburbiis propter insignem Reliquiam.) |
| * | e | vj | 27 | Vigilia, *sine jejunio.* |
| xxix | f | v | 28 | *NAZARII ET CELSI, MART.* Eccl. Cathed. & totius Diœcesis Patronorum, *Annuale*, I. *vel* II. *s.* |
| xxviij | g | iv | 29 | De Octava SS. Mart. Nazarii & Celsi, *Semiduplex.* |
| xxvij | A | iij | 30 | Ignatii Loiolæ, Presb. Inst. Soc. Jesu, *Semiduplex*, ann. 1556. *Commem.* Octavæ. |
| 25. xxvj | b | Prid. | 31 | Germani Autissiodorensis Episc. *Semid.* an. 448. *Commem.* Octavæ. |

# AUGUSTUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxv. xxiv | c | Cal. | 1 | Petri Apost. ad Vincula, (è 20. Apr.) *Duplex-minus*, an. 44. |
| xxiij | d | iv | 2 | De Octava SS. Nazarii & Celsi, Mart. *Semidup.* cum *Commem.* S. Stephani Papæ & Mart. an. 257. |
| xxij | e | iij | 3 | Inventio corporis S. Stephani Protomart. *Semidup.* an. 415. *Commem.* Octavæ. |
| xxj | f | Prid. | 4 | Octava & Festum Inventionis * & |

| Cycl. Epact. | Lit. Dom. | | Dies Mensis. | AUGUSTUS. |
|---|---|---|---|---|
| | | | | Translationis ** SS. Mart. Nazarii & Celsi, *Duplex-majus*: * c. an. 395. ** init. v. s. |
| xx | g | Non. | 5 | Dominici, Presb. Instit. Ord. Fratrum Prædic. (è 6.) *Semidup.* an. 1221. |
| xix | A | viij | 6 | Transfiguratio Domini, *Duplex-majus*, an. 28. *vel* 32. |
| xviij | b | vij | 7 | Justi & Pastoris, Mart. Complutensium, *Semiduplex*, circa an. 287. |
| xvij | c | vj | 8 | Omnium Sanctorum qui vixerunt ante Christum, *Duplex-minus*. |
| xvj | d | v | 9 | Vigilia *cum jejunio*: |
| xv | e | iv | 10 | LAURENTII, DIACONI ET MART. *Duplex-majus*, an. 258. (*Hâc die Officium: Festum verò, nisi dies 10. in Dominicam diem inciderit, fit semper Dominicâ antecedenti; pridiè jejunium.*) |
| xiv | f | iij | 11 | |
| xiij | g | Prid. | 12 | |
| xij | A | Idib. | 13 | Radegundis, Reginæ Franciæ, Viduæ, *Simplex*. an. 587. |
| xj | b | xix | 14 | Vigilia *cum jejunio*. |
| x | c | xviij | 15 | *ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. Solemne-majus*, 1. s. |
| ix | d | xvij | 16 | ROCHI, LAICI, apud Montem-Pessulanum, *Duplex-minus*, an. 1327. (*Hâc die Festum in utraque urbe.*) *Comm.* Octavæ. |
| viij | e | xvj | 17 | De Octava Assumptionis, *Semiduplex*. |
| vij | f | xv | 18 | De Octava Assumptionis, *Semiduplex*. |
| vj | g | xiv | 19 | De Octava Assumptionis, *Semid.* |
| v | A | xiij | 20 | Bernardi, Claravall. Abbatis, & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex-minus*, an. 1158. cum *Commem.* Octavæ. |
| iv | b | xij | 21 | De Octava Assumptionis, *Semiduplex*. |
| iij | c | xj | 22 | Octava Assumptionis B. M. Virg. *Duplex-minus*. |
| ij | d | x | 23 | |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | AUGUSTUS. |
|---|---|---|---|---|
| j | e | ix | 24 | BARTHOLOMÆI, APOST. *Duplex-maj.* I. f. (*Hâc die Officium: Festum verò, nisi dies 24. in Dominicam inciderit fit semper Dominicâ præcedenti.*) |
| * | f | viij | 25 | Ludovici IX. Regis Franciæ, *Dupl. maj.* an. 1270. |
| xxix | g | vij | 26 | |
| xxviij | A | vj | 27 | |
| xxvij | b | v | 28 | Augustini, Hipponensis Episc. & Eccl. Doct. *Duplex-maj.* (in Cathed. *Solemne min.*) anno 304. |
| xxvj | c | iv | 29 | Decollatio S. Joannis Bapt. *Dupl. min.* an. 28. vel 32. |
| 25. xxv | d | iij | 30 | |
| xxiv | e | Prid. | 31 | |

## SEPTEMBER.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxiij | f | Cal. | 1 | Lupi, Senonensis Episcopi, *Semidupl.* c. an. 623. cum *Commem.* S. Ægidii, Abbatis in Occitania: an. 547. vel 548. |
| xxij | g | iv | 2 | Lazari à Christo suscitati, & SS. Mariæ & Marthæ sororum, Christi hospitum, *Semidupl.* cum *Commem.* S. Castoris, Aptensis Episc. c. an. 420. |
| xxj | A | iij | 3 | Gregorii magni, Papæ, & Eccl. Doct. (è 12. Mart.) *Duplex-min.* an. 604. *Ordinatio hâc die,* anno 590. |
| xx | b | Prid. | 4 | Antonini, Mart. Apamiarum Patroni. *Simplex*, III. f. |
| xix | c | Non. | 5 | |
| xviij | d | viij | 6 | |
| xvij | e | vij | 7 | Clodoaldi, Presb. *Simpl.* an. 668. |
| xvj | f | vj | 8 | *NATIVITAS B. M. VIRGINIS, Solemne-majus.* |
| xv | g | v | 9 | De Octava Nativitatis, *Semiduplex.* |
| xiv | A | iv | 10 | Salvii, Albigensis Episc. *Semidupl.* an. 584. cum *Commem.* Octavæ. |

De

# SEPTEMBER.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xiij | b | iij | 11 | De Oct. Nat. B. Mariæ, *Semidup.* |
| xij | c | Prid. | 12 | |
| xj | d | Idib. | 13 | |
| x | e | xviij | 14 | Exaltatio sanctæ Crucis (Imperante Constantino: ann. 326. *vel.* 327. Imperante Heraclio: an. 629.) *Duplex-maj.* cum *Comm.* Octavæ. |
| ix | f | xvij | 15 | Octava Nativitatis B. Mariæ, *Duplex-min.* |
| viij | g | xvj | 16 | Cornelii, Papæ & Mart. an. 252. & Cypriani, Carthag. Episc. & Mart. Eccl. Doct. an. 258. (è 14.) *Semidupl.* cum *Comm.* S. Euphemiæ, Virg. & Mart. an. 307. |
| vij | A | xv | 17 | |
| vj | b | xiv | 18 | |
| v | c | xiij | 19 | Januarii, Beneventi Episc. & Mart. *Simplex,* c. an. 288. |
| iv | d | xij | 20 | Vigilia *cum jejunio.* |
| iij | e | xj | 21. | MATTHÆI, APOST. ET EVANG. *Duplex-maj.* 1. ſ. (*Hac die Officium: Festum verò nisi dies 21. in diem Dominicam inciderit, fit semper Dominicâ antecedente: pridiè jejunium.*) |
| ij | f | x | 22 | Mauricii & Sociorum, Mart. *Semidupl. an.* 286. |
| j | g | ix | 23 | Theclæ, Virg. & Mart. *Semidupl.* c. f. 1. ſ. cum *Commem.* S. Lini, Papæ & Mart. c. an. 78. |
| * | A | viij | 24 | |
| xxix | b | vij | 25 | Firmini, Ambianensis Episc. & Mart. *Simplex,* c. an. 287. |
| xxviij | c | vj | 26 | |
| xxvij | d | v | 27 | Cosmæ & Damiani, fratrum, Mart. *Semidupl.* c. init. IV. ſ. |
| 25. xxvj | e | iv | 28 | Exuperii, Tolosani Episc. *Simplex,* c. init. v. ſ. |
| xxv. xxiv | f | iij | 29 | Michaëlis Archang. & omnium Angelorum, *Duplex-maj.* Hoc Festum in Apulia sumpsit exordium, an. 493. *vel* 536. |
| xxiij | g | Prid. | 30 | Hieronymi, Presbyt. & Eccl. Doct. *Duplex-min.* an. 420. |

*Autumnalis. Carc.*

# OCTOBER.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis | | |
|---|---|---|---|---|
| xxij | A | Cal. | 1 | Remigii, Rem. Episc. (è 13. Jan.) *Semidupl.* c. an. 533. *Translatio prima hâc die, ante* an. 585. |
| xxj | b | vj | 2 | Festum Angelorum Custodum; *Duplex min.* Institutum Paris. an. 1680. |
| xx | c | v | 3 | |
| xix | d | iv | 4 | Francisci Assisinatis in Umbria, Instit. Ord. Fratr. Minor. *Semiduplex*, an. 1226. |
| xviij | e | iij | 5 | *ANNIVERSARIUS DIES DEDICATIONIS ECCL. CATH. Solemne majus* (*Dominicâ intra Octavam Dedicationis Eccl. Cathed. occurrente, celebratur sub ritu Solemni maj. Anniversarius dies Dedicationis cæterarum Ecclesiarum, nec habet Octavam.*) |
| xvij | f | Prid. | 6 | Brunonis, Monachi, Instit. Ordin. Carthus. *Semid.* an. 1101. *cum Comm.* S. Fidis Aginnens. Virg. & Mart. an. 287. vel 290. (& Octavæ in Cathedr.) |
| xvj | g | Non. | 7 | { (In Cathedrali de Octava Dedicationis, *Semid.*) |
| xv | A | viij | 8 | |
| xiv | b | vij | 9 | Dionysii, primi Parisiorum Episc. & Sociorum ejus, Mart. *Semid.* an. 275. vel 286. (cum *Comm.* Octavæ in Cathedr.) |
| xiij | c | vj | 10 | (De Oct. Dedic. in Cathed. *Semid.*) *Extrà.* Tyberii, Modesti & Florentiæ; Marti Agathensium, *Comm.* c. an 307. |
| xij | d | v | 11 | Firmini, Ucetiensis Episc. *Semid.* an. 553. (cum *Commem.* Octavæ, in Cathedrali.) |
| xj | e | iv | 12 | [In Cathed. Oct. Dedic. *Dupl. min.*] |
| x | f | iij | 13 | |
| ix | g | Prid. | 14 | |
| viij | A | Idib. | 15 | Theresiæ, Virg. Instauratricis Ord. Carmel. *Semid.* an. 1582. |
| vij | b | xvij | 16 | Bertrandi, Convennarum Episc. *Simplex*, c. an. 1120. |
| vj | c | xvj | 17 | |
| v | d | xv | 18 | Lucæ, Evangel. *Dupl. maj.* 1. C |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | OCTOBER. |
|---|---|---|---|---|
| iv | e | xiv | 19 | |
| iij | f | xiij | 20 | |
| ij | g | xij | 21 | Hilarionis Abbatis in Palæstina, *Simpl.* an. 371. cum. *Commem.* SS. Ursulæ & Sociarum, Virg. & Mart. iv. vel v. s. |
| j | A | xj | 22 | |
| * | b | x | 23 | |
| xxix | c | ix | 24 | |
| xxviij | d | viij | 25 | |
| xxvij | e | vij | 26 | Rustici, Narbon. Episc. *Semidupl.* c. an. 460. |
| xxvj | f | vj | 27 | Vigilia *cum jejunio.* |
| 25. xxv | g | v | 28 | SIMONIS ET JUDÆ, APOST. *Duplex-maj.* i. s. (*Hâc die Officium: Festum verò, nisi dies 28. in diem Dominicam inciderit, fit semper Dominicâ antecedente: pridie jejunium.* |
| xxiv | A | iv | 29 | |
| xxiij | b | iij | 30 | |
| xxij | c | Prid. | 31 | Vigilia *cum jejunio.* Fit *Commem.* S. Marcelli, Mart. Cabillonensis, an. 179. |

| | | | | NOVEMBER. |
|---|---|---|---|---|
| xxj | d | Cal. | 1 | *OMNIUM SANCTORUM, Solemne-majus.* c. an. 835. |
| xx | e | iv | 2 | COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *Duplex-majus*, instituta an. 998. |
| xix | f | iij | 3 | De Octava omnium SS. *Semidupl.* |
| xviij | g | Prid. | 4 | Caroli Borromæi, Mediol. Episc. Card. *Duplex-minus*, an. 1584. |
| xvij | A | Non. | 5 | De Octava omnium SS. *Semidupl.* cum *Commem.* S. Geraldi Biterr. Episc. an. 1127. |
| xvj | b | viij | 6 | } De Octava omnium SS. *Semiduplex.* |
| xv | c | vij | 7 | } |
| xiv | d | vj | 8 | Octava omnium SS. & veneratio SS. Reliquiarum, *Duplex-majus.* instituta an. 1194. (*anteà* 4. *Dec.*) |
| xiij | e | v | 9 | |
| xij | f | iv | 10 | Leonis Magni, Papæ & Ecclesiæ. |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | NOVEMBER. |
|---|---|---|---|
| | | | Doct. *Duplex-min.* c. an. 461. vel 462. cum *Commem.* S. Rufi primi Avenionensis Episc. c. med. III. s. |
| xj | g | iij | 11 | Martini, Turon. Episc. *Duplex-majus*; ( in Cathedrali *Solemne-minus.* ) an 397. |
| x | A | Prid. | 12 | Martini, Papæ & Mart. ( è 16. Septembr. ) *Simplex*, an. 655. |
| ix | b | Idib. | 13 | Bricii, Turonensis Episc. *Simplex*, c. an. 444. |
| viij | c | xviij | 14 | |
| vij | d | xvij | 15 | |
| vj | e | xvj | 16 | |
| v | f | xv | 17 | Gregorii Thaumaturgi, Neocesareæ Episc. & Eccl. Doct. *Semi-duplex*, c. an. 270. |
| iv | g | xiv | 18 | Romani, Diaconi & Mart. *Simplex*, c. an. 258. |
| iij | A | xiij | 19 | Elizabeth, Viduæ, *Simplex*, an. 1231. |
| ij | b | xij | 20 | Papuli, Mart. *Commem.* c. med. III. sec. |
| j | c | xj | 21 | Præsentatio B. Mariæ, *Duplex-majus.* |
| * | d | x | 22 | Cæciliæ, Virg. & Mart. *Semidupl.* II. vel III. sec. |
| xxix | e | ix | 23 | Clementis, Papæ & Mart. *Semid.* an. 100. |
| xxviij | f | viij | 24 | |
| xxvij | g | vij | 25 | Catharinæ, Virg. & Mart. *Simpl.* |
| 25. xxvj | A | vj | 26 | |
| xxv. xxiv | b | v | 27 | Vitalis & Agricolæ, Mart *Simpl.* c. an. 304. |
| | | | | *Prima sedes Adventûs.* |
| xxiij | c | iv | 28 | |
| xxij | d | iij | 29 | Saturnini, primi Tolosani Episc. & Mart. *Dupl. min.* c. med. III. s. cum *Commem.* Vigiliæ. |
| xxj | e | Prid. | 30 | ANDREÆ, APOST. *Duplex-majus.* I. s. ( *Hâc ipsâ die Officium : Festum verò nisi dies 30. in diem Dominicam inciderit, fit semper Dominicâ antecedente; pridiè jejunium.* ) |

# DECEMBER.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis | | DECEMBER. |
|---|---|---|---|---|
| xx | f | Cal. | 1 | Eligii, Noviom. Episc. (è 30. Nov.) *Simplex*, an. 959. |
| xix | g | iv | 2 | Francisci Xaverii, Presbyt. *Semi-duplex*, an. 1552. |
| | | | | *Ultima sedes Adventûs.* |
| xviij | A | iij | 3 | |
| xvij | b | Prid. | 4 | |
| xvj | c | Non. | 5 | |
| xv | d | viij | 6 | Nicolai, Myrensis Episcopi, *Commemoratio*, c. an. 320. |
| xiv | e | vij | 7 | Ambrosii, Mediol. Episc, & Eccl. Doct (è 4. Apr.) *Dupl. min.* an. 397. *Ejus ordinatio hâc die.* an. 374. |
| xiij | f | vj | 8 | CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, *Solemne-minus*. |
| xij | g | v | 9 | Leocadiæ, Virginis Tolet. & Mart. *Commem.* c. an. 288. |
| xj | A | iv | 10 | Eulaliæ, Virginis Emeritensis & Mart. *Commem.* c. an. 288. |
| x | b | iij | 11 | Pauli, primi Narbon. Episc. *Semi-duplex*, c. med. III. sec. |
| ix | c | Prid. | 12 | |
| viij | d | Idib. | 13 | Luciæ Virginis & Mart. *Commemoratio*, an. 304. |
| vij | e | xix | 14 | |
| vj | f | xviij | 15 | |
| v | g | xvij | 16 | |
| iv | A | xvj | 17 | |
| iij | b | xv | 18 | |
| ij | c | xiv | 19 | |
| j | d | xiij | 20 | |
| * | e | xij | 21 | THOMÆ, APOST. *Dupl. majus.* 1. f. (*Officium hâc ipsâ die: Festum verò, nisi dies 21. in diem Dominicam inciderit, fit semper Dominicâ antecedente.*) |
| xxix | f | xj | 22 | |
| xxviij | g | x | 23 | |
| xxvij | A | ix | 24 | Vigilia *cum Jejunio.* |
| xxvj | b | viij | 25 | *NATALE DOMINI*, *Annuale.* |
| 25. xxv. | c | vij | 26 | STEPHANI, DIACONI ET PROTO-MART. *Solemne-minus*, an. 33. *Commem. Octavæ.* |

*Octavam Ascensionis ad Festum SS. Trinitatis.*

19. De Extrema-Unctione: *à Feria II. post Festum SS. Trinitatis ad Solemnitatem SS. Eucharistiæ.*

20. De Sacramento SS. Eucharistiæ & Sacerdotio Christi: *in Solemnitate SS. Eucharistiæ & per totam ejus Oct.*

21. De Sacrificio Missæ ritè celebrando & audiendo: *à Feria VI. post Octavam SS. Eucharistiæ ad Dominicam V. post Pentecosten.*

22. De sanctificatione diei Dominicæ & Festorum: *in singulis Dominicis à Dominica III. post Pentecosten ad Adv.*

23. De muniis ab Episcopo obeundis, & Synodis ab eodem cogendis: *à Dominica V. post Pentecost. ad Domin. VII.*

24. De vita, moribus & officiis Canonicorum; ubi de recitatione publica Officii Divini, de Cantu Ecclesiastico, de Cantoribus, de reformatione Breviarii, de fundationibus, de reverentia in Ecclesiis: *à Dominica VII. post Pentec. ad Dominic. XIII.*

25. De vita, moribus & officiis Parochorum & Vicariorum; ubi etiam de verbi divini prædicatione, Sacramentorum administratione, aliisque eorumdem muneribus; de fidelium sepultura, de residentia, de privata Officii Divini recitatione, &c. *à Dominica XIII. post Pentecosten ad Dominicam XVIII.*

26. De Beneficiorum collatione, eorumdemque pluralitate; de bonorum Ecclesiæ usu, de Simonia: *à Dominica XVIII. post Pentecosten ad Dominicam XX.*

27. De Cæremoniis, de Organis; de Campanis & earum benedictione: *à Dominica XX. ad Dominicam XXI.*

28. De Oratoriis & Sacellis domesticis; de Altaribus, eorumque Ornamentis: *à Dominica XXI. post Pentecosten ad Dominicam XXII.*

29. De Cœmeteriis, sepulturâ & exequiis Defunctorum: *à Dominica XXII. post Pentec. ad Dominic. XXIII.*

30. De Sanctorum invocatione, Reliquiis & Imaginibus; de Miraculis & Indulgentiis: *à Dominica XXIII. post Pentec. ad Domin. XXIV.*

31. De Clericorum conversatione cum Laïcis & Monialibus: *à Dominica XXIV. post Pentec ad Domin. XXV.*

32. De Privilegio Cleri; de abstinendo à judicibus criminalibus, de litibus vitandis & componendis: *à Domin. XXV. post Pentec. ad Domin. XXVI.*


33. De subjectione Clericorum sub Episcopo: *à Dominica XXVI. post Pentecosten ad Dominicam XXVII.*

34. De Excommunicatione & Excommunicatis: *à Dominica XXVII. post Pentecosten ad Dominicam XXVIII.*

35. De formandis junioribus Clericis, ubi de Seminariis: *à Dominica XXVIII. post Pentec. ad finem Hebdom.*

Hac in Canonum serie non comprehenduntur Solemnitates, Festa & dies quæ proprios habent Canones ratione Mysteriorum aut peculiaris disciplinæ.

PSALTERIUM





# PSALTERIUM
## DISPOSITUM
## PER HEBDOMADAM.
### *PARS AUTUMNALIS.*

---

## DOMINICA,
### *AD OFFICIUM NOCTURNUM.*

*Ante Officium Nocturnum dicitur secretò:*

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuũ: fiat volúntas tua sicut in cœlo & in terra: panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: & dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris: & ne nos indúcas in tentatiónem; sed líbera nos à malo. Amen.

AVe, María, grátiâ plena, Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus.

Sancta María, mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatórem cœli & terræ: Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrũ: qui conceptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine: passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, & sepultus: descendit ad ínferos: tértiâ die resurrexit à mórtuis: ascendit ad cœlos, sedet ad déxterã Dei Patris omnipotentis: inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicã, Sanctórum communiónẽ, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

*Deinde altâ voce dicitur:*

DOmine, lábia mea apéries; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50. 17.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. Allelúia.

*Sic dicitur* Allelúia, *etiam ad alias Horas.*

*Inv.* Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus. *Repetitur*, Dóminum, qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

PSALMUS 94.

*Christus Rex; ipsi parendum.*

VEníte, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.

Dñum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & rex magnus super omnes deos: quóniam non repellet Dóminus plebem suam: quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntiũ ipse cónspicit.

* Veníte, adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, & procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dñus Deus noster; nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Dñum qui fecit nos; * Veníte, adorémus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secundùm diẽ tentatiónis in deserto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt & vidérunt ópera mea.

* Veníte, adorémus.

Quadraginta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde; ipsi verò non cognovérunt vias meas: quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Dñum qui fecit nos; * Veníte, adorémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen.

* Veníte, adorémus. *Repetitur*, Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

*Hymnus.*

DIE parente témporum,
Quo, numen extrà próferens,
Rerum pater, fonsque ómnium,
Orbem volendo prócreat:
Quo, morte victâ, Fílius
Frangit sepulchri víncula;
Gestitque donis Spíritus
Ditáre mentes ígneis:

Cœlestis adsit chá-
ritas,
Altis refúsa córdibus,
Quæ tanta totque múnera
Dignis celébret cánticis.
Qui me suprémi Nú-
minis,
Pater, creas imáginem,
Te mente totâ cógitem,
Te corde toto díligam.
Cujus triumpho & fú-
nere
Mundo renáscitur salus,
Fili, tibi fac cónsecrer
Amóris igne víctima.
Cadente flammâ, qui
fidem
Firmas in orbe, Spíritus,
Sis lux perennis, flámmeo
Quâ te requíram péctore.
Qui nos creávit, laus
Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

## IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 3. a. Beátus vir.

*Asteriscus hic * notat mediationem & pausam.*

PSALMUS I.

*Beatitudo justorum, malorum calamitas.*

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit,* & in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decursus aquárum, * quod fructum suū dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquā pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resurgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen.

*Hi versus* Glória, *&* Sicut erat, *dicuntur in fine Psalm. Divis. & Cantic. nisi aliter notetur.*

*Ant.* Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum; sed in lege Dómini meditábitur die ac nocte.

*Ant.* 2. D. Beáti omnes.

PSALMUS 2.

*Christo frustrà principes populique adversantur.*

QUare fremuérūt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos, * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptū ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

*Ant.* Beáti omnes qui confídunt in eo.

*Ant.* 8. G. Dicunt.

PSALMUS 3.

*Pia Justi in pœnis querimonia.*

Domine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insurgunt adversùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, & exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum: * & exurrexi, quia Dñus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa; * dentes peccatórum contrivisti.

Dómini est salus; * & super pópulum tuum benedíctio tua.

*Ant.* Dicunt ánimæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus; tu autem, Dñe, susceptor meus es.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; ℟. Et custodívi legem tuam. *Ps.* 118. 55.

*Post Versiculum cujuslibet Nocturni, dicitur se-*

tritò : Pater noster : *sed altâ voce :* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

*Absolutiones & Benedict. habentur post Psalterium.*

*Lectiones cum Responsoriis, ut in Proprio.*

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 6. F. Díligam te.

PSALMUS 17.

*Gratiarum actio, pro victoriâ de Christi & Ecclesiæ inimicis habitâ.*

DIligam te, Dómine, fortitúdo mea : * Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus, adjútor meus, * & sperábo in eum.

Protector meus, & cornu salútis meæ, * & suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum ; * & ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * & torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inferni circumdedérunt me:* præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam : * & clamor meus in conspectu ejus introívit in aures ejus.

Commóta est, & contrémuit terra : * fundamenta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt ; quóniam irátus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exarsit : * carbónes succensi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & descendit : * & calígo sub pédibus ejus.

Et ascendit super Chérubim, & volávit : * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum ; in circúitu ejus tabernáculum ejus : * tenebrósa aqua in núbibus áëris.

Præ fulgóre in conspectu ejus nubes transiérunt, * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam : * grando & carbónes ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipávit eos : * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta sunt fundamenta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

*Ant.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea, firmamentum meum, & refúgium meum.

*Ant.* 4. E. Ero immaculátus.

*Divisio Psalmi* 17.

MIsit de summo [ Dóminus, ] & accépit me, * & assumpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, & ab his qui odérunt me: * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus est Dóminus protector meus.

Et eduxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * & secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi.

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspectu meo, * & justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * & secundùm puritátem mánuum meárum in conspectu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * & cum viro innocente ínnocens eris;

Et cum electo electus eris, * & cum perverso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * & óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucernam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne; * & in Deo meo transgrédiar murum.

*Ant.* Ero immaculátus cum Deo meo, & observábo me ab iniquitáte mea.

*Ant.* 7. a. Déxtera tua.

*Altera divisio Psal.* 17.

DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protector est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcinxit me virtúte, * & pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * & super excelsa státuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * & posuisti,

at arcum æreum, bráchia mea,

Et dedisti mihi protectiónem salútis tuæ : * & déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua correxit me in finem : * & disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatasti gressus meos subtus me, * & non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, & comprehendam illos : * & non convertar donec deficiant.

Confringam illos, nec póterunt stare : * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtúte ad bellum, * & supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimícos meos dedisti mihi dorsum, * & odientes me disperdidisti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret ; * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem venti : * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli : * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi : * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi, * filii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedictus Deus meus : * & exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracundis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * à viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine ; * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes regis ejus, & fáciens misericórdiam christo suo David, * & sémini ejus usque in séculum.

*Ant.* Déxtera tua suscépit me, Dómine ; & disciplína tua ipsa me docébit.

℣. Legem tuam, Dñe, non sum oblítus : ℟. Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi. *Ps.* 118. 61. 62.

Pater noster.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. In Deo.

PSALMUS 27.

*Petit Justus ne cum impiis pereat.*

AD te, Dómine, clamábo : Deus meus, ne síleas à me : * nequando táceas

à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te, * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me:

Qui loquuntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secundùm ópera eórum, * & secundùm nequítiam adinventiónũ ipsórum.

Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis; * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini: & in ópera mánuum ejus * déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedictus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protector meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea, * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * & protector salvatiónum christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; * & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

*Ant.* In Deo sperávit cor meum, & adjútus sum; & ex voluntáte mea confitébor ei.

*Ant.* 7. d. Ad te, Dómine.

PSALMUS 29.

*Post multa pericula, gratiarum actio: Resurrectio Christi.*

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me, * nec delectasti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & sanasti me.

Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam: * salvasti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus, * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus:

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitisti decóri meo virtútem.

Avertisti fáciem tuam à me, * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, cla-

mábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descendo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misertus est meî: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertisti planctum meum in gáudium mihi: * conscidisti saccum meū, & circumdedisti me lætítiâ;

Ut cantet tibi glória mea, & non compungar: * Dómine Deus meus, in ætermum confitébor tibi.

*Ant.* Ad te, Dómine, clamábo, & ad Deum meum deprecábor.

*Ant.* 5. a. Veníte.

PSALMUS 65.

*Deus laudandus adorandusque propter innumera ejus beneficia.*

JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus, * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentientur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi; * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei, * terríbilis in consíliis super filios hóminū.

Qui convertit mare in áridam; in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso,

Qui dominátur in virtúte sua in ætemum; óculi ejus super gentes respíciunt; * qui exásperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum; * & audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probasti nos, Deus; * igne nos examinasti, sicut examinátur argentum.

Induxisti nos in láqueum, posuisti tribulatiónes in dorso nostro; * imposuisti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem & aquam; * & eduxisti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuā in holocaustis; * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum * in tribulatióne mea.

Holocausta medulláta ófferam tibi cum incenso arietum; * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & nar-

rábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ípsum ore meo clamávi, * & exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspexi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * & attendit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, & misericórdiam suam à me.

*Ant.* Veníte, audíte, & narrábo quanta fecit ánimæ meæ.

℣. Deum exquisívi mánibus meis nocte;

℟. Et non sum deceptus. *Ps.76. 3.*

Pater noster.

*Post ultimum Responsorium dicitur:*

TE Deum laudámus, * te Dóminum confitémur.

Te æternum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cœli, & univérsæ potestátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus,

Dñs Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * immensæ majestátis:

Venerandum tuum verum, * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius:

Tu, ad liberandum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum:

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cœlórum:

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo, quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérnâ fac * cum sanctis tuis in glóriâ numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extolle illos usque in æternum.

Per síngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen

tuum in sǽculum, * & in sǽculum sǽculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostrî, Dómine, * miserére nostrî.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi; * non confundar in ætérnum.

*Si non continuò sequantur Laudes, hîc dicitur:* Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *deinde Oratio propria, cum integra conclusione. Et tunc ante Laudes dicitur secretò* Pater *&* Ave.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34. 9.

DEus, in adjutórium meū intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. 2. Glória.

*Ant.* 8. G. Deus.

PSALMUS 62.

*Ecclesiæ solatium, in deserto hujus seculi.*

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea: * quàm multiplíciter tibi caro mea.

In terra deserta, & ínvia, & inaquósa, sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, in matutínis meditábor in te, * quia fuisti adjútor meus;

Et in velamento alárum tuárum exultábo: adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam; introíbunt in inferióra terræ, * tradentur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

*Ant.* Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo: sitívit in te ánima mea.

*Ant.* 1. a. Exultent.

PSALMUS 69.

*Justus sibi opem precatur.*

DEus, in adjutórium meum intende: * Dómine, ad adjuvandum me festína.

Confundantur, & reve-

reantur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, & erubescant,* qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te; * & dicant semper : Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu; * Dómine, ne moréris.

*Ant.* Exultent & lætentur in te, qui díligunt salutáre tuum, Dómine.

*Ant.* 5. C. Ipse.

PSALMUS 99.

*Ad Dei laudes & cultum adhortatio.*

JUbiláte Deo, omnis terra : * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis : * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus, in æternum misericórdia ejus, * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

*Ant.* Ipse fecit nos, & non ipsi nos.

*Ant.* 4. E. Benedictus es.

*Cantic. trium puerorum.* Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino : * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol & luna, Dómino ; * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino : * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æstus, Dómino : * benedícite, frigus & æstus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino : * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, gláciés & nives, Dómino : * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino : * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dómi-

num; * laudet & superexaltet eum in sécula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, universa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedícat Israel Dóminum; * laudet & superexaltet eum in sécula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dñi, Dño.

Benedícite, spíritus & ánimæ justórum, Dómino; * benedícite, sancti & húmiles corde, Dño.

Benedícite, Anánia, Azária, Mísael, Dómino; * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

*Hîc, loco* Glória Patri, *dicitur:*

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum sancto Spíritu; * laudémus & superexaltémus eum in sécula.

Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli; * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

*Ant.* Benedictus es, Dómine, in throno regni tui, & superlaudábilis, & superexaltátus in sécula.

*Ant.* 7. d. Hymnus.

PSALMUS 148.

*Omnium creaturarum ad Deum laudandum invitatio.*

LAudáte Dóminum de cœlis: * laudáte eum in excelsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus: * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol & luna: * laudáte eum, omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini;

Quia ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, & in séculum séculi: * præceptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra: * dracónes, & omnes abyssi;

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes, & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri:

Béstiæ, & universa pécora, * serpentes, & vólucres pennátæ:

Reges terræ, & omnes

pópuli ;* príncipes,& omnes júdices terræ :

Júvenes & vírgines,senes cum junióribus, laudent nomen Dñi:* quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum & terram : * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * filiis Israël,pópulo appropinquanti sibi.

*Ant.* Hymnus ómnibus sanctis ejus, filiis Israël, pópulo appropinquanti sibi.

*Capitulum.* Deut. 6. 4-7.

AUdi,Israel:Dñs Deus noster, Dñs unus est : Díliges Dñm Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota fortitúdine tua ; eruntque verba hæc in corde tuo : & meditáberis in eis sedens in domo tua, & ámbulans in itínere, dórmiens atque consurgens.

℟. Deo grátias.

*Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.*

*Hymnus.*

AUTHORIS in laudem sui
Natúra tota pérsonet ;
Hunc terra, pontus, sídera,
Suis canant præcóniis.

TE, Christe, laudet fúneris
Homo solútus vínculis,
Sibíque plaudat súrgere
Quo te triumpho súscitas.

LAUS par decet te, Spíritus,
Qui legis author ígneæ,
Puris quiescis córdibus,
Lucens & ardens íncola.

IN filiis quos & sinu
Almo foves & grátiâ,
Pascente corda flámine
Quantos amóres éxcitas!

O JURE qui tuo, Deus,
Hanc víndicas diem tibi,
Lucis sacræ fac síngula
Momenta fervor ímpleat.

TU, quos sacrásti, Cháritas,
Aquis, amóre cónsecra :
Sic númini nos, áltero
Partu, redóna filios.

QUI nos creávit, laus Patri ;
Laus, qui redémit, Filio ;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Manè astábo tibi, Dñe, & vidébo ; ℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Ps.* 5. 5.

*Antiph. ut in Proprio.*

*Cantic. Zachariæ.* Luc. 1.

BEnedictus Dñs Deus Israel, * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Et erexit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos :

Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris, * & memorári testaménti sui sancti :

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem nostrũ,* datúrum se nobis;

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi,

In sanctitáte & justítia coram ipso,* ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus,

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórũ,

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri.

*Ant. & Oratio, ut in Proprio; posteà dicitur :*

Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*Fit commemoratio de semiduplici aut simplici, si occurrat.*

*Deinde de Beata.*

*Ant.* Beáta Dei génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritûs sancti, sola sine exemplo placuisti Dño nostro Jesu Christo.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

Orémus.

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; & Beátæ Maríæ, semper vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus & perículis redde secúros; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

*Sic terminatur Oratio prima & ultima.*

*Ubi Sancta Maria non est Patrona, fit de Patronò Ecclesiæ titulari commemoratio per Ant. ℣. & Orationem.*

*Deinde repetitur* Dóminus vobíscum, &c. *&* Benedicámus, &c.

*Post quamlibet Horam, si aliud Officium non sequatur, dicitur secretò :* Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. Amen.

*Deinde* Pater noster.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

JAm lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,

Præsens benigno númine,
Nostros ut actus dírigat.
Nil lingua peccet, nil manus;
Nil mens inánе cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cháritas.
Incœpta dùm fluet dies,
O Christe, sis custos vigil:
Da mente scire quod doces,
Da corde, quod jubes, sequi.
Tu spes salútis, áctuum
Tu finis & primórdium:
Te, prosequámur, áuspice,
Quæ, te favente, cœpimus.
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ant.* 7. *d.* In toto corde.

PSALMUS 117.

*Gratias agit Ecclesia, quòd post tot rerum discrimina, salutem & Christum sit consecuta.*

Confitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor: * & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dñi quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis; * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impulsus, eversus sum ut cáderem, * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis & salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxte-

ia Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus: * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ, ingressus in eas, confitébor Dómino; * hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud, * & est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dóminus: * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac; ô Dómine, bene prosperáre: * benedictus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illuxit nobis.

Constitúite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salutem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

PSALMUS 118.

*Mandata Dei menti semper obversanda.*

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutantur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandasti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ * ad custodiendas justificatiónes tuas!

Tunc non confundar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis; * in eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam; * non me derelinquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiendo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: * ne repellas me à mandátis tuis.

In corde meo abscondi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedictus es, Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronun-

tiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor; * non oblivíſcar ſermónes tuos.

*Diviſio Pſalmi 118.*

RETríbue ſervo tuo, vivífica me; * & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra, * non abſcondas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpaſti ſuperbos: * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contemptum; * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & adversùm me loquebantur: * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * & consílium meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit pavimento ánima mea, * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudiſti me: * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me: * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * & de lege tua miſerére meî.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis, Dómine: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilataſti cor meum.

*In feſto SS. Trinitatis, & in omnibus Dominicis, niſi aliter notetur, dicitur Symbolum ſequens.*

QUicumque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt ut téneat cathólicam fidem:

Quam niſi quiſque íntegram inviolátamque ſerváverit, * abſque dúbio in æternum períbit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in Unitáte venerémur;

Neque confundentes perſónas, * neque ſubſtántiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs ſancti.

Sed Patris, & Filii, & Spíritûs sancti una est divínitas, * æquális glória, coætérna majestas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Fílius, * immensus Spíritus sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres ætérni, * sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres immensi, * sed unus increátus, & unus immensus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus;

Et tamen non tres omnipotentes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres dii, * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquamque persónam, Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur: * ita tres deos aut dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est, * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre & Filio, * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres patres: unus Fílius, non tres filii: * unus Spíritus sanctus, non tres spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus; * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * & Unitas in Trinitáte, & Trínitas in Unitáte veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus & homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sécula génitus,

* & homo est ex substántia matris in século natus.

Perfectus Deus, perfectus homo; * ex ánima rationáli, & humánâ carne subsistens.

Æquális Patri secundùm divinitátem, * minor Patre secundùm humanitátem.

Qui licet Deus sit & homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro, unus est homo; * ita Deus & homo unus est Christus,

Qui passus est pro salúte nostra, descendit ad ínferos, * tértiâ die resurrexit à mórtuis:

Ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis; * inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus adventum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * & reddituri sunt de factis própriis ratiónem:

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides cathólica; * quam nisi quisque fidéliter firmiterque credíderit, salvus esse non póterit.

*Ant.* In toto corde meo exquisívi te, Dómine: doce me justificatiónes tuas. *Ps.* 118. 10. 12.

*Capitul.* Ephes. 5. 8-10.

Erátis aliquandò ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte; fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte: probantes quid sit beneplácitum Deo.

℟. *breve.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis.

℣. Qui sedes ad déxteram Patris, [ *Hic versus quandoque mutandus est, ut notatur in Proprio.* ] * Miserére nobis. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Matth.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Hebr.* 1. 3.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. 26.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecisti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad

nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum nostrũ Jesum Christum, &c.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dño. ℟. Deo grátias.

AD OFFIC. CAPITULI.

*Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur, sed statim Hebdomadarius dicit:*

℣. Pretiósa in conspectu Dómini, ℟. Mors sanctórum ejus. *Ps.* 115. 6.

SAncta María, & omnes sancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári & salvári, qui vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dñe, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. Kyrie, eléison, Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórum: ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárũ dírige. *Ps.* 89. 16. 17. Glória Patri.

Orémus.

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc, & in æternum, te auxiliante, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in sécula seculórum.

℟. Amen.

*Lector*, Jube, domne, benedícere. *Bened.* Det Dóminus leges suas in mentem nostram, & in corde nostro superscríbat eas. ℟. Amen. *Hebr.* 8. 10.

*Tunc fit lectio Canonis qui pro singulis diebus habetur suo loco, in cujus fine dicitur:* Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

*Post Lectionem, Hebdomadarius dicit :* Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123. 8.

*Submissiori voce dicit :* Benedícite. *Lector versus ad eum :* Deus. *Hebdomadarius :* Dñs nos benedícat, & ab omni malo defendat, & perdúcat ad vitam ætérnam. *Lector.* Amen.

*Secretò.* Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

O Fons amóris, Spíritus,
O dulce lumen méntium;
Sacras refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui cháritas & vínculū,
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Fac sancta jungant víncula.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ant.* 6. C. Da mihi.

Ex Psalmo 118.

*Vitia per legem fugienda.*

Legem pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum, * & exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, & scrutábor legem tuam; * & custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * & non in avarítiam.

Averte óculos meos ne vídeant vanitátem : * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod suspicátus sum, * quia judícia tua jucunda.

Ecce concupívi mandáta tua : * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine, * salutáre tuum secundùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum, * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque, * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuā semper, * in séculum, & in séculum séculi.

Et ambulábam in latitúdine, * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspectu re-

gum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ dilexi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi, * & exercébar in justificatiónibus tuis.

*Divisio Psalmi 118.*
*Habenda legis divinæ memoria.*

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea, * quia elóquium tuum vivificávit me.

Superbi iníquè agébant usquequáque; * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à século, Dómine; * & consolátus sum.

Deféctio ténuit me *, pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * & custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi, * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine: * dixi custodíre legem tuã.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo; * miserére meî secundùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * & converti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus, * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumplexi sunt me; * & legem tuã non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra; * justificatiónes tuas doce me.

*Divisio Psalmi 118.*
*Dei benignitas.*

BOnitátem fecisti cum servo tuo, Dómine, * secundùm verbum tuum.

Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priusquam humiliárer, ego deliqui; * proptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu; * & in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum; * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum: * ego verò legem tuã meditátus sum.

Bonum mihi quia humi-

quáque, Dómine: * vivífica me secundùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper: * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in æternum, * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

*Divisio Psalmi* 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam dilexi.

Adjútor & susceptor meus es tu: * & in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me, maligni: * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secundùm elóquium tuum, & vivam; * & non confundas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & salvus ero; * & meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes à judíciis tuis, * quia injusta cogitátio eórum.

Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ: * ideo dilexi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & justítiam: * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam, * & justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: * da mihi intellectum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciendi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideo dilexi mandáta tua * super aurum & topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam ódio hábui.

*Ant.* Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum.

*Capitulum.* 1. Joan. 5. 3.

HÆc est cháritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus; & mandáta ejus grávia non sunt.

℟. *br.* Secundùm misericórdiam tuam * Vivífica me, Dómine. ℟. Secundùm. ℣. Et custódiam testimónia oris tui: * Vivífica. Glória. Secundùm.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicentes, Quando consolá-beris me?

Quia factus sum sicut uter in pruína: * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes, * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terra: * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secundùm misericórdiam tuam vivífica me, * & custódiam testimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundasti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ persevérat dies, * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est, * tunc forte periissem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíscar justificatiónes tuas, * quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac, * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua intellexi.

Omnis consummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis.

*Divisio Psalmi* 118.

QUómodo dilexi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudentem me fecisti mandáto tuo, * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi, * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intellexi, * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem posuisti mihi.

Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

A mandátis tuis intellexi: * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucerna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi & státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usque-

me fac, * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi, * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secundùm misericórdiam tuam, Dómine; * & secundùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequentes me iniquitáti: * à lege autem tuâ longè facti sunt.

Prope es tu, Dñe, * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis, * quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitátem meã, & éripe me; * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me: * propter elóquium tuũ vivífica me.

Longè à peccatóribus salus,* quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine: * secundùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequuntur me, & tríbulant me: * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricantes, & tabescébam, * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua dilexi, Dómine: * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in æternum ómnia judícia justítiæ tuæ.

*Divisio Psalmi* 118.

PRíncipes persecúti sunt me gratìs, * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus sum; * legem autem tuam dilexi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine; * & mandáta tua dilexi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * & dilexit ea vehementer.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua, * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecátio mea in conspectu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulátio mea in conspectu tuo: * secundùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum; * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me, * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuū, Dómine, * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te: * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit; * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

*Ant.* Omnia mandáta tua æquitas: pax multa diligéntibus legem tuam, Dómine.

*Capitulum.* 1. Tim. 1. 5.

Finis præcepti est cháritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ, & fide non fictâ.

℟. *br.* Clamávi in toto corde meo, * Exaudi me, Dómine. Clamávi. ℣. Justificatiónes tuas requíram: * Exaudi me. Glória. Clamávi.

℣. Clamávi ad te, salvum me fac: ℟. Ut custódiam mandáta tua.

*Oratio conveniens.*

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium.

*Ant.* 7. c. Dixit Dñs.

PSALMUS 109.

*Christus ad dextram Dei sedens: ipsius generatio, regnum & sacerdotium.*

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos, * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, * Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Dñs à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

*Ant.* Dixit Dñs Dño meo: Sede à dextris meis.

*Ant.* 4. a. Fidélia.

PSALMUS 110.

*Laus Dei, quòd tot in Ecclesiam beneficia contulerit.*

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in consílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini; * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testamenti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in séculum séculi.

*Ant.* Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi.

*Ant.* 1. *f.* Qui timet Dñm.

P S A L M U S 111.

*Timor Domini, gloria est & securitas justorum.*

BEátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Exortum est in ténebris lumen rectis; * miséricors, & miserátor, & justus.

Jucundus homo, qui miserétur & cómmodat, dispónet sermónes suos in judício, * quia in æternum non commovébitur.

In memória æterna erit justus; * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus, * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispersit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in séculum séculi: * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur, déntibus suis fremet & tabescet; * desidérium peccatórum períbit.

*Ant.* Qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis.

*Ant.* 7. ç. Sit nomen.

P S A L M U S 112.

*Deus excelsus; ipsi omnia cordi.*

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra?

Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

*Ant.* Sit nomen Dómini benedictum in sécula.

*Ant.* 1. A. Nos qui vívimus.

PSALMUS 113.

*Dei potentia : ipse solus Deus: idolorum vanitas.*

IN éxitu Israel de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro:

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potestas ejus.

Mare vidit & fugit; * Jordánis conversus est retrorsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quòd fugisti; * & tu, Jordánis, quia conversus es retrorsum?

Montes, exultastis sicut aríetes, * & colles sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob:

Qui convertit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis; * sed nómini tuo da glóriam,

Super misericórdia tua & veritáte tua: * nequando dicant gentes, Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo; * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non vidébunt:

Aures habent, & non áudient; * nares habent, & non odorábunt:

Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino;

* adjútor eórum & protector eórum est.

Dóminus memor fuit nostrî, * & benedixit nobis.

Benedixit dómui Israel; * benedixit dómui Aaron.

Benedixit ómnibus qui timent Dóminum, * pusillis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos, & super fílios vestros.

Benedícti vos à Dño, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino; * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine * neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc & usque in séculum.

*Ant.* Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

*Capitulum.* Genes. 1. 1-5.

IN princípio creávit Deus cœlum & terram .... Dixitque Deus, Fiat lux; & facta est lux; & vidit Deus lucem, quòd esset bona: & divísit lucem à ténebris ..... Factumque est véspere & mane dies unus.

*Hymnus.*

DEus tibi, qui súfficis,
Tuo beátus númine,
Amóre nostrî pércitus,
Mundum creáre cógitas.

Tu magna cœli lúmina,
Tu noctis umbras & diem,
Terræque tractus & maris
Immensus ipse cóntines.

Ut tempus incœptum fluat,
Te velle, te loqui, sat est;
Virtus ab æterno latens
Expandet inclúsas opes..

Ubi merum subest nihil,
Creáre non tibi labor;
Quodcumque mente cóncipis,
Vis esse? jam factum vides.

Extende fortem déxteram,
Te mundus ostendat Deũ;
Statimque fœcundo sinu
Opus superbum pródeat.

At luce dum mundum suâ,
Miróque ditas órdine,
Fac alma semper fúlgeat,
Quæ corda ditet, cháritas.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea: ℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

*Antiph. ut in Proprio.*

*Cantic. Beatæ Mariæ Virg.* Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum:

Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo:

Quia respexit humili-

tátem ancillæ suæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:

Quia fecit mihi magna qui potens est, * & sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo; * dispersit supérbos mente cordis sui:

Depósuit potentes de sede; * & exaltávit húmiles:

Esurientes implévit bonis; * & dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, & sémini ejus in sécula.

*Deinde dicitur Antiph. & Oratio conveniens.*

*Fit commemoratio de semiduplici aut simplici, si occurrat; deinde de Beata.*

*Ant.* Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítiâ, & æternâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. Amen.

*Sic terminatur Oratio prima & ultima.*

*In Ecclesiis ubi sancta Maria est patrona, non additur alia commemoratio. In aliis verò sic terminatur præcedens Oratio:* Per Christum Dóminum nostrum. *Et posteà fit commemoratio de patrono Ecclesiæ titulari.*

## AD COMPLETOR.

Converte nos, Deus salutáris noster:

℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84. 5.

℣. Deus, in adjutórium.

*Ant.* 8. G. Miserére.

PSALMUS 4.

*In Deo, non in divitiis spes collocanda.*

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatasti mihi.

Miserére meî, * & exaudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mi-

rificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrificium justítiæ, & speráte in Dómino : * multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine : * dedisti lætítiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idipsum * dórmiam, & requiescam :

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituisti me.

PSALMUS 90.

*Nil timendum iis qui ad Deum confugiunt.*

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino : Susceptor meus es tu, & refúgium meum : * Deus meus, sperábo in eum;

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi, * & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis à timóre nocturno,

A sagitta volante in die, à negótio perambulante in ténebris; * ab incursu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam; Tu es, Dómine, spes mea : * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum, * & flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, * ne fortè offendas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem & basiliscum ambulábis, * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum; * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exáudiam eum : cum ipso sum in tribulatióne; * erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & ostendam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

*Ecclesia cultores Domini ad Dei gloriam hortatur.*

ECce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri:

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

*Ant.* Miserére meî, Dómine, & exaudi oratiónem meam.

*Hymnus,* Deus creátor. *infrà post Psalterium.*

*Capitulum.* 1. Thess. 5. 5. 6.

OMnes vos filii lucis estis, & filii diéi: non sumus noctis, neque tenebrárum; ígitur non dormiámus sicut & cæteri, sed vigilémus & sóbrii simus.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, * Commendo spíritum meum. In manus. ℣. Redemisti nos, Dómine, Deus veritátis: * Commendo. Glória Patri. In manus. *Ps.* 30. 6.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupillam óculi: ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos. *Ps.* 16. 8.

*Ant.* 3. c. Salva nos.

*Cantic. Simeonis.* Luc. 2.

NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum in pace:

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parasti * ante fáciem ómnium populórum:

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel.

*Ant.* Salva nos, Dómine, vigilantes, custódi nos dormientes: ut vigilémus cum Christo, & requiescámus in pace.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem nostram, & omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper; Per Dñm nostrum.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*Finito Completorio, submissâ voce dicitur:* Benedícat & custódiat nos omnípotens & miséricors Dñs Pater, & Fílius, & Spíritus sanctus. ℟. Amen.

Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. Amen.

*Posteà dicitur una ex*

*Antiphonis de B. Maria Virgine, ut habentur infrà ad calcem Psalterii.*

*Post completum Officium dicitur secretò*, Pater, Ave, Credo.

FERIA SECUNDA AD OFFICIUM NOCT.

Dómine, lábia. *suprà* 1.

*Invit.* Veníte, exultémus Dómino, * Jubilémus Deo salutári nostro.

*Continuatur Psalmus* 94. Præoccupémus.

*Hymnus.*

QUODCUMQUE fœcundo sinu
Profers, Creátor, hoc tuum
In nos amórem cómprobat:
Nec est amóri sat datum.

FULGERE solē, qui regat
Mortálium gressus, parum est:
Ni lumen addas méntibus,
Roburque præstes péctori.

PRÆCEPTA das? intùs juvat
Stillans ab alto grátia:
Infers onus, sed dexterâ
Onus ferentem sústines.

AD alta dum nos éxcitas,
Pœnâ movens & præmio,
Vires ministras, árduis
Non ímpares labóribus.

QUIBUS remótis pátriâ,
Non est manens hîc cívitas,
Domum manu non cónditam
Fundas supernus ártifex.

BEATA gens quam pródigâ
Ditáre non cessas manu!
Amóris hæc memor tui,
Amóris & reddat vices.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. a. Omnia.

PSALMUS 103.

*Deus ab opificio & providentiâ celebratur.*

BEnedic, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer.

Confessiónem & decórem induisti, * amictus lúmine sicut vestimento.

Extendens cœlum sicut pellem, * qui tegis aquis superióra ejus;

Qui ponis nubem ascensum tuum, * qui ámbulas super pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos, spíritus, * & ministros tuos ignem urentem;

Qui fundasti terram super stabilitátem suam; * non inclinábitur in séculum séculi.

Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus; * super montes stabunt aquæ;

Ab increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Ascendunt montes, &

descendunt campi, * in locum quem fundasti eis.

Términum posuisti, quem non transgredientur; * neque convertentur operíre terram.

Qui emittis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransíbunt aquæ:

Potábunt omnes béstiæ agri; * expectábunt ónagri in siti sua:

Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis; * de fructu óperum tuórum satiábitur terra:

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam servitúti hóminum:

Ut edúcas panem de terra; * & vinum lætíficet cor hóminis:

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, & cedri Líbani quas plantávit; * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum: * montes excelsi cervis, petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuisti ténebras, & facta est nox: * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ sylvæ,

Cátuli leónum rugientes, ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, & congregáti sunt; * & in cubílibus suis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus suum, * & ad operatiónem suam usque ad vésperum.

*Divisio Psalmi 103.*

QUàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecisti: impléta est terra possessióne tuâ:

Hoc mare magnum, & spatiósum mánibus; * illic reptília, quorum non est númerus.

Animália pusilla cum magnis; * illic naves pertransíbunt.

Draco iste quem formasti ad illudendum ei; * ómnia à te expectant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent; * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte:

Avertente autem te fáciem, turbabuntur; * aúferes spíritum eórum, & defícient, & in púlverem suum revertentur.

Emittes Spíritum tuum, & creabuntur; * & renovábis fáciem terræ.

*Altera divisio Psalmi 103.*

SIt glória Dómini in séculum: * lætábitur Dñs in opéribus suis;

Qui réspicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucundum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres à terra, & iníqui, ita ut non sint; * bénedic, anima mea, Dómino.

*Ant.* Omnia in sapiéntia fecisti, Dñe: impléta est terra possessióne tuâ.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. F. Ipse Dóminus.

PSALMUS 104.

*Beneficia Israëlitis collata enumerantur.*

COnfitémini Dómino, & invocáte nomen ejus; * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit; * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus; * filii Jacob, electi ejus.

Ipse Dóminus Deus noster; * in universa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum testamenti sui; * verbi quod mandávit in mille generatiónes:

Quod dispósuit ad Abraham, * & juramenti sui ad Isaac:

Et státuit illud Jacob in præceptum; * & Israel in testamentum æternum,

Dicens, Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis vestræ;

Cùm essent número brevi, * paucíssimi & íncolæ ejus:

Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis, * & corrípuit pro eis reges:

Nolíte tángere christos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári.

*Divisio Psalmi* 104. Et

VOcávit [ Dóminus ] famem super terram; * & omne firmamentum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúndatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus;

Elóquium Dómini inflammávit eum; * misit

rex, & solvit eum; princeps populórum, & dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domûs suæ, * & príncipem omnis possessiónis suæ,

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetipsum, * & senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israel in Ægyptum, * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum vehementer; * & firmávit eum super inimícos ejus.

Convertit cor eórum, ut odírent pópulum ejus; * & dolum fácerent in servos ejus.

*Altera divisio Psalmi* 104.

MIsit [Dñs] Móysen servum suum, * Aaron quem elégit ipsum:

Pósuit in eis verba signórum suórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, & obscurávit: * & non exacerbávit sermónes suos.

Convertit aquas eórum in sánguinem; * & occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cœnomyía, & cínifes * in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburentem in terra ipsórum:

Et percussit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum:

Dixit, & venit locusta & bruchus, * cujus non erat númerus;

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percussit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et eduxit eos cum argento & auro: * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum: * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expandit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit coturnix: * & pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina:

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum:

Et eduxit pópulum suum in exultatióne, * & electos suos in lætítia;

Et dedit illis regiónes géntium ; * & labóres populórum possedérunt :

Ut custódiant justificatiónes ejus , * & legem ejus requírant.

*Ant.* Ipse Dóminus Deus noster : in universâ terrâ judícia ejus.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Vísita nos.

PSALMUS 105.

*Bonitas Dei : Judæorum ingratus animus.*

CONfitémini Dómino , quóniam bonus : * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini , * audítas fáciet omnes laudes ejus ?

Beáti qui custódiunt judícium , * & fáciunt justítiam in omni témpore.

Memento nostrî , Dómine , in beneplácito pópuli tui : * vísita nos in salutári tuo ;

Ad videndum in bonitáte electórum tuórum , ad lætandum in lætítia gentis tuæ ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

*Divisio Psalmi 105.*

PEccávimus cum pátribus nostris ; * injustè égimus , iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua : * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendentes in mare , * mare Rubrum ;

Et salvávit eos propter nomen suum ; * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et incrépuit mare Rubrum , & exsiccátum est ; * & deduxit eos in abyssis , sicut in deserto :

Et salvávit eos de manu odiéntium , * & redémit eos de manu inimíci :

Et opéruit aqua tribulantes eos ; * unus ex eis non remansit.

Et crediderunt verbis ejus ; * & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt , oblíti sunt óperum ejus , * & non sustinuérunt consílium ejus ;

Et concupiérunt concupiscéntiam in deserto ; * & tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum ; * & misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris ; * Aaron sanctum Dómini.

Aperta est terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit super congregatiónem Abiron.

Et exarsit ignis in synagóga eórum ; * flamma combussit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb ; * & adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedentis fœnum.

Oblíti sunt Deum qui salvávit eos,* qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos;* si non Móyses electus ejus stetisset in confractióne, in conspectu ejus,

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos: * & pro níhilo habuérunt terram desiderábilem.

Non credidérunt verbo ejus, & murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prostérneret eos in deserto,

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus,* & dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor: * & comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis: * & multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, & placávit; * & cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem & generatiónem usque in sempiternum.

Et irritavérunt eum ad Aquas contradictiónis: * & vexátus est Móyses propter eos,

Quia exacerbavérunt spíritum ejus; * & distinxit in lábiis suis.

*Altera divisio Psalmi 105.*

NOn disperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commixti sunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum, & serviérunt sculptílibus eórum; * & factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt filios suos * & fílias suas dæmóniis:

Et effudérunt sánguinem innocentem, sánguinem filiórum suórum & filiárum suárum, * quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infecta est terra in sanguínibus, & contamináta est in opéribus eórum; * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum; * & abominátus est hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium, * & domináti sunt eórum, qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, & humiliáti sunt sub mánibus eórum: * sæpe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo,

* & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cùm tribularentur, * & audívit oratiónem eórum:

Et memor fuit testamenti sui, * & pœnítuit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ:

Et dedit eos in misericórdias, * in conspectu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster; * & cóngrega nos de natiónibus:

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedictus Dñs Deus Israel à século, & usque in séculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

*Ant.* Vísita nos in salutári tuo, Dómine, ad videndum in bonitáte electórum tuórum.

℣. Benedictus Dóminus Deus Israel, ℟. A século, & usque in séculum. *Ps.* 40. 14.

Pater noster.

*Lectiones cum* ℟℟. *habentur in Prop. de Temp. & sic in sequentibus Feriis.*

*Non dicitur* Te Deum *in Feriis.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Exultábit cor meum in salutári tuo:

℟. Cantábo Dño qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12. 6.

℣. Deus, in adjutórium.

*Ant.* 5. a. Bonum est.

PSALMUS 91.

*Deus magnificus, justus vindex, ideo collaudandus.*

BOnum est confitéri Dómino: * & psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiandum manè misericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem.

In decachordo psaltério, * cum cántico, in cíthara.

Quia delectasti me, Dómine, in factúra tua: * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profundæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognoscet; * & stultus non intélliget hæc.

Cùm exorti fúerint peccatóres sicut fœnum: * & apparúerint omnes qui operantur iniquitátem.

Ut intéreant in séculum séculi: * tu autem Altíssimus in æternum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt; * & dispergentur omnes qui operantur iniquitátẽ.

Et exaltábitur sicut unicornis cornu meum, * & senectus mea in misericórdia úberi.

Et despexit óculus meus

inimícos meos : * & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit ; * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini , * in átriis domûs Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta úberi : * & bene patientes erunt , ut annúntient ,

Quóniam rectus Dóminus Deus noster , * & non est iníquitas in eo.

*Ant.* Bonum est psállere nómini tuo , Altíssime, ad annuntiandum manè misericórdiam tuam.

*Ant.* 8. c. Bonus Dñs.

PSALMUS 135.

*Deus mirabilis : ejus in suos providentia.*

CONfitémini Dómino , quóniam bonus, * quóniam in ætemum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum , * quóniam in ætemum misericórdia ejus.

Confitémini Dño dominórum , * quóniam in ætern̄u misericórdia ejus :

Qui facit mirabília magna solus , * quóniam in ætern̄u misericórdia ejus :

Qui fecit cœlos in intellectu, * quóniam in ætemum misericórdia ejus :

Qui firmávit terram super aquas , * quóniam in ætern̄u misericórdia ejus :

Qui fecit luminária magna , * quóniam in ætemum misericórdia ejus :

Solem in potestátem diéi , * quóniam in ætemum misericórdia ejus :

Lunam & stellas in potestátem noctis , * quóniam in ætemum misericórdia ejus.

*Ant.* Bonus Dóminus , in ætemum misericórdia ejus.

*Ant.* 4. a. Dóminus.

*Divisio Psalmi* 135.

[CONfitémini Dómino , quóniam bonus , * quóniam in ætemum misericórdia ejus : ]

Qui percussit Ægyptum cum primogénitis eórum , * quóniam in ætemum misericórdia ejus :

Qui eduxit Israel de médio eórum , * quóniam in ætemum misericórdia ejus :

In manu potenti , & bráchio excelso , * quóniam in ætemum misericórdia ejus :

Qui divísit mare Rubrum in divisiónes , * quóniam in ætemum misericórdia ejus.

Et eduxit Israel per médium ejus , * quóniam in ætern̄u misericórdia ejus :

Et excussit Pharaónem & virtútem ejus in mari Rubro,* quóniam in ætemum misericórdia ejus :

Qui tráduxit pópulum suum per desertum, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui percussit reges magnos, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Et occídit reges fortes, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Sehon regem Amorrhæórum, * quóniam in æternũ misericórdia ejus :

Et Og regem Basan, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Et dedit terram eórum hæreditátem, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Hæreditátem Israel servo suo,* quóniam in æternum misericórdia ejus :

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostrî, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Et redémit nos ab inimícis nostris, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui dat escam omni carni,* quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

*Ant.* Dóminus in humilitáte nostra memor fuit nostrî, & redémit nos ab inimícis nostris.

*Quando fit Officium de Feria, dicitur Canticum sequens.*

*Ant.* 7. d. Quis símilis tuî ?

*Cantic. Moysi.* Exod. 15.

CAntémus Dómino; gloriósè enim magnificátus est, * equum & ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, Omnípotens, nomen ejus; * currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare.

Electi príncipes ejus submersi sunt in mari Rubro, abyssi operuérunt eos; * descendérunt in profundum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine; déxtera tua, Dómine, percussit inimícum; * & in multitúdine glóriæ tuæ deposuisti adversários tuos.

Misisti iram tuam quæ devorávit eos sicut stípulam, * & in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens, *

congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar, & comprehendam; * dívidam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare; * submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendisti manum tuam, & devorávit eos terra; * dux fuisti in misericórdia tua pópulo quem redemisti:

Et portasti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & iráti sunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robustos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui.

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dómine; * donec pertránseat pópulus tuus iste quem possedisti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine,

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ: * Dñs regnábit in æternum, & ultrà:

Ingressus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare, * & reduxit super eos Dóminus aquas maris;

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

*Ant.* Quis símilis tuî, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília?

[ *In Festis, loco superioris Cantici, dicitur sequens*

*Canticum.* Eccli. 39.

Collaudáte cánticum, * & benedícite Dóminum in opéribus suis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * & confitémini illi in voce labiórum vestrórum, & in cánticis labiórum, & cítharis;

Et sic dicétis in confessióne: * Opera Dómini universa bona valde.

In verbo ejus stetit aqua sicut congéries: * & in sermóne oris illíus sicut exceptória aquárum;

Quóniam in præcepto

ipsíus placor fit, * & non eſt minorátio in ſalúte ipsíus.

Opera omnis carnis coram illo, * & non eſt quidquam abſcónditum ab óculis ejus.

A ſéculo uſque in ſéculũ réſpicit, * & nihil eſt mirábile in conſpectu ejus. ]

*Ant.* 3. c. Dómine.

PSALMUS 134.

*Iſrael beneficiis cumulatus : idolorum vanitas.*

LAudáte nomen Dómini, * laudáte, ſervi, Dóminum:

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * psállite nómini ejus, quóniam ſuáve.

Quóniam Jacob elégit ſibi Dóminus, * Iſrael in poſſeſſiónem ſibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus eſt Dóminus, * & Deus noſter præ ómnibus diis.

Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit, in cœlo, & in terra; * in mari, & in ómnibus abyſſis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit:

Qui prodúcit ventos de theſauris ſuis; * qui percuſſit primogénita Ægypti ab hómine uſque ad pecus:

Et miſit ſigna & prodígia in médio tuî, Ægypte; * in Pharaónem, & in omnes ſervos ejus.

Qui percuſſit gentes multas, * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan, * & ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Iſrael pópulo ſuo.

Dómine, nomen tuum in æternum: * Dñe, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem:

Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis deprecábitur.

Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non vidébunt:

Aures habent, & non áudient; * neque enim eſt ſpíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſrael, benedícite Dómino: * domus Aaron, benedícite Dño.

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedictus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jeruſalem.

*Ant.* Dómine, nomen tuum in æternum.

*Capitulum.* Prov. 8. 17.

EGo diligentes me díligo; & qui manè vígilant ad me, invénient me.

*Hymnus.*

O Mira Patris cháritas!
Sic ille dilexit suos,
Ut spontè Natum tráderet:
Servi sit obses filius.

Splendoris ímmemor sui,
Nostræ salútis sit memor:
Ut nos in altum próvehat,
Ad ima descendit Deus.

Per mille fusum vúlnera,
Totum dat orbi sánguinem:
Hoc fonte nascens grátia,
Terras inundans éxpiat.

Dum cæsa tortóris manu
Procumbit insons víctima,
Hanc ímmolat cœlo Pater,
Hanc mactat in terris amor.

Tantis minor miráculis
Mens óbstupet, vox déficit:
Tacére sed totis nequit
Amor medullis æstuans.

Erumpat ergo: te memor
Clamet parentem, qui mala
Præsentis ævi mítigas,
Spondes futúri præmia.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ, Dómine; ℟. Et exultávimus, & delectáti sumus. *Ps.* 89. 14.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 6. F. Benedictus Dóminus Deus Israel, quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ. *Luc.* 1.

*Preces, quando dicuntur, & suffragia, habentur infrà post Complet. Sabbati.*

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus,* Jam lucis. *infrà post Completorium Sabbati, & sic in aliis Feriis.*

*Ant.* 8. G. Quid est homo.

PSALMUS 8.

*Christi gloria, & potestas.*

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuũ in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronasti eum : * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves & boves universas, ínsuper & pécora campi;

Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

P S A L M U S 76.

*Consolatio spiritualis ex operibus Dei sumpta.*

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * & non sum deceptus.

Rénuit consolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus sum, & exercitátus sum; & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos; * & annos æternos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo; * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

Numquid in æternum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à generatióne in generatiónem?

Aut oblivíscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excelsi.

*Divisio Psalmi 76.*

MEmor fui óperum Dómini;* quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecisti in pópulis virtútem tuam; * redemisti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob, & Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ; * & timuérunt, & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ tránseunt: * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes

nes tuæ orbi terræ ; * commóta est & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis ; * & vestígia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi & Aaron.

*Ant.* Quid est homo, Dómine, quòd memor es ejus ? aut filius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8. 5.

*Capitulum, ℟. breve, & Preces, quando dicuntur, habentur post Completorium Sabbati, & sic in aliis Feriis.*

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus*, O fons. *infrà post Complet. Sabbati.*

*Ant.* 7. d. Deus meus.

PSALMUS 24.

*Justi oppressi, & opem poscentis humilis oratio.*

AD te, Dómine, levávi ánimam meā: * Deus meus, in te confido, non erubescam :

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim universi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me ; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

Delicta juventútis meæ & ignorántias meas * ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus ; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício ; * docébit mites vias suas.

Universæ viæ Dómini, misericórdia & véritas * requiréntibus testamentum ejus & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo ; * multum est enim.

*Divisio Psalmi* 24.

QUis est homo qui timet Dóminum ? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum, * & testamentum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad

Dóminum, * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére meî, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt; * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meã, & labórem meum, * & dimitte universa delicta mea.

Réspice inimícos meos, quóniã multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubescam, quóniam sperávi in te.

Innocentes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

PSALMUS 95.

*Ecclesiæ, pro Christi adventu, canticum.*

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos:

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspectu ejus, * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam & honórem; * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli & exultet terra, commoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dñi, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

*Ant.* Deus meus, in te confído, non erubescam. *Ps.* 24. 2.

*Capitulum.* Ephes. 5. 1. 2.

Estóte imitatóres Dei, sicut filii charíssimi; & ambuláte in dilectióne, sicut & Christus diléxit nos, & trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem, & hóstiam Deo in odórem suavitátis.

℟. *br.* Quid retríbuam Dómino, * Pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Quid retríbuam. ℣. Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus, * Pro ómnibus. Glória. Quid retríbuam. *Ps.* 115. 12. 14.

℣. Tibi, Dómine, sacrificábo hóstiam laudis, ℟. Et nomen Dómini invocábo. *Ibid.* 17.

*Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Compl. Sabb. Oratio conveniens.*

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus*, Jam solis. *infrà post Completor. Sabb.*

*Ant.* 6. F. Elégit.

PSALMUS 46.

*Laudatur Deus, quòd omnes gentes in unum Christi regnum coëant.*

Omnes gentes, pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dñs excelsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob quam diléxit.

Ascendit Deus in júbilo, * & Dñs in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite; * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus: * psállite sapienter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ vehementer eleváti sunt.

PSALMUS 97.

*Christus celebrandus, qui se sit omnibus exhibiturus, & orbem judicaturus.*

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum; * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, & voce psalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspectu regis Dómini: * moveátur mare, & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

PSALMUS 98.

*Christi potestas: ejus vestigia adoranda: exempla patrum.*

DOminus regnávit, irascantur pópuli; * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excelsus super omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno, quóniam terríbile & sanctum est: * & honor regis judícium díligit.

Tu parasti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecisti.

Exaltáte Dñm Deum nostrum, & adoráte scabellum pedum ejus, * quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus, * & Samuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos; * in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dñm Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus; * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

*Ant.* Elégit nobis hæreditátem suam quam diléxit Dóminus. *Ps.* 46. 5.

*Capitulum.* Rom. 8. 16. 17.

SPíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei. Si autem filii, & hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi.

℟. *br.* Confiteantur Dómino * Misericórdiæ ejus. Confiteantur. ℣. Et mirabília ejus fíliis hóminum: * Misericórdiæ. Glória Patri. Confiteantur. *Ps.* 106. 8.

℣. Quómodo miserétur pater filiórum, ℟. Misertus est Dóminus timéntibus se. *Ps.* 102. 13.

*Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Compl. Sabb. Oratio conveniens.*

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus*, Recédit, *infrà post Completor. Sabbati.*

*Ant.* 7. ç. In voluntáte tua.

PSALMUS 52.

*Impiorum infinitus numerus: adventus Christi exoptatur.*

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrupti sunt & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super filios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meā ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniā Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

PSALMUS 72.

*Improbi in hac vita felices: probi quòd sua quemque præmia maneant, consolatione levantur.*

QUàm bonus Israel Deus, * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes, * penè effúsi sunt gressus mei;

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns;

Quia non est respectus morti eórum, * & firmamentum in plaga eórum;

In labóre hóminum non sunt, * & cum homínibus non flagellabuntur.

Ideo ténuit eos supérbia; * operti sunt iniquitáte & impietáte suâ.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum; * transiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt & locúti sunt nequítiam, * iniquitátem in excelso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hîc; * & dies pleni invenientur in eis.

Et dixérunt: Quómodo scit Deus? * &, Si est sciéntia in Excelso?

Ecce ipsi peccatóres, & abundantes in século, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo sine causâ

justificávi cor meum, * & lavi inter innocentes manus meas.
Et fui flagellátus totâ die, * & castigátio mea in matutínis.
Si dicébam : Narrábo sic : * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.
Existimábam ut cognóscerem hoc : * labor est ante me,
Donec intrem in sanctuárium Dei, * & intélligam in novíssimis eórum.
Verúmtamen propter dolos posuísti eis ; * dejecísti eos, dum allevarentur.
Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbitò defecérunt ? * periérunt propter iniquitátem suam.
Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.
Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt ; * & ego ad níhilum redactus sum, & nescívi.
Ut jumentum factus sum apud te, * & ego semper tecum.
*Divisio Psalmi 72.*
TEnuísti [ Dómine ] manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxísti me, * & cum glória suscepísti me.
Quid enim mihi est in cœlo ? * & à te quid vólui super terram ?
Defécit caro mea, & cor meum : * Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum.
Quia ecce qui elongant se à te, períbunt ; * perdidísti omnes qui fornicantur abs te.
Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam :
Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis filiæ Sion.
*Ant.* In voluntáte tua deduxísti me, Dómine, & cum glória suscepísti me. *Ps.* 72. 24.
*Capitul.* 2. Thess. 1. 11. 12.
DIgnétur vos vocatióne suâ Deus noster, & ímpleat omnem voluntátem bonitátis, & opus fidei in virtúte, ut clarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in illo.
℟. *br.* Doce me fácere voluntátem tuam ; * Quia Deus meus es tu. Doce. ℣. Spíritus tuus bonus dedúcet me ; * Quia. Glória. Doce. *Ps.* 142. 10.
℣. In Deo salutáre meũ, & glória mea : ℟. Deus auxílii mei ; & spes mea in Deo est. *Ps.* 61. 8.
*Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Comp. Sabb. Oratio conveniens.*
AD VESPERAS.
℣. Deus, in adjutórium.

*Ant.* 2. D. Convértere.

P S A L M U S 114.

*Christus, mortis victor.*

DIlexi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * miséricors Dóminus, & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus; * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

*Ant.* Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, quia Dóminus benefécit tibi.

*Ant.* 8. G. Levávi.

P S A L M U S 120.

*Deus Ecclesiæ custos.*

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

*Ant.* Levávi óculos meos in montes: auxílium meum à Dómino.

*Ant.* 1. a. Adjutórium nostrum.

P S A L M U S 123.

*Ecclesia à periculis erepta: gratiarum actio.*

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutissent nos;

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransívit ánima nostra, * fórsitan

pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

*Ant.* Adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum & terram.

*Ant.* 5. a. Magnificávit Dóminus.

PSALMUS 125.

*Apostolorum Martyrumque labores & patientia.*

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum: * facti sumus lætantes.

Converte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant & flebant, * mittentes sémina sua.

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos suos.

*Ant.* Magnificávit Dóminus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

*Ant.* 6. F. Adhæreat.

PSALMUS 136.

*Flebilis captivi populi querimonia.*

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra:

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum:

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tuî.

Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dñe, filiórũ Edom, * in die Jerúsalem.

Qui dicunt, Exinaníte, exinaníte * usque ad fundamentum in ea.

Filia Babylónis mísera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuã, quam retribuisti nobis.

Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

*Ant.* Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non proposuéro Jerúsalem in princípio lætítiæ meæ.

*Capitulum.* Gen. 1. 6. 8.

DIxit quoque Deus: Fiat firmamentum in médio aquárum, & dívídat aquas ab aquis... Et factum est ita: vocavítque Deus firmamentum cœlum, & factum est véspere & mane dies secundus.

*Hymnus.*

DIGNAM paras sedem tibi,
Sublíme dum cœlũ, Deus,
Expandis, admirábile
Mortálibus spectáculum.

REX hâc in aulâ cérneris:
Nubes super fulget thronus;
Levésque ventórum super
Pennas, triumphans ámbulas.

ILLIC sonóros vítreo
Suspendis imbres álveo;
Et quas jubes, circúmvolans
Procella terras írrigat.

MITTIS nives & grándinem,
Rorísque gemmas párturis;
Fulmen vibras, & ígnibus
Armas tremendis fúlgura.

AT seu tonítru míscea s,
Seu rore terras récrees;
Natos amans, in ómnibus
Signas amóris pígnora.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Ad te, Dómine, clamávi totâ die: ℟. Lætífica ánimam servi tui. *Ps.* 85.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Magníficat ánima mea Dóminum; & exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. *Luc.* 1.

*Preces, si dicendæ sint, & Suffragia, habentur infrà post Complet. Sabbati.*

*Oratio, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica præcedenti.*

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos. Deus in adjutórium.

*Ant.* 2. D. Justum.

PSALMUS 6.

*Oratio pœnitentis, Dei misericordiam implorantis.*

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserere meî, Dómine, quóniam infirmus sum; * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde; * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam; * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis stratum meũ rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meã suscépit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur & erubescant valde velóciter.

PSALMUS 7.

*Salus justos manet; malos, interitus.*

DOmine Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Nequando rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitàs in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis:

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exurge, Dómine, in ira tua: * & exaltáre in fínibus inimicórum meórũ.

Et exurge, Dómine Deus meus, in præcepto quod mandasti: * & synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secundùm justítiam meã, * & secundùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, & díriges justum, * scrutans corda & renes, Deus.

Justum adjutórium meũ à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

*Divisio Psalmi 7.*

DEus judex justus, fortis & pátiens: * numquid iráscitur per síngulos dies?

Nisi conversi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit, & parávit illum:

Et in eo parávit vasa mortis; * sagittas suas ardentibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam; * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descendet.

Confitébor Dómino secundùm justítiam ejus: * & psallam nómini Dómini altíssimi.

*Ant.* Justum adjutórium meum à Dño, qui salvos facit rectos corde. *Ps.* 7. 11.

*Hymnus, Capitulum,* ℟. *breve, Antiph. ad* Nunc dimittis, *& Preces, quando dicuntur, habentur infrà post Complet. Sabbati.*

FERIA TERTIA AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Pópulus Dómini, & oves manûs ejus, * Veníte, adorémus.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

TE príncipem summo, Deus,
Jubes amóre díligi:
Tibi secundum prótinùs
Jubes amári próximum.

AMORE fundátam tuo
Communiónem réspice,
Quâ corpus unum plúrimi,
Unú cor, una mens sumus.

ILLAM fides & véritas
Amábili stipent choro:
Oblíquus hinc livor procul,
Et litis horror éxulent.

TU pacis auctor, mútuos
Adstringe nexus: da, Pater,
Gaudére fratrum gáudiis,
Da condolére flétibus.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. d. Quis requiescet.

PSALMUS 14.

*Quibus virtutum exercitiis salus obtineatur.*

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam;

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in lingua sua;

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos suos.

Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malígnus: * timentes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

PSALMUS 18.

*Deus tum ex operibus, tum ex sanctitate legis cognitus.*

CŒli enarrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam; * à summo cœlo egréssio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

*Divisio Psalmi 18.*

LEx Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, permanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occultis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redemptor meus.

*Ant.* Quis requiescet in monte sancto tuo, Dómine? qui operátur justítiam, nec fecit próximo suo malum. *Ps.* 14. 1. 2. 3.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 5. a. Non proponébam.

PSALMUS 71.

*Christi regnum pacificum, amplum, fælixque.*

DEus, judícium tuũ regi da, * & justítiam tuam filio regis:

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pa-

cem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet filios páuperum; * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes; * & inimíci ejus terram lingent.

*Divisio Psalmi 71.*

REges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent; * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem à potente; * & páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi, * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper; * totâ die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus; * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sécula; * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedictus Dñs Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum; * & replébitur majestáte ejus omnis terra: fiat, fiat.

PSALMUS 100.

*Bene vivendi forma: fugiendi mali.*

MIsericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psallam, & intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injustam; * facientes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum; * declinantem à me malignum non cognoscébam.

Dettrahentem secrétò próximo suo * hunc persequébar.

Superbo óculo & insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam: * qui lóquitur iniqua, non diréxit in conspectu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ; * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operantes iniquitátem.

*Ant.* Non proponébam ante óculos meos rem injustam: detrahentem secrétò próximo suo, hunc persequébar.

IN III. NOCTURNO.

*Ant.* 6. F. Adjúvit.

PSALMUS 106.

*Deus suos è variis periculis servare, & donis cumulare amat.*

COnfitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in sǽculum misericórdia ejus.

Dicant qui redempti sunt à Dño, quos redémit de manu inimíci: * & de regiónibus congregávit eos,

A solis ortu & occásu, * ab aquilóne & mari.

Erravérunt in solitúdine, in inaquóso: * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esurientes, & sitientes: * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum erípuit eos:

Et deduxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia satiávit ánimam inánem, * & ánimam esurientem satiávit bonis.

Sedentes in ténebris & umbra mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro:

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consíliũ Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum; * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularentur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et eduxit eos de ténebris, & umbrâ mortis, * & víncula eórum disrúpit.

Confiteantur Dño misericórdiæ ejus; * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

*Divisio Psalmi* 106.

SUscépit eos [ Dóminus] de via iniquitátis eórum : * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta est ánima eórum : * & appropinquavérunt usque ad portas mortis :

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularentur ; * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, & sanávit eos ; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus ; * & mirabília ejus fíliis hóminum :

Et sacríficent sacrificium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descendunt mare in návibus, * facientes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profundo.

Dixit, & stetit spíritus procellæ, * & exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, & moti sunt sicut ébrius ; * & omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularentur ; * & de necessitátibus eórum eduxit eos.

Et státuit procellam ejus in auram ; * & siluérunt fluctus ejus :

Et lætáti sunt quia siluérunt : * & deduxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminū :

Et exaltent eum in ecclésia plebis, * & in cáthedra seniórum laudent eum.

*Altera divisio Psalmi* 106.

POsuit [ Dóminus ] flúmina in desertum, * & éxitus aquárum in sitim ;

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desertum in stagna aquárum, * & terram sine aqua in éxitus aquárum :

Et collocávit illic esuriéntes, * & constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas ; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedixit eis, & multiplicáti sunt nimis ; * & jumenta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt ; * & vexáti sunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes; * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia; * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabuntur; * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, & custódiet hæc; * & intélliget misericórdias Dómini?

*Ant.* Adjúvit Dóminus páuperem de inópia: vidébunt recti, & lætabuntur.

℣. Exortum est in ténebris lumen rectis: ℟. Miséricors, & miserátor, & justus. *Ps.* 111. 4.

Pater noster.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33. 4.

*Ant.* 4. a. Qui non accépit.

PSALMUS 23.

*Imperium Christi; ipsius ad cœlos ascensus.*

DOmini est terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & universi qui hábitant in eo:

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dño, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras; & elevámini, portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dñs fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras; & elevámini, portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

*Ant.* Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo, hic accípiet benedictiónem à Dómino.

*Ant.* 5. a. Audiam.

PSALMUS 84.

*Finis captivitatis; futura Verbi incarnatio.*

BEnedixisti, Dómine, terram tuam, * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ, * operuisti ómnia peccáta eórum.

Mitigasti omnem iram tuam; * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster, * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu conversus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dñe, misericórdiam tuam; * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam,

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi, * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * & terra nostra dabit fructum suũ.

Justítia ante eum ambulábit; * & ponet in via gressus suos.

*Ant.* Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; quóniam loquétur pacem in plebem suam, & super sanctos suos.

*Ant.* 3. g. Tu Dóminus.

PSALMUS 96.

*Christi regnum: ille solus adorandus.*

DOminus regnávit, exultet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * justítia & judíciũ corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

*Ant.* Tu Dóminus altíssimus super omnem terram.

*Ant. 7. d.* Vivens.

*In Feriis, Canticum Ezechiæ.* Is. 38.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium: * non aspíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, & convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est, velut à texente, vita mea; dum adhuc ordírer, succídit me: * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea: * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sicut pullus hirúndinis sic clamábo, * meditábor ut columba.

Attenuáti sunt óculi mei, suspicientes in excelsum: * Dómine, vim pátior, responde pro me.

Quid dicam, aut quid respondébit mihi, * cùm ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei, * corrípies me, & vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima: * tu autem eruisti ánimam meam ut non períret:

Projecisti post tergum tuū * ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui descendunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódie: * pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac; * & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dñi.

*Ant.* Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, Dómine: pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

[ *In Festis, Canticum.* Eccli. 36.

MIserére nostrî, Deus ómnium, & réspice nos, * & ostende nobis lucem miseratiónum tuárum;

Et immitte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te, * ut

cognoſcant quia non eſt Deus, niſi tu, & enarrent magnália tua.

Alleva manum tuam ſuper gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conſpectu eórum ſanctificátus es in nobis, * ſic in conſpectu noſtro magnificáberis in eis;

Ut cognoſcant te, * ſicut & nos cognóvimus quóniam non eſt Deus præter te, Dómine.

Innova ſigna, & immúta mirabília: * gloríſica manum, & bráchium dextrum.

Excita furórem, & effunde iram: * tolle adverſárium, & afflíge inimícum.

Feſtína tempus, & memento finis, * ut enarrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui ſalvátur; * & qui péſſimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicéntium: Non eſt álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognoſcant quia non eſt Deus, niſi tu, & enarrent magnália tua;

Et hæreditábis eos, * ſicut ab inítio.

Miſerére plebi tuæ, ſuper quam invocátum eſt nomen tuum; * & Iſrael, quem coæquaſti primogénito tuo.

Miſerére civitáti ſanctificatiónis tuæ Jeruſalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * & glóriâ tuâ pópulum tuũ. ]

*Ant.* 1. D. Laudáte.

PSALMUS 150.

*Deus omni muſicæ genere laudandus.*

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ: * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

*Ant.* Laudáte Dóminum in ſanctis ejus: laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

*Capitul.* 1. Joan. 2. 8. 10.

MAndátum novum ſcribo vobis, quod verum eſt & in Chriſto, & in vobis; quia ténebræ tranſiérunt, & verum lumen jam lucet. Qui dicit

ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in ténebris eſt uſque adhuc. Qui díligit fratrem ſuum, in lúmine manet, & ſcándalum in eo non eſt.

*Hymnus.*

OMNES jubet, quos cóndidit
Æternus ómnium parens,
Amóre necti mútuo,
Uno movéri ſpíritu.

Vos ergo, pacis filii,
Unâ creáti déxterâ,
Unum quibus Chriſtus caput,
Amáre fratres díſcite.

VÆ, qui malignis ártibus,
Linguíſque lædunt próximum!
Væ dira qui ſpargit malus
Diſſenſiónum ſémina!

HINC blanda vox cedat procul,
Quæ pectus incautum ſubit,
Lapsúque cæco dúlcibus
Laudum venénis ínficit.

PER verba fuci neſcia
Jam véritas ſe détegat;
Reduxque terris, ómnium
Loquátur ore cháritas.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Filio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Deus in médio civitátis ſuæ; non commovébitur: ℟. Adjuvábit eam manè dilúculo. *Pſ.* 45. 6.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 7. a. Erexit Dóminus cornu ſalútis nobis in domo David púeri ſui, ſicut locútus eſt per os ſanctórum. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

*Ant.* 2. D. Cùm mihi.

PSALMUS 34.

*Chriſtus ab hoſtibus liberari deprecatur.*

JUdica, Dómine, nocentes me, * expugna impugnantes me.

Apprehende arma & ſcutum, * & exurge in adjutórium mihi.

Effunde frámeam, & conclúde adverſùs eos qui perſequuntur me; * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confundantur & revereantur * quærentes ánimam meam.

Avertantur retrorsùm & confundantur * cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti, * & ángelus Dñi coarctans eos.

Fiat via illórum ténebræ, & lúbricum, * & ángelus Dómini pérſequens eos.

Quóniam gratìs abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui, * ſupervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abſcondit, apprehendat

eum, * & in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino; * & delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

*Divisio Psalmi* 34.

SUrgentes testes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi molesti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam, * quasi lugens & contristátus, sic humiliábar.

Et adversùm me lætáti sunt, & convenérunt: * congregáta sunt super me flagella, & ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compuncti; tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne; * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies? * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in Ecclésia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè; * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur, * & in iracúndia terræ loquentes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum; * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidisti, Dómine, ne síleas; * Dómine, ne discédas à me.

*Altera divisio Psalmi* 34.

EXurge, & intende judício meo, * Deus meus & Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secundùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubescant & revereantur simul, * qui gratulantur malis meis.

Induantur confusióne & reveréntiâ, * qui magna loquuntur super me.

Exultent & læténtur qui volunt justítiam meá;

* & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

*Ant.* Cùm mihi molesti essent, quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam.

AD TERTIAM.

*Ant.* 1. f. Cum ímpiis non sedébo.

PSALMUS 25.

*Puræ conscientiæ in conspectu Dei humilis inquisitio.*

JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingressus sum, * & in Dómino sperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me;* ure renes meos & cor meum;

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, * & complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem univérsa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingressus sum; * rédime me, & miserére meî.

Pes meus stetit in directo; * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 49.

*Non ex cæsis victimis, sed ex animi puritate judicandi homines.*

DEus deórum Dóminus locútus est: * & vocávit terram,

A solis ortu usque ad occásum: * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus manifestè véniet: * Deus noster, & non silébit.

Ignis in conspectu ejus exardescet: * & in circúitu ejus tempestas válida.

Advocábit cœlum desursùm, * & terram, discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus, * quóniam Deus judex est.

Audi, pópulus meus, & loquar; Israel, & testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis árguam te: * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos:

Quóniam meæ sunt omnes feræ sylvárum, * jumenta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli: * & pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrificium laudis: * & redde Altíssimo vota tua.

Et invoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

*Divisio Psalmi* 49.

PEccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enarras justítias meas, & assúmis testamentum meũ per os tuum?

Tu verò odisti disciplínam, * & projecisti sermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo: * & cum adúlteris portiónem tuam ponebas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris, & adversùs filium matris tuæ ponébas scándalum: * hæc fecisti, & tácui.

Existimasti iníquè quòd ero tuî símilis: * árguam te, & státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum: * nequando rápiat, & non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me: * & illic iter, quo ostendam illi salutáre Dei.

*Ant.* Cum ímpiis non sedébo: inter innocentes circúmdabo altáre tuum, Dómine. *Ps.* 25. 5. 6.

*Capitulum.* Eccli. 35. 2. 3.

SAcrifícium salutáre, est atténdere mandátis, & discédere ab omni iniquitáte, & propitiatiónem litáre sacrifícii super injustítias: & deprecátio pro peccátis, recédere ab injustítia.

℟. *br.* Quis ascendet in montem Dómini, * Stabit in loco sancto ejus? Quis ascendet. ℣. Innocens mánibus & mundo corde, * Stabit in loco sancto ejus. Glória Patri. Quis ascendet. *Ps.* 23. 3. 4.

℣. Congregáte Dómino sanctos ejus, ℟. Qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia. *Ps.* 49. 5.

## AD SEXTAM.

*Ant.* 4. a. Justus.

### PSALMUS 36.

*Bonorum malorumque status longè dispar.*

NOli æmulári in malignántibus: * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent; * & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem: * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & spera in eo; * & ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, & judícium tuum tamquam merídiem: * súbditus esto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in via sua, * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, & derelínque furórem: * noli æmulári, ut malignéris.

Quóniam qui malignantur, exterminabúntur; * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusíllùm, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum, * & stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum; * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum suum:

Ut dejíciant páuperem & ínopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur; * confírmat autem justos Dóminus.

*Divisio Psalmi 36.*

NOvit Dóminus dies immaculatórum, * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diébus famis saturabúntur: * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini

mox

mox ut honorificáti fúerint & exaltáti; * deficientes, quemádmodum fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, & non solvet; * justus autem miserétur, & tríbuet.

Quia benedicentes ei hæreditábunt terram; * maledicentes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigentur, * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui, * & non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, & cómmodat, * & semen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum, * & inhábita in séculum séculi:

Quia Dóminus amat judícium, & non derelinquet sanctos suos; * in ætérnum conservabuntur.

Injusti punientur, * & semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in séculum séculi super eam.

*Altera divisio Psalmi 36.*

OS justi meditábitur sapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non supplantabuntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum, * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum cùm judicábitur illi.

Expecta Dñm, & custódi viam ejus; & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, videbis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicùt cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat; * & quæsívi eũ, & non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem: * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injusti autem disperíbunt simul; * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dño, * & protector eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos, * & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos, quia speravérunt in eo.

*Ant.* Justus totâ die miserétur & cómmodat; & semen illíus in benedictióne erit.

*Capitul.* 1. Joan. 3. 17-18.

QUi habúerit substántiam hujus mundi, & víderit fratrem suum

neçessitátem habére, & cláuserit víscera sua ab eo, quómodo cháritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo, neque linguâ, sed ópere & veritáte.

℟. *br*. Jucundus homo * Qui miserétur & cómmodat. Jucundus. ℣. In æternum non commovébitur, * Qui miserétur. Glória Patri. Jucundus.

℣. Dispersit, dedit paupéribus: ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps*. 111. 5. 6. 9.

AD NONAM.

*Ant*. 8. c. Tu, Dómine.

PSALMUS 108.

*Christus Judæ proditori, aliisque impiis dignas pœnas, sibique salutem precatur.*

DEus, laudem meā ne tacúeris: * quia os peccatóris, & os dolósi super me apertum est.

Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me: * & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi, * ego autem orábam.

Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * & ódiū pro dilectióne mea.

*Divisio Psalmi* 108.

COnstítue [Dómine] super eum peccatórem; * & diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci; * & episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutantes transferantur fílii ejus, & mendícent, * & ejiciantur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus; * & dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor; * nec sit qui misereátur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspectu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, & dispéreat de terra memória eórum; * pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam;

Et persecútus est hóminem ínopem & mendícum, * & compunctum corde mortificáre.

Et dilexit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo;

Et índuit malledictió-

nem ſicut veſtimentum ; * & intrávit ſicut aqua in interióra ejus , & ſicut óleum in óſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtimentum quo operítur, * & ſicut zona quâ ſemper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dñm,* & qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

Et tu, Dómine , Dómine, fac mecum propter nomen tuum ; * quia ſuávis eſt misericórdia tua.

*Altera diviſio Pſalmi* 108.

LIbera me , quia egénus & pauper ego ſum ; * & cor meum conturbátum eſt intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus ſum ; * & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.

Génua mea infirmáta ſunt à jejúnio ; * & caro mea immutáta eſt propter óleum.

Et ego factus ſum oppróbrium illis ; * vidérunt me, & movérunt cápita ſua.

Adjuva me , Dñe Deus meus ; * ſalvum me fac ſecundùm miſericórdiam tuã.

Et ſciant quia manus tua hæc : * & tu , Dómine, feciſti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces:* qui inſurgunt in me, confundantur ; ſervus autem tuus lætábitur.

Induantur , qui détrahunt mihi , pudóre ; * & operiantur ſicut diplóide confuſióne ſuâ.

Confitébor Dño nimis in ore meo , * & in médio multórum laudábo eum ;

Quia áſtitit à dextris páuperis , * ut ſalvam fáceret à perſequéntibus ánimam meam.

*Ant.* Tu , Dómine , fac mecum propter nomen tuum ; quia ſuávis eſt miſericórdia tua.

*Capitul.* Rom. 12. 16-18.

NOlíte eſſe prudentes apud voſmetipſos , nulli malum pro malo reddentes , providentes bona non tantùm coram Deo , ſed étiam coram ómnibus homínibus. Si fieri poteſt , quod ex vobis eſt , cum ómnibus homínibus pacem habentes.

℟. *br.* Poſuérunt adversùm me * Mala pro bonis. Poſuérunt. ℣. Et ódium pro dilectióne mea , * Mala pro bonis. Glória. Poſuérunt. *Pſ.* 108. 5.

℣. Si réddidi retribuéntibus mihi mala , ℟. Décidam méritò ab inimícis meis inánis. *Pſ.* 7. 5.

## AD VESPERAS.

*Ant.* 3.g. Multũ íncola fuit.

PSALMUS 119.

*Chriſti manſuetudo & patientia.*

AD Dñm, cùm tribulárer, clamávi , * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam

meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

*Ant.* Multùm íncola fuit ánima mea, Dómine: cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus.

*Ant.* 1. f. Propter fratres meos.

PSALMUS 121.

*Ecclesiæ concordia, pietas & justitia celebrantur.*

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dñi íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem;

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini; * testimónium Israël, ad confiténdum nómini Dñi.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

*Ant.* Propter fratres meos & próximos meos, loquébar pacem de te, Jerúsalem.

*Ant.* 7. d. Quàm bonum.

PSALMUS 132.

*Fraternæ charitatis beatitudo.*

ECce quàm bonum, & quàm jucundum, * habitáre fratres in unũ!

Sicut unguentum in cápite, * quod descendit in barbam, barbam Aaron,

Quod descendit in oram vestimenti ejus; * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion:

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónẽ, * & vitam usque in séculum.

*Ant.* Quàm bonum, & quàm jucundum, habitáre fratres in unum!

*Ant.* 8. G. In misericórdia.

PSALMUS 140.

*Lingua coercenda: in afflictionibus patientia.*

DOmine, clamávi ad te, exaudi me; * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspectu tuo : * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusandas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem ; * & non communicábo cũ electis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, & increpábit me ; * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea in beneplácitis eórum : * absorpti sunt juncti petræ júdices eórũ.

Audient verba mea, quóniam potuérunt ; * sicut crassitúdo terræ erupta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secùs infernum:* quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei ; in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * & à scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego, donec tránseam.

*Ant.* In misericórdia justus increpábit me ; óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

*Ant.* 6. F. Me expectant.

PSALMUS 141.

*Humanâ ope destituta, contra insectatores auxilium implorat Ecclesia.*

VOce meâ ad Dóminum clamávi ; * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

Effundo in conspectu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio,

In deficiendo ex me spíritum meum ;* & tu cognovisti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram,& vidébam,*& non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me, * & non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine :* dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam,* quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me, * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam, ad confitendum nómini tuo : * me expectant justi, donec retríbuas mihi.

*Ant.* Me expectant justi, donec retríbuas mihi, Dómine.

*Capitulum.* Gen. 1. 9-13.

DIxit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appáreat árida; & factum est ita: & vocávit Deus áridam terram, congregationésque aquárum appellávit mária; & vidit Deus quòd esset bonum. Et ait: Gérminet terra herbam virentem, Et facientem semen..... & factum est véspere & mane dies tértius.

*Hymnus.*

JUBES, & in præceps, Deus,
Hinc inde cónfluunt aquæ:
Exurgit immensum mare;
Siccáta tellus énatat.

FONTES creas & flúmina;
Maríque ponis límites;
Littus ferítur? flúctuum
Frangis sonóros ímpetus.

NON passa soles tórridos,
Nec dente secta vómeris,
Sed sponte tellus pródigo
Opes sinu fundit suas.

POMIS gravantur árbores,
Arvi renídent flóribus:
Herbæ virent & décidunt,
Ex se supérstites sibi.

HANC tu colendá qui tuis
Terram dedisti filiis,
Quos unus orbis cóntinet,
Fac una jungat cháritas.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Audiant mansuéti, & læténtur. *Ps.* 33. 3.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Respexit Deus humilitátē ancillæ suæ. *Luc.* 1.

AD COMPLETOR.

*Ant.* 7. ç. Tu remisisti.

PSALMUS 12.

*Animæ fidelis in adversitate deprecatio.*

USquequò, Dómine, oblivísceris me in finem? * úsquequò avertis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, & exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte: * nequando dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino qui bona tríbuit mi-

hi, * & psallam nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 31.

*Pia adhortatio ut quisque à peccatis se abstrahat.*

BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes, * & quorũ tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci; * & injustítiam meam non abscondi.

Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meam Dómino: * & tu remisisti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & ínstruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intellectus.

In camo & fræno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris: * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, justi; * & gloriámini omnes recti corde.

PSALMUS 78.

*Urbis vastitas; pollutio templi; persecutiones prædictæ.*

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum, * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem; * & non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris, * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò, Dómine, irascéris in finem, * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in

gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárũ, citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, * & propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuũ:

Ne fortè dicant in géntibus: Ubi est Deus eórum? * & innotescat in natiónibus coram óculis nostris,

Ultio sánguinis servórũ tuórum, qui effúsus est: * intróeat in conspectu tuo gémitus compeditórum.

Secundùm magnitúdinem bráchii tui, * póssíde fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

*Ant.* Tu remisisti impietátem peccáti mei: pro hac orábit ad te omnis sanctus. *Ps.* 31. 5. 6.

FERIA QUARTA
AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Non repellet Dóminus plebem suam: * Veníte, adorémus.

*Psal.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

ALTO Tonantis è throno,
Divína spes, delábere;
Te redde terris; en tua
Natíva te sedes vocat.

PROMISSA virtúti bona
Nostris reclúde córdibus;
Gravíque demissas situ
Ad alta mentes érige.

UT servus in manus heri
Intenta figit lúmina,
Sic ora sanctis móntibus
Non dimovémus ánxii.

HINC cùm labat formídinis
Mens acta sævo túrbine;
Afflante te, renáscitur
Quies amíca péctori.

HINC pœnitenti dum gemunt
Dolóre fracta péctora,
Culpæ dolórem víndicem
Offers ministra Númini.

TU, DUM vagámur náufrago
Inter procellas æquore,
Nos, spes, procellis fórtior,
Ripæ salútis ádmove.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 3. *à.* Sperent in te.

PSALMUS 9.

*Impiorum eversor Deus, idemque pauperum defensor.*

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te: * psallam nómini tuo, Altíssime.

In convertendo inimícum meum retrorsùm; * infirmabuntur, & períbunt à fácie tua.

Quóniam fecisti judícium meum, & causam meam: * sedisti super thronum qui júdicas justítiam.

Increpasti gentes, & périit ímpius; * nomen eórum delesti in æternum, & in séculum séculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem, * & civitátes eórum destruxisti.

Périit memória eórum cum sónitu, * & Dóminus in æternum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum; * & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion;* annuntiáte inter gentes stúdia ejus;

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est: * non est oblítus clamórem páuperum.

*Divisio Psalmi 9.*

Miserére meî, Dñe: * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exaltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis filiæ Sion.

Exultábo in salutári tuo: * infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto quem abscondérunt, * comprehensus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárũ comprehensus est peccátor.

Convertantur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exurge, Dómine, non confortétur homo: * judicentur gentes in conspectu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos: * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

*Altera divisio Psalmi 9.*

UT quid, Dómine, recessísti longè? * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secundùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus, * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine, & dolo: * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocentem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem: * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, & cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus, * avertit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas; * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & maligni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in séculum séculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupillo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

*Ant.* Sperent in te, qui novérunt nomen tuum; quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 8. G. Filii.

PSALMUS 77.

*Beneficia Judæis præstita.*

ATténdite, pópule meus, legem meã; * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum, * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea; * & patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta à filiis eórum, * in generatióne áltera.

Narrantes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob, * & legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris, nota fácere ea filiis suis; * ut cognoscat generátio áltera:

Filii qui nascentur, & exurgent, * & narrábunt filiis suis;

Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant;

Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava & exásperans:

Generátio quæ non diréxit cor suum, * & non est créditus cum Deo spíritus ejus.

*Divisio Psalmi 77.*

FIlii Ephrem intendentes & mittentes arcum, * conversi sunt in die belli.

Non custodiérunt testamentum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ ostendit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perduxit eos; * & statuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diéi, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo; * & adaquávit eos velut in abysso multa.

Et eduxit aquam de petra, * & deduxit tamquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excelsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis.

Et malè locúti sunt de Deo; * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre mensam in desérto?

Quóniam percussit petram, & fluxérunt aquæ, * & torrentes inundavérunt.

Numquid & panem pó-

terit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideo audívit Dóminus, & dístulit: * & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israël;

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper, * & jánuas cœli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducandum, * & panem cœli dedit eis.

Panem Angelórũ manducávit homo: * cibária misit eis in abundántia.

*Altera divisio Psalmi 77.*

TRánstulit [ Dóminus ] Austrum de cœlo, * & induxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * & sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & saturáti sunt nimis; & desidérium eórum áttulit eis: * non sunt fraudáti à desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei ascendit super eos.

Et occídit pingues eórũ, * & electos Israël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebantur, & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * & Deus excelsus redemptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * & linguâ suâ mentíti sunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non disperdet eos.

*Ant.* Filii qui nascentur, narrábunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. *d.* Abstulit.

*Ex Psalmo* 77. Et

ABundávit [ Dóminus ] ut avérteret iram suam, * & non accendit omnem irã suam.

Et recordátus est quia caro sunt; * spíritus vadens, & non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in deserto; * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et conversi sunt, & tentavérunt Deum, * & sanctũ Israël exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis.

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * & prodígia sua in campo Táneos.

Et convertit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíá, & comédit eos; * & ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locustæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini jumenta eórum, * & possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ, * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, non pepercit à morte animábus eórum, * & jumenta eórum in morte conclúsit;

Et percussit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

*Divisio Psalmi 77.* Et.

ABstulit [ Dñs ] sicut oves pópulum suum, * & perduxit eos tamquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem, quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * & sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum, * tribus Israël.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excelsum, * & testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, & non servavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis, * & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & sprevit, * & ad níhilum redégit valde Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum; * & hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comé-

tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meã : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos ; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegisti, & assumpsisti ; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè ;

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ ; * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis : * éxitus matutíni & véspere delectábis.

Visitasti terram, & inebriasti eam ; * multiplicasti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parasti cibum illórum ; * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus ; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ ; * & campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguescent speciósa desérti, * & exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

*Ant.* Exaudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium fínium terræ.

*Ant.* 1. a. Ecce.

*In Feriis, Cantic. Isaiæ.* 12.

Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * conversus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus ; * fiduciáliter agam, & non timébo.

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris ; * & dicétis in die illa : Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excelsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit : * annuntiáte hoc in universa terra.

Exulta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tui Sanctus Israël.

*Ant.* Ecce Deus salvátor meus ; fiduciáliter agam, & non timébo.

¶ *In Festis, Canticum.* Tob. 13.

MAgnus es, Dómine, in æternum, * & in ómnia sécula regnum tuum.

Quóniam tu flagellas, & salvas: dedúcis ad ínferos, & redúcis; * & non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, filii Israël, * & in conspectu géntium laudáte eum;

Quóniam ídeo dispersit vos inter gentes quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus;

Et faciátis scire eos, * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras; * & ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timóre & tremóre confitémini illi; * Regémque sæculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi; * quóniam ostendit majestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatóres, & fácite justítiam coram Deo, * credentes quòd fáciat vobiscum misericórdiam suam.

Ego autem & ánima mea, * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes electi ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

*Ant.* 6. F. Beneplácitum est.

PSALMUS 146.

*Deus ex sua in populum suum providentia laudatur.*

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit jucunda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus, * dispersiónes Israélis congregábit;

Qui sanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum;

Qui númerat multitúdinem stellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus; * & sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara;

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam servitúti hóminum;

Qui dat jumentis escam ipsórum, * & pullis cor-

vórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit ; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

*Ant.* Beneplácitum est Dómino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

*Capitulum.* Is. 26. 8-9.

IN sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te : nomen tuū, & memoriále tuum in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte ; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

*Hymnus.*

PROMITTIS, & servas datam
Immóbilis fidem, Deus ;
Hanc mane primo, sédulâ
Repóscimus fidem prece.

PROMITTIT, atque décipit
Incertus & fallax homo :
Sic quassa, si incumbas super,
Arundo transfiget manū.

BEATUS ergo qui tuo
Se totus abdit in sinu !
Hac arce tutum, túrbinis
Vis nulla de statu quatit.

NE cor vacillet, óbligas
Temet sacramento, Deus:
Spes nixa tanto pígnore,
Æterna jam prensat bona.

JAM mente præsúmens polum,
Secúra sublími throno
Assistit, & cœléstium
Prælíbat undas flúminū.

QUI nos creávit, laus Patri ;
Laus, qui redémit, Fílio ;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuā ;
℟. Quia in te sperávi. Ps. 142. 8.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1.g. Jurávit Dóminus datúrū se nobis, ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, serviámus illi. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

*Ant.* 8. c. Ego.

PSALMUS 30.

*Vox Christi, & fidelium se Deo in mœrore committentium.*

IN te, Dómine, sperávi, non confundar in æternum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii, * ut salvum me fácias ;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu ; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi, * quóniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpíritum meum : * redemiſti me, Dómine Deus veritátis.

Odiſti obſervantes vanitátes * ſupervácuè.

Ego autem in Dómino ſperávi : * exultábo & lætábor in miſericórdia tua:

Quóniam reſpexiſti humilitátem meam, * ſalvaſti de neceſſitátibus ánimam meam.

Nec concluſiſti me in mánibus inimíci ; * ſtatuiſti in loco ſpatióſo pedes meos.

*Diviſio Pſalmi* 30.

MIſerére meî, Dómine, quóniam tríbulor : * conturbátus eſt in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbrium, & vicínis meis valde, * & timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt à me : * oblivióni datus ſum tamquam mórtuus à corde.

Factus ſum tamquam vas pérditum : * quóniam audívi vituperatióne multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent ſimul adversùm me : * accípere ánimam meã conſiliáti ſunt.

Ego autem in te ſperávi, Dómine ; * dixi : Deus meus es tu : in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequéntibus me.

Illuſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in miſericórdia tua : * Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubeſcant ímpii, & deducantur in inférnum : * muta fiant lábia dolóſa.

Quæ loquuntur adversùs juſtum iniquitátem, * in ſupérbia, & in abuſióne.

*Altera diviſio Pſalmi* 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abſcondiſti timéntibus te !

Perfeciſti eis qui ſperant in te, * in conſpectu filiórum hóminum.

Abſcondes eos in abſcóndito faciéi tuæ * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus :

* quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ : * Projectus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudisti vocem oratiónis meæ , * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam veritátem requíret Dóminus , & retríbuet abundanter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite , & confortétur cor vestrum , * omnes qui sperátis in Dómino.

*Ant.* Ego in Dómino sperávi : exultábo , & lætábor in misericórdia tua.

AD TERTIAM.

*Ant.* 4. A. Spera in Deo.

PSALMUS 41.

*Solatium justi, spes melioris vitæ, rerumque divinarum meditatio.*

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meã, * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea ? * & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

*Divisio Psalmi 41.*

AD meipsum ánima mea conturbáta est ; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Susceptor meus es ;

Quare oblítus es meî ? * & quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus ?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei ;

. Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus ? * quare tristis es, ánima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 42.

*De spe in Deo habendâ in persecutionibus.*

JUdica me, Deus, & discerne causam meá de gente non sancta : * ab hómine iníquo & dolóso érue me;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulisti ? & quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus ?

Emitte lucem tuam & veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

*Ant.* Spera in Deo, ánima mea : salutáre vultûs mei, & Deus meus.

*Capitulum.* Rom. 15. 4.

QUæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ; ut per patiéntiam, & consolatiónem Scripturárum, spem habeámus.

℟. *br.* Memor esto verbi tui, Dómine, * In quo mihi spem dedisti. Memor esto. ℣. Hæc me consoláta est, quia elóquium tuum vivificávit me, * In quo mihi spem dedisti. Glória. Memor esto.

℣. Respondébo exprobrántibus mihi verbum ; ℟. Quia sperávi in sermónibus tuis. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

*Ant.* 2. D. Qui sperat.

PSALMUS 20.

*Christi regnum, potestas, & victoria.*

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex, * & super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuisti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudasti eum :

Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, * & tribuisti ei longitúdinem diérum in séculum, & in séculum séculi.

Magna est glória ejus

in salutári tuo : * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi, * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino, * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos ; & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * & semen eórum à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum:* in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

PSALMUS 102.

*Deus prædicandus ; innumerabilia ejus beneficia.*

BEnedic, ánima mea, Dómino, * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivisci omnes retributiónes ejus ;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis ; * qui sanat omnes infirmitátes tuas ;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam ; * qui coronat te in misericórdia & miseratiónibus ;

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * filiis Israël voluntátes suas.

*Divisio Psalmi 102.*

MIserátor & miséricors Dóminus, * longánimis, & multùm miséricors :

Non in perpétuum irascétur, * neque in æternum comminábitur :

Non secundùm peccáta nostra fecit nobis, * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis :

Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericórdiam suam super timentes se.

Quantùm distat ortus ab occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misertus est

Dóminus timéntibus se; * quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum:

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsistet; * & non cognoscet ámpliùs locum suum:

Misericórdia autem Dómini ab æterno, * & usque in æternum super timentes eum;

Et justítia illíus in filios filiórum, * his qui servant testamentum ejus:

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciendum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam, * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, facientes verbum illíus, * ad audiendam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dño, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dño.

*Ant.* Qui sperat in Dño, in misericórdia Altíssimi non commovébitur. *Ps.* 20.

*Capitul.* 1. Joan. 3. 2-3.

NUnc filii Dei sumus, & nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus, quóniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut & ille sanctus est.

℟. *br.* Beátus vir, * Cujus est nomen Dómini spes ejus. Beatus vir. ℣. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas: * Cujus est. Glória Patri. Beátus vir. *Ps.* 39. 5.

℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli: ℟. Effúndite coram illo corda vestra. *Ps.* 61. 9.

## AD NONAM.

*Ant.* 8. c. Factus est.

### PSALMUS 81.

*Injustè jura administrantibus exitium certum.*

DEus stetit in synagóga deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno & pupillo; * húmilem & páuperem justificáte.

Erípite páuperem, * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

Ego dixi : Dii eſtis , * & filii Excelſi omnes.

Vos autem ſicut hómines moriémini , * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge , Deus , júdica terram ; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 93.

*Deus ſuperborum oſor , & vindex.*

DEus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberé egit.

Exaltáre , qui júdicas terram : * redde retributiónem ſuperbis.

Uſquequo peccatóres , Dómine , * úſquequo peccatóres gloriabuntur ?

Effabuntur & loquentur iniquitátem , * loquentur omnes qui operantur injuſtítiam ?

Pópulum tuum, Dómine , humiliavérunt , * & hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt , * & pupillos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus , * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite , inſipientes in pópulo ; * & ſtulti , aliquando ſápite.

Qui plantávit aurem , non áudiet ? * aut qui finxit óculum , non conſíderat ?

Qui córripit gentes, non árguet ; * qui docet hóminem ſciéntiam ?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum , * quóniam vanæ ſunt.

*Diviſio Pſalmi 93.*

BEátus homo , quem tu erudíeris , Dómine , * & de lege tua docúeris eum ;

Ut mítiges ei à diébus malis , * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repellet Dóminus plebem ſuam , * & hæreditátem ſuam non derelinquet ;

Quoadusque juſtítia convertátur in judícium , * & qui juxta illam omnes qui recto ſunt corde.

Quis conſurget mihi adversùs malignantes ? * aut quis ſtabit mecum adversùs operantes iniquitátẽ ?

Niſi quia Dóminus adjúvit me , * paulò minùs habitaſſet in inferno ánima mea.

Si dicébam : Motus eſt pes meus ; * miſericórdia tua , Dómine , adjuvábat me.

Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo , * conſolatiónes tuæ lætificáverunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitátis , * qui fingis labórem in præcepto ?

Captábunt in ánimam justi, * & sánguinem innocentē condemnábunt.

Et factus est mihi Dñs in refúgium, * & Deus meus in adjutórium spei meæ;

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; & in malítia eórum disperdet eos: * disperdet illos Dóminus Deus noster.

*Ant.* Factus est mihi Dóminus in refúgium, & Deus meus in adjutórium spei meæ. *Ps.* 93.

*Capitul.* Hebr. 10.35-36.

NOlíte amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónē: patiéntia enim vobis necessária est, ut voluntátem Dei facientes, reportétis promissiónem.

℟. *br.* Bonum est confídere in Dño, * Quàm confídere in hómine. Bonum est. ℣. Bonum est * speráre in Dño, * Quàm confídere in hómine. Glória. Bonum est. *Ps.* 117. 8. 9.

℣. Mihi adhærére Deo bonum est: ℟. Pónere in Dómino Deo spem meā. *Ps.* 72. 28.

AD VESPERAS.

*Ant.* 7. d. Oculi nostri.

PSALMUS 122.

*Ecclesiæ oratio contra impiorum calumnias.*

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce, sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum;

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne.

Quia multùm repléta est ánima nostra, * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

*Ant.* Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

*Ant.* 5. a. Qui confídunt.

PSALMUS 124.

*Fidelium, Deus ipse tutela: iniqui perituri.*

QUi confídunt in Dómino, sicut mons Sion: * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem:

Montes in circúitu ejus; * & Dóminus in circúitu pópuli sui ex hoc nunc, & usque in séculum:

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dñs cum operántibus iniquitátem: * pax super Israël.

*Ant*. Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion: non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

*Ant*. 8. c. Nisi Dóminus.

PSALMUS 126.

*Vani hominum labores quibus Deus non opitulatur.*

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum: ecce hæréditas Dómini, filii; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

*Ant*. Nisi Dóminus custodíerit civitátem, frustrà vígilat qui custódit eam.

*Ant*. 1. a. Sustínuit.

PSALMUS 129.

*Redemptio, pœnitenti per Christum promissa.*

DE profundis clamávi ad te, Dñe: * Dñe, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine, * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

*Ant*. Sustínuit ánima mea in verbo ejus: sperávit ánima mea in Dño.

*Ant*. 4. E. Speret.

PSALMUS 130.

*Humilitas & modestia; gratum Deo sacrificium.*

DOmine, non est exaltátum cor meum; * neque eláti sunt óculi mei:

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dño, * ex hoc nunc & usque in séculũ.

*Ant*. Speret Israel in Dño.

*Capitulum.* Gen. 1. 14.

DIxit autem Deus: Fiant luminária in firmamento cœli, & dívidant diem ac noctem, & sint in signa & témpora, & dies & annos, ut lúceant in firmamento cœli, & illúminent terram... Et factum est véspere & mane dies quartus.

*Hymnus.*

QUANTA per orbem glória
Fulges, Creátor síderum!
His te Deum micántibus
Offers legendum lítteris.

VIS? Luna solque pródeunt:
Stellæque dicunt, Adsumus:
Et quas jubes perámbulant
Motu perenni sémitas.

DUM cúrsibus lustrant suos
Recursibusque límites,
Terram faces illúminant,
Discríminantque témpora.

AT ipse cœlórum decus
Sol novit occásus suos:
Sunt certa lunæ témpora,
Statíque lapsus síderum.

SIC rapta jugi túrbine
Furantur & reddunt diem:
Tu semper idem, néscius
Mortálium spem fállere.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. A custódia matutína usque ad noctem, ℟. Speret Israël in Dño. *Ps.* 129. 6.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc.* 1.

## AD COMPLETOR.

*Ant.* 4. E. Conserva me.

PSALMUS 10.

*Vox justi in Deo confidentis, ejusque judicia meditantis.*

IN Dómino confído; quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, * ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo; * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminũ.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dñs, & justítias dilexit: * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 13.

*Impiorum malitia : justis, ex adventu Christi salus exoptatur.*

DIxit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrupti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonũ, non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eórum; linguis suis dolósè agébant; * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum est : * velóces pedes eórum ad effundendum sánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt : * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis ?

Dóminum non invocavérunt ; * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dñs in generatióne justa est ; consíliũ ínopis confudistis, * quóniam Dñs spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël ? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

PSALMUS 15.

*Pars justorum, Deus : resurrectionis spes.*

COnserva me, Dñe, quóniam sperávi in te :* dixi Dño : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris ; * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelle-ctum : * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspectu meo semper: * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea; * ínsuper & caro mea requiescet in spe:

Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno: * nec dabis sanctum tuũ vidére corruptiónem.

Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

*Ant.* Conserva me, Dómine, quóniam sperávi in te. *Ps.* 15.

FERIA QUINTA AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Hódie si vocem Dómini audiéritis, * Nolíte obduráre corda vestra.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

O Luce qui mortálibus
Lates inaccessâ, Deus,
Cùm per fidẽ nos édoces,
Te promis & celas simul.

Vim mentis excellunt tuo
Edocta verbo, nec tamen
Adversa menti; hinc créditur,
Latentque velo crédita.

Hinc plena vero Númine,
Victrixque facta sénsuũ,
Movet fides, & ábditur
Manus moventis péctora.

Foris inermis, íntimo
Debellat orbem róbore;
Suóque victis párturit
Jugem triumpho glóriam.

Vetus recensque cólligit
Ætátis omnis filios,
Suisque rugis púlchrior
Est virgo semper íntegra.

Ab hoste pressa plúrimo
Conflíctibus fit firmior:
Venti ruunt: tument aquæ;
Stat pulsa rupes æquore.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. f. Rectum est verbum Dómini.

PSALMUS 19.

*Christi preces & sacrificium pro suis acceptari, plebs ejus poscit.*

Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui, * & holocaustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secundùm cor tuum, * & omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in salutári tuo, * & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas:* nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis ; * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt ; * nos autem surréximus, & erecti sumus.

Dómine, salvum fac regem;* & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 32.

*Summa Dei creatoris in homines benignitas & providentia.*

EXultáte, justi, in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara, * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum, * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium : * misericórdiâ Dñi plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt; * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesauris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quóniam ipse dixit, & facta sunt : * ipse mandávit, & creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in æternum manet ; * cogitatiónes cordis ejus in generatióne & generatiónem.

*Divisio Psalmi 32.*

BEáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respexit Dóminus, * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respexit super omnes qui hábitant terram ;

Qui finxit singillátim corda eórum ; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem ; * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem ; * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * &

in eis qui sperant super misericórdia ejus :

Ut éruat à morte ánimas eórum , * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum ; * quóniam adjútor & protector noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum , * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua , Dómine , super nos , * quemádmodum sperávimus in te.

*Ant.* Rectum est verbum Dómini , & ómnia ópera ejus in fide. *Ps.* 32.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. d. Dóminus.

PSALMUS 67.

*Carmen triumphale , de Christi victoriis , & Ecclesiæ cursu.*

EXurgat Deus , & dissipentur inimíci ejus ; * & fúgiant , qui odérunt eum , à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, deficiant ; * sicut fluit cera à fácie ignis , sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epulentur , & exultent in conspectu Dei, * & delectentur in lætítia.

Cantáte Deo , psalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei qui ascendit super occásum ; Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspectu ejus ; * turbabuntur à fácie ejus , patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo ; * Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine ; * simíliter eos qui exásperant , qui hábitant in sepulchris.

Deus , cùm egrederéris in conspectu pópuli tui , * cùm pertransíres in deserto ,

Terra mota est ; étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sinaï , * à fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis , Deus , hæreditáti tuæ ; * & infirmáta est,tu verò perfecisti eam.

Animália tua habitábunt in ea : * parasti in dulcédine tua páuperi , Deus.

*Divisio Psalmi 67.*

DOminus dabit verbum evangelizántibus , * virtúte multâ.

Rex virtútum dilecti , dilecti ; * & speciéi domûs divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros ; pennæ columbæ deargentátæ , * & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam,nive dealbabuntur in Selmon : * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis ; * ut quid suspicámini montes coagulátos ?

Mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo ; * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium ; * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitátem, * accepisti dona in homínibus :

Etenim non credentes * inhabitáre Dñm Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie : * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciendi ; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convertam, * convertam in profundum maris :

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingressus tuos, Deus, * ingressus Dei mei, regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjuncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

*Altera divisio Psalmi 67.*

IN ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excessu.

Príncipes Juda, duces eórum ; * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ : * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis ; congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti sunt argento.

Díssipa gentes quæ bella volunt ; vénient legáti ex Ægypto ; * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo ; * psállite Dómino.

Psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli, * ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis ; date glóriam Deo super Israël, * magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis ; Deus Israël ipse dabit virtútē & fortitúdinē plebi suæ : * benedíctus Deus.

*Ant.* Dóminus dabit verbum evangelizántibus : Deus Israël ipse dabit fortitúdinem plebi suæ.

IN III. NOCTURNO.

*Ant.* 8. G. Dómine.

PSALMUS 88.

*Promissiones Davidi factæ : Christum differri humilis querela.*

MIsericórdias Dómini * in æternum cantábo ;

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo :

Quóniam dixísti ; In æternum misericórdia ædificábitur in cœlis ; * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testamentum eléctis meis, jurávi David servo meo ; * usque in æternum præparábo semen tuum :

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabília tua, Dómine ; * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino ? * símilis erit Deo in filiis Dei ?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum ; * magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi ? * potens es, Dómine ; & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris ; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, superbum : * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, & tua est terra ; * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti ;

Aquilónem & mare tu creásti ; * Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt :

Tuum bráchium cum poténtia : * firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua.

Justítia & judícium præparátio sedis tuæ ; * misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam.

*Divisio Psalmi 88.*

BEátus pópulus qui scit jubilatiónem : * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt,

Et in nómine tuo exultábunt totâ die, * & in justítia tua exaltabuntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es, * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum :

Quia Dómini est assúmptio nostra, * & Sancti Israël regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, & dixísti : * Pósui adjutórium in potente, & exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum, * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, & filius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odientes eum in fugam convertam.

Et véritas mea, & misericórdia mea cum ipso, * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, & susceptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excelsum præ régibus terræ;

In æternum servábo illi misericórdiam meam, * & testamentum meum fidéle ipsi;

Et ponam in séculum séculi semen ejus, * & thronum ejus sicut dies cœli;

Si autem derelíquerint filii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint:

Si justítias meas profanáverint, * & mandáta mea non custodíerint;

Visitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispergam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea.

Neque profanábo testamentum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

*Altera divisio Psalmi 88.*

Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar: * Semen ejus in æternum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, * & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulisti & despexisti, * distulisti Christum tuum.

Evertisti testamentum servi tui, * profanasti in terra sanctuárium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus, * posuisti firmamentum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeuntes viam; * factus est oppróbrium vicínis suis:

Exaltasti déxteram depriméntium eum: * lætificasti omnes inimícos ejus.

Avertisti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello:

Destruxisti eum ab emundatióne, * & sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies témporis ejus; * perfudisti eum confusióne.

Dómine,
n? * exar-
is ira tua?
e mea sub-
uid enim
sti omnes
?
no qui vi-
débit mor-
ímam suã
?
sericórdiæ
Dómine,
ivid in ve-

Dómine,
trum tuó-
ontínui in
órum gén-

brav érunt
ie, * quod
commu-
ti tui.
óminus in
:, fiat.
:, in lúmi-
mbulábunt,
uo exultá-
& in justí-
intur.
, non ob-
e, Dómi-
sicut dies
*Psal.* 138.

er.
DES.
cognoscant
i, Dómi-
us Altíssi-
erra. *Psal.*

*Ant.* 4. E. Præceptum.

PSALMUS 80.

*Festa piè celebranda: hinc Dei favor.*

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum; * psaltérium jucundum cum cíthara:

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ:

Quia præceptum in Israël est, * & judícium Deo Jacob:

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti; * linguam, quam non nóverat, audívit:

Divertit ab onéribus dorsum ejus; * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocasti me, & liberávi te; * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & contestábor te: * Israël, si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis deum aliénum:

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus

meus vocem meam, * & Iſraël non intendit mihi:

Et dimíſi eos ſecundùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audiſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet:

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliaſſem, * & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei, * & erit tempus eórum in ſécula.

Et cibávit eos ex ádipe frumenti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

*Ant.* Præceptum in Iſraël eſt, & judíciū Deo Jacob.

*Ant.* 1. *g.* Parátum.

PSALMUS 107.

*Oratio Eccleſiæ, Dei auxilium adversùs impios poſcentis.*

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo & pſallam in glória mea.

Exurge, glória mea; exurge, pſaltérium & cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine; * & pſallam tibi in natiónibus.

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua; * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Ut liberentur dilecti tui, * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exaudi me.

*Ant.* Parátum cor meū, Deus; exurgam dilúculo: confitébor tibi, Dómine.

*Ant.* 6. F. Dómine.

*Diviſio Pſalmi* 107.

DEus locútus eſt in ſancto ſuo: * exultábo, & dívidam Síchimam, & convallem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manaſſès, * & Ephraïm ſuſcéptio cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab lebes ſpei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repuliſti nos? * & non exíbis, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * & ipſe ad níhilum dedúcet inimícos noſtros.

*Ant.* Dómine, vana ſalus hóminis: in Deo faciémus virtútem.

*Ant.* 8. c. Deus.

*In Feriis, Canticum Annæ.* 1. Reg. 2.

EXultávit cor meum in Dómino, * & exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos, * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus; neque enim est álius extra te: * & non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriantes: * recédant vétera de ore vestro;

Quia Deus scientiárum, Dóminus est, * & ipsi præparantur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est; * & infirmi accincti sunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus se locavérunt; * & famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, & vivíficat; * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus páuperem facit, & ditat; * humíliat & súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * & de stércore élevat páuperem;

Ut sédeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * & pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticescent; * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus; * & super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, & dabit impérium regi suo, * & sublimábit cornu Christi sui.

*Ant.* Deus scientiárum, Dóminus est, & ipsi præparantur cogitatiónes.

[ *In Festis, Canticum.* 1. Paral. 29.

BEnedictus es, Dómine, Deus Israël patris nostri, * ab æterno in æternum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória; * & tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo sunt & in terra, * tua sunt:

Tuum, Dómine, regnum, * & tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, & tua est glória: * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus & poténtia: * in manu tua magnitúdo, & impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noster, confitémur tibi, *

& laudámus nomen tuum ínclytum.]
*Ant.* 5. a. Annúntiat Dñs.

PSALMUS 147.

*Ecclesia ad laudem Dei invitatur, quòd ei abundè provisum sit.*

LAuda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum; * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas; * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, & liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israël;

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia sua non manifestávit eis.

*Ant.* Annúntiat Dñs verbum suum Jacob, & judícia sua Israël: non fecit táliter omni natióni.

*Capitulum.* 1. Petr. 2. 9.

VOs genus electum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis; ut virtútes annuntiétis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum.

*Hymnus.*

QUi, Christe, nos pascis fide,
Fidéque sanas sáucios;
Tuâ manu fac sóspites,
Vi róboret Fides suâ.

HAC imperante díffugit
Error potens astútiis;
Fucóque capta súbdolo,
Mens veritáti rédditur.

SIS ergo turris ænea,
Quâ protegámur, ô Fides!
Scutúmque sis non pérvium,
Quo militémus númini.

TOT induémur láureis,
Tuti superno tégmine,
Quot nos lacessent cállidi
Salútis hostes præliis.

SIC fluctuantis séculi,
Nos inter æstus díriget,
Quæ se fidéli péctori
Antíqua nudat véritas.

CREDO, Deus: sed débilem
Auge fidem quâ mílito;
Ut nuncientur móribus,
Quæ corde credo, dógmata.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et intellectum dat párvulis. *Ps.* 118. 130.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. a. Tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis, ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

*Ant.* 3. *à.* Illúminet.

PSALMUS 66.

*Deus in toto orbe cognoscendus.*

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis; * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri:

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuũ.

Confiteántur tibi pópuli, Deus; * confiteántur tibi pópuli omnes:

Læténtur & exúltent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos, Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; * & metuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 89.

*Inanis & fugax hominum vita: ideo gratia Dei exoratur.*

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fierent, aut formarétur terra, & orbis, * à sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

Ne avertas hóminem in humilitátem; * & dixisti: Convertímini, fílii hóminum:

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna quæ prætériit,

Et custódia in nocte: * quæ pro níhilo habentur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat & tránseat; * véspere décidat, indúret & aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo, * sæculum nostrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt; * & in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur; * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni:

Si autem in potentátibus, octogínta anni; * & ámplius eórum, labor & dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, * & corripiémur.

*Divisio Psalmi 89.*

QUis novit potestátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notám fac, * & erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequò? * & deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris:

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, & in ópera tua; * & dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, * & opus mánuum nostrárum dírige.

*Ant.* Illúminet Dñs vultum suum super nos; ut cognoscámus in terra viam tuam, Dómine. *Ps. 66.*

AD TERTIAM.

*Ant.* 4. E. Credo.

PSALMUS 26.

*Fidelium fortitudo ex Deo: æternæ vitæ quærenda bona.*

DOminus illuminátio mea; & salus mea, * quem timébo?

Dóminus protector vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consístant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dñi ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo: * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meũ super inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, & psalmum dicam Dño.

*Divisio Psalmi 26.*

EXaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te: * miserére meî, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua ; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me ; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age,* & confortétur cor tuum, & sústine Dñm.

PSALMUS 83.

*Supremæ beatitudinis desideria.*

QUàm dilecta tabernácula tua, Dñe virtútum!* concupíscit & déficit ánima mea in átria Dñi.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum ; * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dñe! * in sécula seculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te ; * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam ; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noster, áspice, Deus ; * & réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus ; * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia : * Dñe virtútum, beátus homo qui sperat in te.

*Ant.* Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. *Ps.* 26.

*Capitulum.* Hebr. 11. 1.

EST fides sperandárum substántia rerum, argumentum non apparéntium.

℟. *br.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine,* Quam abscondísti timéntibus te! Quám magna. ℣. Perfecisti eis * qui sperant in te, * Quám abscondísti. Glória Patri. Quàm magna. *Ps.* 30. 20.

℣. Narravérunt mihi

iniqui fabulatiónes; ℟. Sed non ut lex tua. *Ps.* 118. 85.

## AD SEXTAM.

*Ant.* 8. G. Benedícam.

PSALMUS 22.

*Pro beneficiis à Deo acceptis, gratiarum actio.*

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguasti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

PSALMUS 33.

*Soli Deo adhærendum, qui justorum defensor, malorum eversor est.*

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & lætentur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immittet ángelus Dómini in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt; * inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono.

*Divisio Psalmi* 33.

VEníte, filii, audíte me; * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam; * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo; * & lábia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, & fac bonum; * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos, * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super facientes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dñs.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum;* unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima; * & qui odérunt justum, delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum, * & non delinquent omnes qui sperant in eo.

*Ant.* Benedícam Dñm in omni témpore. *Ps.* 33.

*Capitulum.* Jac. 2. 26.

SIcut corpus sine spíritu mórtuum est; ita & fides sine opéribus mórtua est.

℟. *br.* Gressus meos dírige, Dñe, * Secundùm elóquium tuũ. Gressus. ℣. Ut custódiam * mandáta tua, * Secundùm. Glória. Gressus. *Ps.* 118. 133. 134.

℣. Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me; ℟. Quia mandátis tuis crédidi. *Ps.* 118. 66.

AD NONAM.

*Ant.* 1. a. Testimónia.

PSALMUS 79.

*Christi adventus expostulatur.*

QUi regis Israël, intende; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, & Manasse:

Excita poténtiam tuam, & veni, * ut salvos fácias nos.

Deus, converte nos; * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quousque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * & potum dabis nobis in lácrymis in mensúra?

Posuisti nos in contradictiónem vicínis nostris; * & inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, converte nos;* & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

*Divisio Psalmi 79.*

[DOmine,] víneam de Ægypto transtulisti: * ejecisti gentes, & plantasti eam.

Dux itíneris fuisti in

conſpectu ejus ; * plantaſti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus ; * & arbuſta ejus cedros Dei.

Extendit pálmites ſuos uſque ad mare, * & uſque ad flumen propágines ejus.

Ut quid deſtruxiſti macériam ejus, * & vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

Exterminávit eam aper de ſylva, * ſinguláris ferus depaſtus eſt eam.

Deus virtútum, convértere : * réſpice de cœlo, & vide, & víſita víneam iſtam.

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * & ſuper fílium hóminis quē confirmaſti tibi.

Incenſa igni, & ſuffoſſa : * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua ſuper virum déxteræ tuæ : * & ſuper fílium hóminis quē confirmaſti tibi.

Et non diſcédimus à te, vivificábis nos ; * & nomen tuum invocábimus.

Dñe Deus virtútum, converte nos ; * & oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus.

PSALMUS 92.

*Dei, ſeu Chriſti, regnum & lex extollitur.*

DOminus regnávit, decórem indútus eſt ; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcinxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ ; * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc, * à ſéculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam.

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris : * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis : * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

*Ant.* Teſtimónia tua, Dómine, credibília facta ſunt nimis. *Pſ.* 92.

*Capitulum.* Rom. 4. 5.

CRedenti in eum qui juſtíficat ímpium, reputátur fides ejus ad juſtítiam, ſecundùm propóſitum grátiæ Dei.

℟. *br.* Salvávit eos Dóminus, * Et credidérunt verbis ejus. Salvávit. ℣. Et laudavérunt * laudem ejus, * Et credidérunt. Glória Patri. Salvávit. *Pſ.* 105. 10. 12.

℣. In conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam : ℟. Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ. *Pſ.* 97. 2. 3.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Quid retríbuam.

PSALMUS 115.

*Deus in periculis fida tutela.*

CRédidi, propter quod locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicẽ salutáris accípiã,* & nomen Dñi invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspectu Dñi mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus; * ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti víncula mea; * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam in conspectu omnis pópuli ejus,* in átriis domûs Dñi, in médio tuî, Jerúsalem.

*Ant.* Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

*Ant.* 1. g. Confitébor.

PSALMUS 137.

*Misericordia & veritas Dei laudantur: ipse à regibus adorandus.*

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audisti verba oris mei.

In conspectu angelórum psallam tibi; * adorábo ad templum sanctum tuũ, & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges terræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excelsus Dñs, & humília réspicit, * & alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, & salvũ me fecit déxtera tua.

Dñs retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

*Ant.* Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia tua & veritáte tua.

*Ant.* 7. d. Generátio.

PSALMUS 144.

*Dei potentia, misericordia, providentia, benignitas.*

EXaltábo te, Deus meus rex; * & benedícam nómini tuo in séculum, & in séculũ séculi.

Per síngulos dies benedícam tibi ; * & laudábo nomen tuum in séculum, & in séculum séculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis ; * & magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua ; * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent,* & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * & justítiâ tuâ exultábunt.

*Ant.* Generátio & generátio laudábit ópera tua, & poténtiam tuam pronuntiábunt.

*Ant.* 4. a. Fidélis.

*Divisio Psalmi* 144.

MIserátor & miséricors Dóminus ; * pátiens & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérsis, * & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, * & sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuã, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium seculórum ; * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis ; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine ; * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

*Ant.* Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis.

*Ant.* 8. c. Propé est Dóminus.

*Altera divisio Psal.* 144.

JUstus Dóminus in ómnibus viis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Propé est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, * & deprecatiónem eórum exáudiet, * & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omni-

nes diligentes se, * & omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

*Ant.* Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum in veritáte.

*Capitulum.* Gen. 1. 20.

DIxit étiam Deus: Prodúcant aquæ réptile ánimæ viventis, & volátile super terram sub firmamento cœli .... Et factum est véspere & mane dies quintus.

*Hymnus.*

DEo loquente, prótinùs
Vivit novũ rerum genus:
Mirátur æquor, & suos
Mirátur æther íncolas.

IisDEM creáti flúctibus
Feruntur ad cœlos aves:
Leves in imo gúrgite
Repentè pisces ínnatant.

Hos arte mirâ audácibus
Utrosque remis ínstruis;
Sic tu potenti, Cónditor,
In orbe ludis dépterâ.

QUIS det mihi velócibus
Pennis columbæ rémigẽ?
Surgam volátu líbero,
Terræ tenácis ímmemor.

DESUNT. Opem feras, tuis
Delapsa sédibus, Fides:
Alas supernas, pátriam
Quibus revísã, cómmoda.

TUNC sancta quæ calígine
Noctis premuntur dógmata,
Ruptis aperta núbibus,
Pleno patébunt in die.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuã, ℟. Totâ die salutáre tuũ. *Ps.* 70. 15.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. Potens est Dóminus, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

AD COMPLETOR.

*Ant.* 6. F. Tu, Dómine.

PSALMUS 11.

*Justorum paucitas: Dei erga impios promissa urgentur.*

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquisque ad próximum suũ: * lábia dolósa, in corde & corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * & linguam magníloquam;

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum, & gémitum páupe-

rum, * nunc exurgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári, * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos, & custódies nos * à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secundùm altitúdinem tuam multiplicâsti fílios hóminum.

PSALMUS 38.

*Coërcenda lingua: mundi contemptus: vitæ brevitas.*

DIxi: Custódiam vias meas, * ut non delinquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam: * cùm consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis: * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me: * & in meditatióne mea exardescet ignis.

Locútus sum in lingua mea: * notum fac mihi, Dómine, finem meum;

Et númerum diérum meórum quis est; * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos, * & substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertransit homo: * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

*Divisio Psalmi* 38.

AB ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipienti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum, quóniam tu fecísti: * ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego deféci in increpatiónibus: * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meã, Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lacrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrígerer, priusquam ábeam, * & ámpliùs non ero.

*Ant.* Tu, Dñe, servábis nos, & custódies nos.

FERIA

FERIA SEXTA
AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Veníte, adorémus, & procidámus ante Deum: * Plorémus coram Dómino qui fecit nos.

*Ps. 94.* Veníte. 2.

*Hymnus.*

RECENS ab Autóris manu
Primus parens mortálium,
Curis solútus ánxiis,
Dies agebat cándidos.

Mox, pœna peccáti, labor
Cum patre natos óbruit,
Ingensque lúctuũ cohors
Incumbit orbi pérdito.

HINC nos dolóris filii
Dolóre vitam dégimus:
Hinc per labóres plúrimos
Quærenda cœli pátria.

HANC ipse signávit viam,
Qui sponte mortális Deus,
Culpæ gerens imáginem,
Pœnas nocentûm pertulit.

CRUX est gradus, quo téndere
Ad alta fas est átria:
Cœli futúris álterum
Iter negátur cívibus.

Nos sempiternis crux tua,
O Christe, flammis éruit:
Hic ure vindex, hic seca,
Parcas in æternum modò.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 7. d. Confitebor.

PSALMUS 51.

*Impiis exitium proximum.*

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ díe injustítiam cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecisti dolum.

Dilexisti malítiam super benignitátem: * iniquitátem magis, quàm loqui æquitátem.

Dilexisti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem, evellet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, * & radícem tuã de terra vivéntium.

Vidébunt justi, & timébunt, & super eum ridébunt, & dicent: * Ecce homo qui non pósuit Deũ adjutórem suum:

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum, * & præváluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei: * sperávi in misericórdia Dei in æternum, & in séculum séculi.

Confitébor tibi in séculum, quia fecisti: * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspectu sanctórum tuórum.

PSALMUS 54.

*Deum, ut se à fictis amicis servet, obtestatur Christus.*

EXaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea, * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * & in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me, * & formído mortis cécidit super me.

Timor & tremor venérunt super me, * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, * & volábo, & requiéscam?

Ecce elongávi fúgiens, * & mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum me fecit à pusillanimitáte spíritûs, * & tempestáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eorum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas; * & labor in médio ejus, & injustítia.

Et non defécit de plateis ejus * usúra & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi: * sustinuíssem útique.

Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuísset: * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus.

Qui simul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

Véniat mors super illos: * & descendant in infernum viventes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus salvábit me.

*Divisio Psalmi 54.*

VEspere, & mane, & merídie narrábo & annuntiábo: * & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos, * qui est ante sécula.

Non enim est illis commutátio, & non timuérunt Deum: * extendit manum suam in retribuendo.

Contaminavérunt testa-

mentum ejus, divísi sunt ab ira vultûs ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum: * & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritûs.

Viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos: * ego autem sperábo in te, Dómine.

*Ant.* Confitébor tibi, Dómine, in séculum, quia fecisti. *Ps.* 51.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 2. D. Deus suscéptor.

PSALMUS 58.

*Zelus Ecclesiæ adversùs impios.*

ERipe me de inimícis meis, Deus meus: * & ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris sánguinum salva me:

Quia ecce cepérunt ánimam meam, * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: * sine iniquitáte cucurri, & direxi.

Exurge in occursum meum, & vide: * & tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Israël,

Intende ad visitandas omnes gentes: * non miseréaris ómnibus qui operantur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquentur in ore suo, & gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

*Divisio Psalmi 58.*

DEus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos: * nequando obliviscantur pópuli mei.

Disperge illos in virtúte tua: * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum: * & comprehendantur in supérbia sua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabuntur in consummatióne: * in ira consummatiónis, & non erunt.

Et scient quía Deus dominábitur Jacob, * & finium terræ.

Convertentur ad véspe-ram, & famem patientur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergentur ad manducandum: * si verò non fú rint saturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * & exultábo manè misericór-diam tuam;

Quia factus es susceptor meus,* & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psal-lam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

PSALMUS 60.

*Ecclesia ab insectatoribus oppressa: Christi regnum æternum.*

EXaudi, Deus, de-precatiónem meam: * intende oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi: * dum anxiaré-tur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia fa-ctus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie ini-míci.

Inhabitábo in taber-náculo tuo in sécula: * prótegar in velamento alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudisti oratió-nem meam: * dedisti hæ-reditátem timéntibus no-men tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus us-que in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in æternum in conspectu Dei: * mise-ricórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nó-miní tuo in séculum sécu-li, * ut reddam vota mea de die in diem.

*Ant.* Deus susceptor meus es, Deus meus, mi-sericórdia mea. *Ps.* 58.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. g. In multitú-dine.

PSALMUS 68.

*Christus, ob Religionis ze-lum multa passus, auxi-lium à Patre petit.*

SAlvum me fac,Deus: * quóniam intravé-runt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profundi, * & non est sub-stántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempestas de-mersit me.

Laborávi clamans, rau-cæ factæ sunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meũ.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratìs.

Confortáti sunt qui per-secúti sunt me inimíci mei injustè: * quæ non rápui, tunc exolvebam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam, * & delicta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubescant in me qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundantur super me, * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium, * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestimentum meum cilícium;* & factus sum illis in parábolam.

Adversùm me loquebantur qui sedébant in porta; * & in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine; * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar; * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum, * neque úrgeat super me púteus os suum.

*Divisio Psalmi 68.*

EXaudi me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua; * secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo: * quóniam tribulor, velóciter exaudi me.

Intende ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam, * & reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: * impropérium expectávit cor meum, & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; * & qui consolarétur, & non invéni.

Et dederunt in escam meam fel; * & in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * & in retributiónes, & in scándalum.

Obscurentur óculi eórũ, ne vídeant, * & dorsum eórum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitátio eórum

deserta, * & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt; * & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum; * & non intrent in justítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium; * & cum justis non scribantur.

*Altera divisio Psalmi 68.*

EGo sum pauper & dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novellum, * córnua producentem & úngulas.

Vídeant páuperes, & lætentur:* quærite Deum, & vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * & vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli & terra; * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

*Ant.* In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, Dómine, in veritáte salútis tuæ.

℣. Ego sum pauper & dolens: ℟. Salus tua, Deus, suscépit me. *Ps.* 68. 30.

Pater noster.

## AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Laudans invocábo Dóminum; ℟. Et ab inimícis meis salvus ero. *Ps.* 17. 4.

*Ant.* 1. a. Deus.

PSALMUS 53.

*Oratio justi adversùs hostes auxilium deprecantis.*

DEus, in nómine tuo salvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam; * áuribus pércipe verba oris mei:

Quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me, & fortes quæsiérunt ánimam meam, * & non proposuérunt Deum ante conspectum suum:

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis, * & in veritáte tua disperde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me, *

& super inimícos meos despexit óculus meus.

*Ant.* Deus ádjuvat me, & Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

*Ant.* 7. ç. Salva me,

PSALMUS 70.

*Ecclesia adversùs impios auxilium deprecatur.*

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum; * in justítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum, * ut salvum me fácias.

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agentis, & iníqui.

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine, * Dómine, spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero, * de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantátio mea semper, * tamquam prodígium factus sum multis, & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis; * & cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me,

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unũ.

Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini, & comprehéndite eum, * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundántur & defíciant detrahentes ánimæ meæ; * operiantur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo, * & adjíciam super omnem laudem tuam.

*Ant.* Salva me, Dómine, esto mihi in Deum protectórem.

*Ant.* 5. *a.* Dómine, memorábor.

*Divisio Psalmi 70.*

OS meum annuntiábit justítiam tuam, * totâ die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me à juventúte meâ; * & usque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senectam & sénium, * Deus, ne derelinquas me:

Donec annúntiem brá-chium tuum * generatióni omni quæ ventúra est;

Poténtiam tuam & ju-stítiam tuam, Deus, usque in altíssima quæ fe-cisti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendisti mi-hi tribulatiónes multas, & malas, & convérsus, vivificasti me, * & de abyssis terræ íterum redu-xisti me?

Multiplicasti magnifi-céntiam tuam, * & con-vérsus, consolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritá-tem tuam: * Deus, psal-lam tibi in cíthara, San-ctus Israël.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; * & ánima mea, quam rede-misti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam; * cùm confúsi & revériti fúerint qui quæ-runt mala mihi.

*Ant.* Dómine, memo-rábor justítiæ tuæ solíus.

*Ant.* 8. G. Cùm irátus fúeris.

*In Feriis, Canticum Ha-bacuc.* Cap. 3.

DOmine, audívi au-ditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum * in médio annórum vivífi-ca illud.

In médio annórum no-tum fácies: * cùm irátus fúeris, misericórdiæ re-cordáberis.

Deus ab Austro véniet, * & sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * & laudis ejus ple-na est terra.

Splendor ejus ut lux erit, córnua in mánibus ejus: * ibi abscóndita est fortitúdo ejus.

Ante fáciem ejus ibit mors; * & egrediétur diá-bolus ante pedes ejus.

Stetit, & mensus est terram: * aspexit, & dis-sólvit gentes; & contríti sunt montes séculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æ-ternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi ten-tória Æthiópiæ: * tur-babuntur pelles terræ Má-dian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui ascendes super equos tuos, * & quadrí-gæ tuæ salvátio;

Súscitans suscitábis ar-cum tuum: * juramenta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ: vidérunt te, & doluérunt montes; * gurges aquá-rum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol & luna stetérunt in habitáculo suo : * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * in furóre obstupefácies gentes.

Egressus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum christo tuo.

Percussisti caput de domo ímpii ; * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus est venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scáteat ;

Ut requiescam in die tribulatiónis, * ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.

Ficus enim non florébit ; * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ ; * & arva non áfferent cibũ, Abscindétur de ovíli pecus ; * & non erit armentum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea, * & ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excelsa mea dedúcet me victor * in psalmis canentem.

*Ant.* Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

[ *In Festis, Canticum.* Isaiæ 26.

URbs fortitúdinis nostræ Sion : * Salvátor ponétur in ea murus & antemuràle.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens justa, custódiens veritátem.

Vetus error ábiit : servábis pacem ; * pacem, quia in te sperávimus.

Sperastis in Dómino in séculis æternis, * in Dómino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitantes in excelso, * civitátem sublímem humiliábit.

Humiliábit eam usque ad terram, * détrahet eam usque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes páuperis, gressus egenórum.

Sémita justi recta est, * rectus callis justi ad ambulandum,

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te:* nomen tuum, & memoriále tuum in desidério ánimæ.

Anima mea desiderávit te in nocte; * sed & spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * justítiam discent habitatóres orbis.

Misereámur ímpio, & non discet justítiam : * in terra sanctórum iníqua gessit, & non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * & non vídeant: Vídeant, & confundantur zelantes pópuli; * & ignis hostes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera nostra operátus es nobis. ]

*Ant.* 4. A. Laudábo.

PSALMUS 145.

*Non hominibus, nec principibus, sed Deo fidendum.*

LAuda, ánima mea, Dóminum; laudábo Dóminum in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in príncípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos; * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupillum & víduam suscípiet; * & vias peccatórum dísperdet.

Regnábit Dóminus in sécula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

*Ant.* Laudábo in vita mea Dñm, qui facit judícium injúria patiéntibus.

*Capitulum.* Isaiæ 33. 2.

DOmine, miserére nostrî; te enim expectávimus: esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in témpore tribulatiónis.

*Hymnus.*

ADVERSA legi spíritûs
Vivit meo lex córpore:
Hinc íntimis & éxteris
Distórqueor conflíctibus.

PUGNARE da, da víncere,
Testis Deus certáminis;

Tuóque carnem spíritu
Menti rebellem cóntere.
Hæc défluet victória
Almo crucis de stípite,
Si sponte dura pérferam,
Quæ me premunt, incómmoda.
Nostrum caput, rigéntibus
Christus corónis cinctus est:
Quàm, delicátè vívere
Nos, membra Christi, dédecet!
Amoris ô míráculum!
O cordis humáni stupor!
Insons Deus neci datur,
Pigébit & sontes pati!
Fac, Christe, nos fortes sequi
Iter, quod exemplo doces:
Beátus ille cui lícet
Tecum pati, tecum mori!
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Exultábo manè misericórdiam tuâ; ℟. Quia factus es susceptor meus in die tribulatiónis. *Ps.* 58. 17.

*Ad* Benedíctus, *Ant.* 8. G. Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos óriens ex alto, illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis sedent. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

*Ant.* 3. c. Exurge.

PSALMUS 43.

*Patres beneficiis cumulati: ob Religionem cuncta sustinenda.*

Deus, áuribus nostris audívimus, * patres nostri annuntiavérunt nobis

Opus quod operátus es in diébus eórum, * & in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit, & plantasti eos; * afflixisti pópulos, & expulisti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * & bráchium eórum non salvávit eos:

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus, & Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo spernémus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * & gládius meus non salvábit me.

Salvasti enim nos de affligéntibus nos, * & odientes nos confudisti.

*Divisio Psalmi* 43.

In Deo laudábimur totâ die, * & in nómine tuo confitébimur in sæculum.

Nunc autem repulisti, & confudisti nos:* & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.
Avertisti nos retrorsùm post inimícos nostros;* & qui odérunt nos, diripiébant sibi.
Dedisti nos tamquam oves escárum,* & in géntibus dispersisti nos.
Vendidisti pópulum tuũ sine prétio,* & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.
Posuisti nos oppróbrium vicínis nostris,* subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.
Posuisti nos in similitúdinem géntibus,* commotiónem cápitis in pópulis.
Totâ die verecúndia mea contra me est,* & confúsio faciéi meæ coopéruit me,
A voce exprobrantis & obloquentis,* à fácie inimíci & persequentis.
Hæc ómnia venérunt super nos; nec oblíti sumus te,* & iníquè non égimus in testamento tuo.
Et non recessit retrò cor nostrum,* & declinasti sémitas nostras à via tua.
Quóniã humiliasti nos in loco afflictiónis,* & coopéruit nos umbra mortis.
*Altera divisio Psalmi* 43.
SI oblíti sumus nomen Dei nostri,* & si expándimus manus nostras ad Deum aliénum:
Nonne Deus requíret ista?* ipse enim novit abscóndita cordis.
Quóniam propter te mortificámur totâ die,* æstimáti sumus sicut oves occisiónis.
Exurge, quare obdormis, Dómine?* exurge, & ne repellas in finem.
Quare fáciem tuam avertis?* oblivísceris inópiæ nostræ & tribulatiónis nostræ?
Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra,* conglutinátus est in terra venter noster.
Exurge, Dómine, ádjuva nos;* & rédime nos propter nomen tuum.
*Ant.* Exurge, quare obdormis, Dñe? exurge, & ne repellas in finem.
AD TERTIAM.
*Ant.* 2. D. Circumdedérunt.
PSALMUS 39.
*Oratio Christi: ipse fiduciæ & obedientiæ typus.*
EXpectans expectávi Dóminum,* & intendit mihi.
Et exaudívit preces meas:* & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.
Et státuit super petram pedes meos,* & direxit gressus meos.
Et immísit in os meum

cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt; * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus: * & non respexit in vanitátes & insánias falsas.

Multa fecisti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua: * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrificium & oblatiónem noluisti: * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum & pro peccáto non postulasti; * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, & legem tuā in médio cordis mei.

*Divisio Psalmi 39.*

A* Nnuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna; * ecce lábia mea non prohibébo: Dñe, tu scisti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo: * veritátem tuam & salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me: * misericórdia tua & véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei: * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut eruas me: * Dñe, ad adjuvandū me réspice.

Confundantur & revereantur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertantur retrorsùm, & revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent & lætentur super te omnes quærentes te; * & dicant semper, Magnificétur Dñs, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, & pauper: * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, & protector meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 57.

*Calumniatorum supplicia, bonorumque præmia Deum justum arguent.*

SI verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini : * in terra injustítias manus vestræ concinnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero : * locúti sunt falsa.

Furor illis secundùm similitúdinem serpentis : * sicut áspidis surdæ, & obturantis aures suas;

Quæ non exáudiet vocē incantántium, * & venéfici incantantis sapienter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum : * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decurrens: * intendit arcum suum donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur : * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

Priusquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

Lætábitur justus, cùm víderit vindictam : * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo : Si útique est fructus justo, * útique est Deus júdicans eos in terra.

*Ant.* Circumdedérunt me mala, quorum non est númerus : compláceat tibi, Dómine, ut éruas me. *Ps.* 39.

*Capitulum.* 2. Cor. 1. 8.

Supra modum graváti sumus supra virtútem, ita ut tædéret nos étiam vívere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habúimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui súscitat mórtuos; qui de tantis perículis nos erípuit, & éruit; in quem sperámus quóniam & adhuc erípiet.

℟. *br.* Multiplicáti sunt, * Qui odérunt me gratis. Multiplicáti sunt. ℣. Confortáti sunt qui persecúti sunt me injustè, * Qui odérunt me gratis. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Multiplicáti sunt. *Ps.* 68. 5.

℣. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me : ℟. Ad defensiónem meam cónspice. *Ps.* 21. 20.

## AD SEXTAM.

*Ant.* 5. a. Potum meum.

PSALMUS 101.

*Oratio ad Christum, quâ post calamitates, promissa salus exoratur.*

Dómine, exaudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuā à me : * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me;

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei, * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis; * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ díe exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant:

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ: * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt, * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

*Divisio Psalmi* 101.

TU exurgens miseréberis Sion; * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus; * & terræ ejus miserebuntur:

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam:

Quia ædificávit Dóminus Sion; * & vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera; * & pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum:

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspexit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret filios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, * & reges, ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi;

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

*Altera divisio Psalmi* 101.

INítio tu, Dómine, terram fundasti, * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem pérmanes; * & omnes sicut vestimentũ veterascent:

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur; * tu autem idem ipse es; & anni tui non deficient.

Fílii servórum tuórũ habitábunt, * & semen eórum in seculum dirigétur.

*Ant.* Potum meum cum fletu miscébam, à fácie iræ & indignatiónis tuæ, Dñe.

*Capitulum.* Hebr. 12. 5.

VObis, tamquam fíliis, lóquitur [Deus] dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris: quem enim díligit Dóminus, castígat; flagellat autem omnem fílium quem récipit. In disciplína perseveráte.

℟. br. Ego, Dñe, * In flagella parátus sum. Ego. ℣. Et dolor meus in conspectu meo semper: * In flagella. Glória Patri. Ego.

℣. Dómine, ante te omne desidérium meum; ℟. Et gémitus meus à te non est abscónditus. *Ps.* 37. 10. 18.

AD NONAM.

*Ant.* 6. F. Deus meus.

PSALMUS 21.

*Christus in cruce Patrem obsecrat, ut sibi adsit.*

DEus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquisti? * longè à salúte mea verba delictórum meórũ.

Deus meus, clamábo per diem, & non exáudies; * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Isräel.

In te speravérunt patres nostri; * speravérunt, & liberasti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes videntes me, derisérunt me; * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * salvũ fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxisti me de ventre; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projectus sum ex útero: * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

*Divisio Psalmi* 21.

[DEus meus,] ne discésseris à me, * quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * & dispersa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit fáucibus meis; * & in púlverem mortis deduxisti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos, * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt, & inspexérunt me: * divisérunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meā.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

*Altera divisio Psalmi* 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum: * universum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël: * quóniam non sprevit, neque despexit deprecatiónem páuperis.

Nec avertit fáciem suam à me: * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna: * vota mea reddam in conspectu timéntium eum.

Edent páuperes, & saturabuntur; & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiscentur & convertentur ad Dóminum * universi fines terræ.

Et adorábunt in conspectu ejus * universæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum, * & ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * & semen meū sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dño generátio ventúra: * & annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

*Ant.* Deus meus, quare me dereliquisti? longè à salúte mea verba delictórum meórum.

*Capitulum.* Thren. 5. 20.

QUare in perpétuum oblivisceris nostrî? derelinques nos in longi-

túdine diérum? Convérte nos, Dómine, ad te, & convertémur: ínnova dies nostros, sicut à princípio; sed projíciens repulisti nos, irátus es contra nos vehementer.

℟. *br.* Usquequò, Dómine, * Oblivisceris me in finem? Usquequo. ℣. Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * Oblivisceris. Glória. Usquequo. *Ps.* 12. 1. 3.

℣. Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: ℟. Ne obliviscáris páuperum. *Ps.* 9. 12.

AD VESPERAS.

*Ant.* 8. c. Dóminus.

PSALMUS 128.

*Recentis Ecclesiæ prælia, & victoriæ.*

SÆpe expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israël.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum: * confundantur & convertantur retrorsùm, omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod priusquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum suam qui metit; * & sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini super vos, * benedíximus vobis in nómine Dómini.

*Ant.* Dóminus justus concídit cervíces peccatórum.

*Ant.* 3. à. Suscepisti.

PSALMUS 138.

*Insignis Dei in nos à puero providentia.*

DOmine, probasti me, & cognovisti me: * tu cognovisti sessiónem meam, & resurrectiónem meam.

Intellexisti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meã, & funículum meum investigasti;

Et omnes vias meas prævidisti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovisti ómnia, novíssima & antíqua: * tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me; * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illic es; * si descéndero in infernum, ades:

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me; * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminábitur; * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

*Ant.* Suscepísti me, Dómine, de útero matris meæ.

*Ant.* 6. F. Confitébor tibi.

*Divisio Psalmi* 138.

CONfitébor tibi, [Dómine,] quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognoscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecisti in occulto; * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperfectum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes scribentur: * dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabuntur: * exurrexi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum, declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne, * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & super inimícos tuos tabescébam?

Perfecto ódio óderam illos, * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, & scito cor meum; * intérroga me, & cognosce sémitas meas:

Et vide si via iniquitátis in me est, * & deduc me in via æterna.

*Ant.* Confitébor tibi, Dómine, quia terribíliter magnificátus es; ánima mea cognoscit nimis.

*Ant.* 5. a. Custódi me, Dómine.

PSALMUS 139.

*Se ab improbis defendi precatur Christus.*

ERipe me, Dómine, ab hómine malo, * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpentis, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt sup-

plantáre gressus meos, * abscondérunt superbi láqueum mihi:

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

*Ant.* Custódi me, Dómine, de manu peccatóris.

*Ant.* 7. c. Dómine, Dómine.

*Divisio Psalmi 139.*

DOmine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli;

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri;* cogitavérunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes: in ignem dejícies eos; * in misériis non subsistent.

Vir linguósus non dirigétur in terra; * virum injustum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebuntur nómini tuo, * & habitábunt recti cum vultu tuo.

*Ant.* Dómine, Dómine, virtus salútis meæ; ne derelinquas me.

*Capitulum.* Gen. 1. 25.

FEcit Deus béstias terræ, juxta spécies suas... Et ait: Faciámus hóminem ad imáginem & similitúdinem nostram, & præsit píscibus maris, & volatílibus cœli, & béstiis, universǽque terræ... Et factum est véspere & mane dies sextus.

*Hymnus.*

QUid mente volvis, ô Deus?
Tellus silescat, & suum
Agnoscat orbis príncipem:
Homo creátus náscitur.

LIMUS períto dúcitur
Molles in artus póllice:
Afflátur ori spíritus,
Et vita limum pérmeat.

TU, flos tener qui náscitur,
Unóque sole déperit,
Memor luti quo fíngeris,
Homo, time ne córruas.

SED mente quantus prævales,
Imágo viva Núminis,
Tantus labor sit íntegris
Deum referre móribus.

VINCENTE carne spíritu,
Victor tuî te major es,
Et hâc triumphas gloriâ,
Tuo superstes fúneri.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Intende in adjutórium meum, ℟. Dñe Deus salútis meæ. *Ps.* 37. 23.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. *D.* Fecit Dóminus poténtiam in bráchio suo : dispersit superbos mente cordis sui. *Luc.* 1.

## AD COMPLETOR.

*Ant.* 2. D. Dómine.

### PSALMUS 37.

*Mala vitæ sustinenda ad veniam peccatorum obtinendam.*

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ; * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórũ.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum, * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt & corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum & curvátus sum usque in finem : * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus, * & non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliátus sum nimis : * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum, * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

*Divisio Psalmi* 37.

AMíci mei, & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & steterunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequando supergáudeant mihi inimíci mei : * &, dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum : * &

dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo:* & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me : * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: * quóniam sequebar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus : * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 55.

*Justus fide erectus, in Deo solatium quærit.*

MIserére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo : * totâ die impugnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die : * quóniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitúdine diéi timébo : * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur ; * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abscondent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuerunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuisti lácrymas meas in conspectu tuo.

Sicut & in promissióne tua : * tunc convertentur inimíci mei retrorsùm.

In quacumque die invocávero te : * ecce cognóvi quónia Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam laudatiónes tibi :

Quóniam eripuisti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

*Ant.* Dñe Deus meus, ne discésseris à me. *Ps.* 37.

SABBATO

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Dóminus ipse est Deus noster, * Veníte, adorémus.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

VANUS labor quem párturit
Placens sibi supérbia ;
Sed quantus est quē grátia
Delapsa cœlo cónsecrat !

Tu fas nefasque pérspicis,
Deus creátor córdium;
Actúsque nostros láncibus
Scrutátor æquis pónderas.

Dum mota per te déxtera
Opus diurnum cónficit,
Non otiósus árbiter
Nobis ades agéntibus.

Afflas supernè spíritum,
Quo mens agenda dírigat,
Et sic labóris óptimus
Fis author, ut sis præmiũ.

Ignes sacrátos súscita,
Quibus recepta désuper
Talenta, multo séduli
Reddámus aucta fœnore!

Nostros dies dum témperas,
Sic nos regas, ut únicus
In ómnibus negótiis
Sis finis & primórdium.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*IN I. NOCTURNO,*
*Ant.* 3. à. In die.

PSALMUS 40.

*Diligentium Christi paupertatem beatitudo.*

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem: * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dñs consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra: * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur forìs, * & loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei: * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me: * numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, & resúscita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluisti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepisti, * &

confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dñs Deus Israel à sǽculo, & usque in sǽculum: * fiat, fiat.

PSALMUS 48.

*Nil contra infernum prosunt opes: justitia sola ex eo eripit.*

AUdíte hæc, omnes gentes: * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & fílii hóminum: * simul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam, * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua: * & in multitúdine divitiárum suárum gloriantur.

Frater non rédimit, rédimet homo: * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ: * & laborábit in æternum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cùm víderit sapientes morientes: * simul insípiens & stultus períbunt.

Et relinquent aliénis divítias suas; * & sepulchra eórum domus illórum in æternum.

Tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cùm in honóre esset, non intellexit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis: * & póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inferno pósiti sunt: * mors depascet eos.

Et dominabuntur eórum justi in matutíno: * & auxílium eórum veteráscet in inferno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

*Divisio Psalmi 48.*

NE timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit, non sumet ómnia: * neque descendet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur: * confitébitur tibi cùm benefeceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum; * & usque in æternum non vidébit lumen.

Homo

o, cùm in honóre
on intellexit : *
átus est jumentis
tibus, & símilis
est illis.
die malâ liberábit
s, qui intélligit su-
ium & páuperem.
*NOCTURNO*,
*ỳ*. a. Tu reddes.
LMUS 61.
*oppugnatur qui*
*subjectus in ejus*
*manet.*
Onne Deo subjecta
erit ánima mea? *
ab ipso enim sa-
reum.
& ipse Deus meus,
áris meus, * sus-
neus, non mové-
pliùs.
que irrúitis in hó-
? * interfícitis uni-
os, tamquam pa-
lináto, & maceriæ
: ?
mtamen prétium
cogitavérunt repél-
acurri in siti : * ore
edicébant, & cor-
maledicébant.
imtamen Deo sub-
to, ánima mea, *
m ab ipso patién-
.
a ipse Deus meus,
tor meus; * adjú-
s, non emigrábo.
eo salutáre meum,
a mea : * Deus au-
ei; & spes mea in
t.
*utumnalis. Carc.*

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra : * Deus adjútor noster in æternum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in stateris, * ut decípiant ipsi de vanitáte in idipsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere : * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi; quia potestas Dei est, & tibi, Dómine, misericórdia : * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

PSALMUS 63.

*Vana impiorum concilia; Evangelii prædicatio.*

EXaudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor : * à timóre inimíci éripe ánimam meã.

Protexísti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas; * intendérunt arcum, rem amáram, ut sagittent in occultis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, & non timébunt; * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos; * dixé-

sunt, Quis vidébit eos.

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutantes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * & exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo, * & laudabuntur omnes recti corde.

PSALMUS 74.

*Ad vitandum Dei judicium, humilitas colenda.*

CONfitébimur tibi, Deus: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cùm accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefacta est terra, & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi columnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte íniquè ágere; * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum, * nolíte loqui adversùs Deum iniquitátem.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis móntibus: * quóniam Deus judex est:

Hunc humíliat, & hunc exaltat; * quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto;

Et inclinávit ex hoc in hoc, verúmtamen fæx ejus non est exinaníta, * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in séculum; * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confringam; * & exaltabuntur córnua justi.

*Ant.* Tu reddes, Dómine, unicuíque juxta ópera sua. *Ps.* 61.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. F. Cogitátio.

PSALMUS 75.

*Innumera Christi in Ecclesiam beneficia.*

NOtus in Judæa Deus: * in Isræl magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus; * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis * turbáti sunt omnes insipientes corde.

Dormiérunt somnum suum; * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecísti judícium: * terra trémuit, & quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert spíritum príncipum; * terríbili apud reges terræ.

PSALMUS 82.

*Adversùs Ecclesiam bella: pœna persequentium.*

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * & cogitavérunt adversùs sanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & disperdámus eos de gente, * & non memorétur nomen Israël ultrà:

Quóniam cogitavérunt unanímiter, * simul adversùm te testamentum disposuérunt tabernácula Idumæórum & Ismahelítæ:

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum:

Etenim Assur venit cum illis; * facti sunt in adjutórium fíliis Loth.

Fac illis sicut Mádian, & Sísaræ; * sicut Jabin in torrente Cisson.

Dispeniérunt in Endor; * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb, & Zeb, * & Zébee, & Sálmana;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hæreditáte possideámus sanctuárium Dei.

*Divisio Psalmi 82.*

DEus meus, pone illos ut rotam, * & sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit sylvam, * & sicut flamma combúrens montes:

Ita persequéris illos in tempestáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ, * & quærent

nomen tuum, Dómine.

Erubescant & conturbentur in séculum séculi; * & confundantur, & péreant:

Et cognoscant quia nomen tibi, Dóminus: * tu solus Altíssimus in omni terra.

*Ant.* Cogitátio hóminis confitébitur tibi, Dñe. *Ps.* 75,

℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144. 10.

Pater noster.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, ℟. Totâ die magnitúdinem tuã. *Ps.* 70. 8.

*Ant.* 4. a. Pérfice.

PSALMUS 16.

*Oratio Ecclesiæ ab hostibus exagitatæ.*

EXaudi, Dómine, justítiam meam: * intende deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probasti cor meum, & visitasti nocte: * igne me examinasti, & nôn est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meũ ópera hóminum: * propter verba labiórum tuc ego custodívi vias dura:

Pérfice gressus meos sémitis tuis: * ut non m veantur vestígia mea.

Ego clamávi, quónia exaudisti me, Deus: * i clína aurem tuam mih & exaudi verba mea.

Mirífica misericórdi tuas * qui salvos fa sperantes in te.

A resisténtibus déxte tuæ custódi me, * ut p pillam óculi.

Sub umbra alárum tu rum prótege me: * à f cie impiórum qui me a flixérunt.

*Ant.* Pérfice gressus me in sémitis tuis, Dómin ut non moveantur ves gia mea.

*Ant.* 7. d. In justítia.

*Divisio Psalmi* 16.

INimíci mei ánima meã circumdedérun ádipem suum conclu runt: * os eórum locútu est supérbiam.

Projicientes me nu circumdedérunt me: óculos suos statuérunt d clináre in terram.

Suscepérunt me sic leo parátus ad prædan * & sicut cátulus leór hábitans in ábditis.

Exurge, Dñe, præve eum, & supplanta eun * éripe ánimam meam impio, frámeam tuam inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis: * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cùm appartúerit glória tua.

*Ant.* In justítia apparébo conspéctui tuo: satiábor cùm apparúerit glória tua.

*Ant.* 1. *f.* Parátum.

PSALMUS 56.

*Contra inimicos opem implorat Christus, postea Dei laudes celebraturus.*

MIserére meî, Deus, miserére meî: * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo: * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcantes me.

Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam: * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum, dormívi conturbátus.

Fílii hóminũ, dentes eórum arma & sagittæ: * & lingua eórũ gládius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus: * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis: * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam: * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo & psalmum dicam.

Exurge, glória mea, exurge, psaltérium & cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psalmum dicam tibi in géntibus:

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua: * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus: * & super omnem terram glória tua.

*Ant.* Parátum cor meum, Deus, parátum cor meũ: cantábo, & psalmum dicã.

*Ant.* 5. a. Date magnificéntiam.

*In Feriis, Cantic. Moysi.* Deut. 32.

AUdíte, cœli, quæ loquor: * áudiat terra verba oris mei.

Concrescat ut plúvia doctrína mea: * fluat ut ros elóquium meum.

Quasi imber super herbam, * & quasi stillæ super grámina.

Quia nomen Dómini invocábo: * date magnificéntiam Deo nostro.

Dei perfecta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia: * Deus fidélis, & absque ulla iniquitáte, justus & rectus.

Peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus; * generátio prava atque perversa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte & insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creávit te?

Memento diérum antiquórum: * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi: * majóres tuos, & dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes, * quando separábat filios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israël.

Pars autem Dómini pópulus ejus: * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra deserta, * in loco horróris, & vastæ solitúdinis.

Circumduxit eum, & dócuit,* & custodívit quasi pupillam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volandum pullos suos, * & super eos vólitans,

Expandit alas suas, & assumpsit eum,* atque pe[...] távit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ej[...] fuit; * & non erat cum [...] deus aliénus:

Constítuit eum super e[...] celsam terram, * ut com[...] deret fructus agrórum,

Ut súgeret mel de p[...] tra, * oleumque de sa[...] duríssimo;

Bútyrum de arment[...] & lac de óvibus, * cu[...] ádipe agnórum & aríetu[...] filiórum Basan,

Et hircos cum medul[...] trítici; * & sánguinē uv[...] bíberet meracíssimum.

Incrassátus est dilectu[...] & recalcitrávit; * incra[...] sátus, impinguátus, [...] latátus.

Derelíquit Deum fact[...] rem suum, * & recessit [...] Deo salutári suo.

Provocavérunt eum [...] diis aliénis; * & in abom[...] natiónibus ad iracúndia[...] concitavérunt.

Immolavérunt dæm[...] niis, & non Deo; * di[...] quos ignorábant.

Novi recentesque v[...] nérunt, * quos non colu[...] runt patres eórum.

Deum qui te génuit d[...] reliquísti, * & oblítus [...] Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & a[...] iracúndiā concitátus es[...] * quia provocavérunt eu[...] filii sui, & filiæ.

Et ait: Abscondam f[...]

diem meam ab eis, * & considerábo novíssima eórum;

Generátio enim perversa est, * & infidéles filii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitátibus suis;

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, * & in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * & ardébit usque ad inferni novíssima;

Devorábitque terram cum gérmine suo, * & móntiũ fundamenta combúret.

Congregábo super eos mala; * & sagittas meas complébo in eis.

Consumentur fame, * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, & intùs pavor, * júvenem simul ac vírginem, lactentem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli, * ne fortè superbírent hostes eórum;

Et dícerent: Manus nostra excelsa, & non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, & sine prudéntia; * útinam sáperent, & intellígerent, ac novíssima providérent!

Quómodo persequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia?

Nonne ídeo quia Deus suus véndidit eos, * & Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum; * & inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de suburbánis Gomorrhæ.

Uva eórum, uva fellis; * & botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * & signáta in thesauris meis?

Mea est últio; & ego retribuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxta est dies perditiónis, * & adesse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus, * & clausi quoque defecérunt, residuíque consumpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habebant fidúciam;

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminũ?

Surgant, & opitulentur vobis, * & in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus,* & non sit álius Deus præter me.

Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego sanábo: * & non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, & dicam: * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóstibus meis; * & his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo sagittas meas sánguine,* & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum, * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur:

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum, * & propítius erit terræ pópuli sui.

*Ant.* Date magnificéntiam Deo nostro: Dei perfécta sunt ópera.

[ *In Festis, Cant.* Judith. 16.

INcípite Dómino in tympanis: * cantáte Dómino in cymbalis.

ModuláMini illi psalmum novum: * exaltáte, & invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella: * Dóminus nomen est illi.

Qui pósuit castra sua in médio pópuli sui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne * in multitúdine fortitúdinis suæ:

Cujus multitúdo obturávit torrentes, * & equi eórũ cooperuérunt valles.

Dixit se incensúrum fines meos, * & júvenes meos occisúrum gládio,

Infantes meos dare in prædam, * & vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, & trádidit eum in manus féminæ, * & confódit eum. ]

*Ant.* 3. g. Laudáte Dñm.

PSALMUS 116.

*Deus à gentibus collaudandus ob Christum exhibitum.*

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum.

*Ant.* Laudáte Dóminum, omnes pópuli: quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

*Capitulum.* Coloss. 1. 9.

NOn cessámus pro vobis orantes, & postulantes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia & intellectu spiritáli; ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, & crescentes in sciéntia Dei, in omni virtute confortáti secundùm poténtiam claritátis ejus.

*Hymnus.*

TE, Christe, laudent tempóra,
Quæ, dante te, sic úsibus
Paráta nostris sérviunt,
Ut te datórē sat probent.

MOMENTA vitæ síngula
Fac consecrentur sic tibi,
Omnes ut actus único
Jam dirigantur númini.

CURAS geret dum plúrimas
Foris ministrans déxtera,
Cor intùs ad te pérvigil
Unum gerat negótium.

TU vitis, in nos pálmites
Succos salúbres ínsere,
Quibus supernæ débitus
Fructus ferátur pátriæ.

SIC digna conspectus tuos
Mens ferre, quondam trístibus
Vinclis solúta córporis,
Tuo quiescet in sinu.

O META felix! pax ubi,
Et vera nos manet quies!
Ubi voluptátis sacro
Torrente potábis tuos!

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Deduc me Dñe, & ingrédiar in veritáte tua:
℟. Lætétur cor meũ, ut tímeat nomen tuũ. *Ps.* 85. 11.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 8. G. Dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël. *Luc.* 1.

## AD PRIMAM.

*Ant.* 7. *d.* Notam.

PSALMUS 87.

*Christus ab inimicis vexatus, ab amicis derelictus, opem Dei implorat.*

DOmine Deus salútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meã:

Quia repléta est malis ánima mea; * & vita mea inferno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum; * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormientes in sepulchris, quorum non es memor ámpliùs, * & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuérunt me in lacu

inferióri, * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus; * & omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos à me; * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília; * aut médici suscitábunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepulchro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam? * avertis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ, * & terróres tui conturbavérunt me;

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die, * circumdedérunt me simul.

Elongasti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

PSALMUS 142.

*Oratio pœnitentis, Dei opem deprecantis.*

DOmine, exaudi oratiónem meam, áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia:

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam, * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi, * & anxiátus est super me spíritus meus: in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuã à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in

qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

*Divisio Psalmi* 142.

ERipe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi; * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectã: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos:

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego servus tuus sum.

*Ant.* Notam fac mihi viam in qua ámbulem; quia ad te levávi ánimam meam, Dómine. *Ps.* 142.

AD TERTIAM.

*Ant.* 5. a. Beneplácitum est.

PSALMUS 28.

*Gentium conversio verbi Dei efficaciâ.*

AFferte Dómino, fílii Dei, * afferte Dño fílios aríetum.

Afferte Dño glóriam & honórem, afferte Dño glóriã nómini ejus: * adoráte Dñm in átrio sancto ejus.

Vox Dñi super aquas, Deus majestátis intónuit: * Dñs super aquas multas.

Vox Dñi in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dñi confringentis cedros: * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani, * & diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidentis flammam ignis, vox Dómini concutientis desertum: * & commovébit Dñs desertum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos, & revelábit condensa; * & in templo ejus omnes dicent glóriã.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * & sedébit Dñs rex in æternum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

PSALMUS 44.

*Carmen nuptiale: Christi & Ecclesiæ dotes.*

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedixit te Deus in æternum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ, * intende, prósperè procéde, & regna.

Propter veritátem, &

mansuetúdinem, & justítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.
Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga directiónis, virga regni tui.*
Dilexisti justítiam, & odisti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.
Myrrha, & gutta, & cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis, * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.
Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.
Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam, * & oblivíscere pópulum tuũ, & domum patris tui.
Et concupíscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.
Et fíliæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.
Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs, * in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.
Adducentur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi.
Afferentur in lætítia & exultatióne, * adducentur in templum regis.
Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.
Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.
Proptérea pópuli confitebuntur tibi in æternum, * & in séculum séculi.

PSALMUS 149.

*Christus celebrandus, qui suis in gentes ultricem potestatem sit daturus.*

CAntáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in ecclésia sanctórũ.
Lætétur Israël in eo qui fecit eum, * & fílii Sion exultent in rege suo.
Laudent nomen ejus in choro, * in tympano & psaltério psállant ei;
Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo; * & exaltábit mansuétos in salútem.
Exultábunt sancti in glória: * lætabuntur in cubílibus suis.
Exaltatiónes Dei in gútture eórum, * & gládii ancípites in mánibus eórum.
Ad faciendam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:
Ad alligandos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis.
Ut fáciant in eis judícium conscriptum: * gló-

nia hæc est ómnibus sanctis ejus.

*Ant.* Beneplácitū est Dño in pópulo suo. *Ps.* 149. 17.

*Capitulum.* Coloss. 3.

OMne quodcumque fácitis, in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi; grátias agentes Deo & Patri per ipsum.

℟. *br.* Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo, * In omni témpore. Glória Patri. Benedícam. *Ps.* 33. 2.

℣. Laudábo Dóminum in vita mea: ℟. Psallam Deo meo quámdiu fúero. *Ps.* 145. 2.

AD SEXTAM.

*Ant.* 1. a. Adjútor.

PSALMUS 45.

*Ecclesia Dei præsidio inconcussa.*

DEus noster refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum, * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur; * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram; * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma, * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 47.

*Ex Jerusalem in omnes terras delapsa salus.*

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admi-ráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in spíritu vehementi cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuũ, Deus, sic & laus tua in fines terræ : * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exultent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & compleξtímini eam:* narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * & distribúite domos ejus,ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in séculum séculi : * ipse reget nos in sécula.

PSALMUS 86.

*Laus Ecclesiæ : Fidelium infinitus numerus.*

FUndamenta ejus in móntibus sanctis:* díligit Dñs portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Glorióśa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthíopum; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, & homo natus est in ea, * & ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum; * horum qui fúerunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

*Ant.* Adjútor noster Deus; proptérea non timébimus. *Ps.* 45.

*Capitulum.* 2. Petr. 1.

SAtágite ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis; hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquando.

℟. *br.* Convértere, Dómine, úsquequo? * Et deprecábilis esto. Convértere. ℣. Et opus mánuum nostrárum dírige. * Et deprecábilis. Glória Patri. Convértere.

℣. Réspice in servos tuos, ℟. Et in ópera tua. *Ps.* 89. 13. 16.

AD NONAM.

*Ant.* 8. c. Pauper.

PSALMUS 59.

*Flebilis oratio Synagogæ.*

DEus, repulisti nos, & destruxisti nos : * irátus es, & misértus es nobis.

Commovisti terram, & conturbasti eam : * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendisti pópulo tuo dura : * potasti nos vino compunctiónis.

Dedisti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs ;

Ut liberentur dilecti tui : * salvum fac déxterâ tuâ, & exaudi me.

Deus locútus est in sancto suo : * Lætábor, & partíbor Síchimam, & convallem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, & meus est Manasses : * & Ephraïm fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos ? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne ; * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * & ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos.

PSALMUS 73.

*De populi, templique calamitate, questus.*

UT quid, Deus, repulisti in finem, * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedisti ab inítio.

Redemisti virgam hæreditátis tuæ : * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem : * quanta malignátus est inimícus in sancto ?

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa ; * & non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

Quasi in sylva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum, * in secúri & áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum, * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra,

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta ; * & nos non cognoscet ámpliùs.

*Divisio Psalmi 73.*

USquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem, rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmasti in virtúte tua mare, * contribulasti cápita dracónum in aquis.

Tu confregisti cápita dracónis, * dedisti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupisti fontes & torrentes, * tu siccasti flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox: * tu fabricátus es auróram & solem.

Tu fecisti omnes términos terræ: * æstátem & ver, tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino, * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; * & ánimas páuperum tuórũ ne obliviscáris in finem.

Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus; * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exurge, Deus, júdica causam tuam; * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum; * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

*Ant.* Pauper & inops laudábunt nomen tuum, Dómine. *Ps.* 73.

*Capitulum.* Philip. 4. 8.

QUæcumque sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℞. *br.* Propter nomen tuum, Dómine, * Vivificábis me. Propter. ℣. In æquitáte tua * Vivificábis me. Glória. Propter. *Ps.* 142. 11.

℣. Doce me fácere voluntátem tuam, ℞. Quia Deus meus es tu. *Psal.* 142. 10.

AD VESPERAS.

*Ant.* 4. *D.* Beáti omnes.

PSALMUS 127.

*Futuræ, præsentisque vitæ beatitudo timore Dei comparatur.*

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis; * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui sicut novellæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dñm.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Isráël.

*Ant.* Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

*Ant.* 1. a. Surge, Dñe.

PSALMUS 131.

*Oratio Ecclesiæ, Christum Davidi promissum exposcentis.*

MEmento, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus:

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eã in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induantur justítiam, * & sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, * non avertas fáciem christi tui.

*Ant.* Surge, Dómine, in réquiem tuam; & sancti tui exultent.

*Ant.* 7. ç. Sion réquies mea.

*Divisio Psalmi* 131.

JUrávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eum: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testamentum meum, * & testimónia mea hæc quæ docébo eos:

Et fílii eórum usque in séculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion, * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in séculum séculi; * hîc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus induam salutári : * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David : * parávi lucernam christo meo.

Inimícos ejus induam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

*Ant.* Sion réquies mea in séculum séculi : sancti ejus exultatióne exultábunt.

*Ant.* 3. a. Deus meus.

PSALMUS 143.

*Victoria ab hostibus, Dei donum est.*

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum ; * suscéptor meus, & liberátor meus.

Protéctor meus, & in ipso sperávi ; * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei ; * aut fílius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis factus est ; * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & descénde ; * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, & dissipábis eos ; * emitte sagittas tuas, & conturbábis eos.

Emitte manum tuam de alto ; éripe me, & líbera me de aquis multis ; * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem, * & déxtera eórũ, déxtera iniquitátis.

*Ant.* Deus meus, misericórdia mea, & suscéptor meus.

*Ant.* 6. F. Beátus.

*Divisio Psalmi* 14[illegible]

DEus, cánticum novum cantábo tibi : * in psaltério decachordo psallam tibi :

Qui das salútem régibus ; * qui redemísti David servum tuum de gládio maligno, éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem ; & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Quorum filii sicut novellæ plantatiónes, * in juventúte sua.

Fíliæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud :

Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis ; * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc sunt : * beá-

tus pópulus, cujus Dómi-
nus Deus ejus.

*Ant.* Beátus pópulus, cujus Dñs Deus ejus.

*Capitulum.* Gen. 2. 2.

COmplévit Deus die séptimo opus suum quod fécerat, & requiévit die séptimo ab universo ópere quod patrárat, & benedixit diéi séptimo, & sanctificávit illum.

*Hymnus.*

TANDEM peractis, ô Deus,
Sexto diérum límite,
Ponis modum labóribus,
Orbíque plaudis cóndito.

QUA, dextra cessávit tua,
Hanc ipse sacrasti diem,
Judæa quam legis tenax
Piis colébat rítibus.

FOEDUS novum, ritus novos
Christus dedit: Christo duce,
Adoptiónis filios
Jam sánctior manet quies.

FUGAVIT umbram véritas,
Antíqua cessant sábbata:
Jam lex amóris córdibus
Inscripta, mortáles regit.

DIVINA lex, tu nos rege;
Mentes reple, sensus doma:
Expelle nostro, queis scatet,
Curas inánes, péctore.

SIC, qui fugácis túrbidâ
Jactámur undâ sǽculi,
Cœli sedentes líttore,
Pleno fruémur ótio.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Lætábor & exultábo in te, ℟. Psallam nómini tuo, Altíssime. *Ps.* 9. 3.

*Ad* Magníficat. *Ant. & Orat. ut in Proprio.*

AD COMPLETOR.

*Ant.* 8. G. Miserére meî.

PSALMUS 50.

*Pœnitentis animi, humiles acerbique sensus.*

MIserére meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem

dilexiſti ; * incerta & occulta ſapiéntiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſópo, & mundábor ; * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiá, * & exultábunt oſſa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tuâ, * & ſpíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui,* & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries,* & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem útique ; holocauſtis non delectáberis.

Sacrificium Deo ſpíritus contribulátus : * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocauſta : * tunc impónent ſuper altáre tuũ vítulos.

PSALMUS 85.

*Oratio Chriſti pro fide gentium.*

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me ; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meã, quóniam ſanctus ſum : * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantẽ in te.

Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die : * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi ;

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, * & intende voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te,* quia exaudiſti me.

Non eſt símilis tuî in diis, Dómine,* & non eſt secundùm ópera tua.

Omnes gentes, quaſcumque feciſti, vénient & adorábunt coram te, Dómine ; * & glorificábunt nomen tuum ;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

*Divisio Psalmi 85.*

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me, * & eruisti ánimam meam ex inferno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspectu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére meî; * da impérium tuum púero tuo, & salvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, & consolátus es me.

*Ant.* Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die. *Ps.* 85.

*Hymnus, Capitul. &c. habentur infrà post Suffr. ad Vesperas.*

---

# IN FERIIS PER ANNUM.

## AD LAUDES.

*In Feriis quibus jejunatur, dicuntur flexis genibus Preces sequentes.*

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére meî: ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40. 5.

℣. Convértere, Dómine; úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89. 13.

℣. Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos; ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam; ℟. Et sancti tui exultent. *Psal.* 131. 9.

℣. Orémus pro Pastóre nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Ps.* 40. 3.

℣. Memor esto congre-

gatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Psal.* 73. 2.

℣. Dómine, salvum fac regem nostrum N. ℟. Et exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19. 10.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ: ℟. Et rege eos, & extolle illos usque in æternum. *Psal.* 27. 9.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalē: ℟. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121. 6.

℣. Orémus pro frátribus nostris absentibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Psal.* 124. 22.

℣. Pro infirmis, afflíctis & captívis. ℟. Líbera, Deus, Israël ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Psal.* 24. 4.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7. 9.

*Deinde dicitur Psalmus* De profundis, *qui habetur suprà in Vesperis Feriæ quartæ; & in fine,* Glória Patri.

[*In Vesperis, ejus loco dicitur Ps.* Miserére. 164. *cum* Glória Patri.]

*Finito Psalmo, dicitur:*

℣. Dómine Deus virtútum, convert e nos; ℟. Et ostende fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79. 20.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. 26.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

*Et dicitur Oratio conveniens: quando propria non assignatur, dicitur de Dominica præcedenti.*

*Dicto* Benedicámus, *si facienda sit commemoratio de aliquo Sancto, fit eo loco.*

*Deinde fiunt suffragia, seu Commemorationes communes, ut sequitur.*

DE S. CRUCE.

[*In Offic. Feriali tantùm.*]

*Ant.* Peccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. 1. *Petr.* 2. 24.

℣. Ipse rédimet Israël; ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129. 8.

Orémus.

Perpétuâ nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es; Qui vivis & regnas, Deus.

℟. Amen.

[*Si sequatur Offic. par-*

*vum B. Mariæ, tunc fit integra conclusio:* Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti, Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dño, ℟. Deo grátias.

*Deinde incipitur Officium parvum: quod dicitur in Feriis & Festis simplicibus.*

*Ubi verò non dicitur, ejus loco fit Suffragium sequens.* ]

*De Beata Maria.*

*Ant.* Beáta Dei génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritûs sancti, sola sine exemplo placuisti Dño nostro Jesu Christo.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

Orémus.

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; & beátæ Maríæ semper vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus & perículis redde secúros; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

*Postea fit Commem. de Patrono Ecclesiæ; ac de Titulari, si à Patrono differat. Si autem Ecclesia dedicata sit sub titulo SS. Trinitatis, aut S. Spiritûs, vel alicujus ex Mysteriis Christi; ejusmodi Commemoratio fit post Orationem de Cruce ante Suffragium de Beata. Quòd si in honorem S. Crucis dedicata sit, suprà-scripta Commem. de Cruce fit etiam in Festis simplicibus. Si verò sub invocatione S. Mariæ, non fit alia Commemoratio de ea, quàm quæ hîc habetur.*

*Deinde fit Commem. de omnibus SS. & speciatim de iis quorum Corpora aut saltem Reliquiæ habentur.*

*Ant.* Hi sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7. 15.

℣. In ætérnum exultábunt, & habitábis in eis; ℟. Et gloriabuntur in te, Dómine. *Ps.* 5. 12.

*In Oratione sequenti, extra Ecclesiam omittitur vox* [hac].

Orémus.

PRopitiáre, quæsumus, Dómine, fámulis tuis per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiescunt, & ómnium Sanctórum mérita gloriósa; ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis; Per Christum Dñm nostrum. ℟. Amen.

*Ultimò, pro Pace, Ant.*

Deus qui fecit nobiscum secundùm suam misericórdiam, det nobis jucunditátem cordis, & fieri pacem in diébus nostris. *Eccli.* 50. 24. 25.

℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit: ℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps.* 28. 11.

Orémus.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília & justa sunt ópera; da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut, & corda nostra mandátis tuis dédita, &, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dñm nostrum Jesum Christum Fílium tuũ, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

Dóminus vobiscum, *vel* Dómine, exaudi. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*A Circumcisione ad Purificationem, extra octavam Epiphaniæ, fit sola commemoratio sequens, nisi occurrat altera.*

*Ant.* Péperit María Fílium suum primogénitum, & vocávit nomen ejus Jesum. *Matth.* 1. 25.

℣. Post partum virgo inviolata permansisti; ℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Orémus.

BEáta témpora celebrantes, quæ per temporálem Unigéniti tui incarnatiónem, & partum Maríæ semper vírginis consecrasti; quæsumus, Dómine, ut ejusdem Dei Genitrícis intercessióne, & in illo renasci, & tanti mystérii fructum júgiter in nobis conserváre mereámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

## AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Præsens benigno númine,
Nostros ut actus dírigat.

NIL lingua peccet, nil manus;
Nil mens ináne cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cháritas.

INCŒPTA dùm fluet dies,
O Christe, sis custos vigil:
Da mente scire quod doces,
Da corde, quod jubes, sequi.

Tu spes salútis, áctuum
Tu finis & primórdium:
Te, prosequámur, áuspice,
Quæ, te favente, cœpimus.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

*In omnibus Festis Beatæ Mariæ.*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

[ *In Feriali Officio Psalmi & Antiph. dicuntur secundùm Feriam, ut singulis diebus assignantur.*

*In Festis verò Antiph. semper sumitur de Proprio, vel de Communi, & Psalmi tantùm dicuntur de Feria, nisi aliter notetur.* ]

*Capitulum.* Ephes. 5. 15.

Vidéte, fratres, quómodò cautè ambulétis; non quasi insipientes, sed ut sapientes: rediméntes tempus, quóniam dies mali sunt.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis.

℣. Qui sedes ad déxteram Patris, [ *Hic versus quandoque mutandus est, ut notatur in Proprio.* ] * Miserére nobis. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Matth.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Hebr.* 1. 3.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. 26.

P R E C E S.

*Quando ad Laudes dictæ sunt Preces, hæ dicuntur flexis genibus.*

*In Duplicibus & intra Octavas omittuntur seqq.* ℣℣.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster. *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum. ℣. Carnis resurrectiónem, ℟. Vitam æternam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et manè orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87. 14.

℣. Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Psal.* 70. 8.

℣. Averte fáciem tuam à peccátis meis; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50. 11.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. *Ps.* 50. 13.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui; ℟. Et spíritu principáli confirma me. *Ps.* 50. 14.

[ *Quando Preces dicuntur flexis genibus: adduntur seqq.* ℣℣. *ante* Adjutórium.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo: ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139. 2.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58. 2.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem; ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58. 3.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. *Ps.* 60. 9.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus salvátor meus. *Ps.* 24. 5.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. 2.

℣. Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, ℟. Et misericordiárum tuárum quæ à século sunt. *Ps.* 24. 6.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. *Ps.* 102. 1.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102. 2.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102. 3.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam; ℟. Qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus. *Ps.* 102. 4.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum; ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102. 5. ]

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dñi, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123. 8.

*Hebdomadarius facit Confessionem, mediocri voce dicens:*

Confiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, [ & vobis, fratres; ] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere: meâ culpâ, meâ culpâ, meâ

máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, [ & vos, fratres, ] oráre pro me ad Dñm Deum nostrum.

*Chorus dicit :*

Misereátur tuî omnípotens Deus ; & dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius respondet :* Amen.

*Deinde Chorus facit Confessionem ; & ubi dictum est :* vobis, fratres, *&* vos, fratres, *dicit :* tibi, pater, *&* te, pater.

*Mulieres in suis Conventibus, loco* fratres, *&* pater, *dicunt*, sorores, *&* mater.

*Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit :*

MIsereátur vestrî omnípotens Deus ; &, dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

[ *Qui solus recitat, semel dicit,* Confiteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, & additâ particulâ* &, *ante voces* ómnibus *&* omnes. *Deinde* Misereátur *semel, ad quod dicit,* nostrî, nostris, nos.]

INdulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

*Elevans vocem dicit :*

℣. Exaudi nos, Deus, salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64. 6.

℣. Miserére nostrî, Dómine, ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122. 3.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32. 22.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecisti, tuâ nos hódie salva virtúte ; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera ; Per Dóminum nostrum, &c. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dño. ℟. Deo grátias.

*Si dicenda sit Prima de Officio parvo B. Mariæ, præponitur Officio Capit.*

AD OFFIC. CAPITULI.

*Primò fit lectio Marty-*

*rologii, in cujus fine nihil respondetur; sed statim Hebdomadarius dicit:*

℣. Pretiósa in conspectu Dómini, ℟. Mors sanctórum ejus. *Ps.* 115. 6.

SAncta María, & omnes sancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári & salvári, qui vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórum: ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárũ dírige. *Ps.* 89. 16. 17. Glória Patri.

Orémus.

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc, & in æternum, te auxiliante, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in sécula seculórum.

℟. Amen.

*Lector*, Jube, domne, benedícere. [*Lectrix dicit*, domna: *solus vel sola recitans*, Dñe.] *Bened.* Det Dóminus leges suas in mentem nostram, & in corde nostro superscríbat eas. ℟. Amen. *Hebr.* 8, 10.

*Tunc fit lectio Canonis qui pro singulis diebus habetur suo loco, in cujus fine dicitur:* Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

*Post Lectionem, Hebdomadarius dicit:* Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123. 8.

*Submissiori voce dicit:* Benedícite. *Lector versus ad eum*: Deus. *Hebdomadarius:* Dñs nos benedícat, & ab omni malo defen-

dat, & perdúcat ad vitam æternam. *Lector.* Amen.

*Secretò.* Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

*Deinde* Pater noster.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

O Fons amóris, Spíritus,
O dulce lumen méntium;
Sacras refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui cháritas & vínculũ,
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Fac sancta jungant víncula.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

[*In Feriali Officio Psalmi & Antiphonæ dicuntur secundùm Feriam, ut singulis diebus assignantur.*

*In Festis verò Ant. semper sumitur de Proprio, vel de Communi, & Psalmi tantùm dicuntur de Feriâ, nisi aliter notetur.*]

*Capitul. & ℟. br. sumuntur ubi sumitur Antiph. super Psalmos; & sic ad alias Horas.*

*PRECES.*

*Quando ad Laudes dictæ sunt Preces, tunc ad Tertiam, Sextam, & Nonam, dicuntur flexis genibus.*

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos; ℟. Et ostende fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79. 20.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. 26.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

*Oratio conveniens.*

Dóminus vobiscum. Benedicámus Dómino.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

Jam solis áureum jubar
Pleno coruscat lúmine:
O vera, Christe, cláritas,
Nostris refulge sénsibus.

O dux salútis & via!
O vita, quos doces, rege;
Et quos regis, da cónsequi
Vitæ perennis gáudia.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;

Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ant. Psalmi, Capit.* ℟. *br. & Preces, si dicendæ sint, dicuntur ut suprà ad Tertiam.*

*Oratio conveniens.*

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

RECEDIT inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus supernam júgiter
Suspíret ardor pátriam.

DA, Christe, da tandem tuos
Cœli quiéte pérfrui;
Fac lucis usúræ brevi
Æterna succédat dies.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ant. Psalmi, Capit.* ℟. *br. & Preces, si dicendæ sint, dicuntur ut suprà ad Tertiam.*

*Oratio conveniens.*

AD VESPERAS.

*Preces, si dicendæ sint, habentur suprà 165. In iis, loco Ps.* De profundis, *dicitur Ps.* Miserére.

*SUFFRAGIA.*

*De S. Cruce.*

[*In Offic. Feriali tantùm.*]

*Ant.* Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dñi nostri Jesu Christi. *Gal. 6. 14.*

℣. In Deo salutáre meum, ℟. Et glória mea. *Ps. 61. 8.*

Orémus.

PErpétuâ nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es; Qui vivis & regnas, Deus. ℟. Amen.

[*Si sequantur Vesperæ de B. Maria, tunc fit integra conclusio:* Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen. *& post* Benedicámus *dicitur,* Deus, in adjutórium.

*Ubi verò non dicitur Officium parvum, ejus loco fit Suffragium sequens.*]

*De B. Maria.*

*Ant.* Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc. 1. 42.*

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére, & gloriósâ beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítiâ, & æternâ pérfrui lætítiâ; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

*s fit Commem. de*
*& Titulari, ut di-*
*suprà, 167.*
*de de omnibus S S.*
*iatim de iis quo-*
*rpora, aut saltem*
*e, habentur.*
Fulgébunt justi si-
n regno patris eó-
*Matth.* 13. 43.
usti confitebuntur
tuo, Dómine;
habitábunt recti
ltu tuo. *Ps.* 139. 14.
Orémus.
pitiáre, quæsumus,
mine, fámulis tuis
nctórum quorum
æ in [hac] Ecclé-
requiescunt, & óm-
Sanctórum mérita
a; ut eórum inter-
e ab ómnibus sem-
tegámur adversis;
hristum Dóminum
n.
Amen.
*imò, pro Pace.*
Da pacem, Dó-
in diébus nostris,
ion est álius, qui
pro nobis, nisi tu,
ioster.
Fiat pax in virtúte
. Et abundántia in
s tuis. *Ps.* 121. 7.
Orémus.
us, à quo sancta
esidéria, recta con-
justa sunt ópera:
ris tuis illam quam
is dare non potest,
; ut, & corda nostra
mandátis tuis dédita, &, hóstiũ sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobiscum. Benedicámus Dómino.

AD COMPLETOR.

CONverte nos, Deus salutáris noster:
℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84. 5.
℣. Deus, in adjutórium.

*Antiph. & Psalmi convenientes.*

*Hymnus.*

DEus creátor ómnium,
Grates peracto jam die,
Et noctis exortu preces
Proni tibi persólvimus.

QUOD longa peccávit dies,
Nocturnus éxpiet dolor;
Nec per sopóre nos sinas
Hostis patére fráudibus.

INFESTUS usque círcuit,
Quærens leo quem dévoret;
Umbrántibus tuos, Pater,
Natos sub alis prótege.

O QUANDO lucescet tuus,
Qui nescit occásum, dies?
O quando te perénniter
Amábimus, laudábimus!

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Capitulum.* 1.Petr.5.8.

SObrii estóte, & vigiláte; quia adversárius vester diábolus, tamquam leo rúgiens, circuit quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, * Commendo spíritum meum. In manus. ℣. Redemisti nos, Dómine, Deus veritátis: * Commendo. Glória Patri. In manus. *Ps.* 30. 6.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupillam óculi: ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos. *Ps.* 16. 8.

*Ant.* 3. c. Salva nos.

*Cantic. Simeonis.* Luc. 2.

NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum in pace:

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parasti * ante fáciem ómnium populórum:

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israël.

*Ant.* Salva nos, Dómine, vigilantes, custódi nos dormientes, ut vigilémus cum Christo, & requiescámus in pace.

*P R E C E S.*

*Quando dictæ sunt* Preces *in Vesperis, hæ dicuntur flexis genibus.*

*In Duplicibus & intra Octav. omittuntur sequentes* ℣ ℣.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum.

℣. Carnis resurrectiónem, ℟. Vitam æternam. Amen.

℣. Benedictus es, Dñe, Deus patrum nostrórum; ℟. Et laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum; ℟. Et laudábile, & superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedictus es in firmamento cœli; ℟. Et laudábilis, & gloriósus in sécula. *Dan.* 3. 56.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noster: ℟. Benedícat nos Deus. *Ps.* 66. 7. 8.

*Hebdomadarius facit Confessionem, mediocri voce dicens:*

COnfíteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, [ & vobis, fratres, ] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere: meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò

Precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélē Archángelum, beátum Joannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, [ & vos, fratres, ] oráre pro me ad Dñm Deum nostrum.

*Chorus dicit:*

Misereátur tuî omnípotens Deus; &, dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

*Hebdomadarius respondet:*

℟. Amen.

*Deinde Chorus facit Confessionem; & ubi dictum est:* vobis, fratres, *&* vos, fratres, *dicit:* tibi, pater, *&* te, pater.

*Mulieres in suis Conventibus, loco* fratres, *&* pater, *dicunt,* soróres, *&* mater.

*Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit:*

MIsereátur vestrî omnípotens Deus; &, dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit,* Confiteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, & additâ particulâ* &, *ante voces* ómnibus *&* omnes. *Deinde* Misereátur *semel, ad quod dicit* nostrî, nostris, nos. ]

INdulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Exaudi nos, Deus salutáris noster, ℟. Spes ómnium finium terræ. *Ps.* 64. 6.

℣. Miserére nostrî, Dómine: ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122. 3.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32. 22.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem nostram, & omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

*Finito Completorio, submissâ voce dicitur:* Benedícat & custódiat nos omnípotens & miséricors Dñs Pater, & Fílius, & Spíritus sanctus. ℟. Amen.

Et fidéliū ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

## ANTIPHONA DE BEATA, AD DEVOTIONEM.

SAlve, Regína, mater misericórdiæ; vita, dulcédo, & ſpes noſtra, ſalve; ad te clamámus éxules filii Evæ; ad te ſuſpirámus gementes & flentes in hac lacrymárum valle: eia ergo, advocáta noſtra, illos tuos miſericordes óculos ad nos converte; & Jeſum benedictū fructum ventris tui, nobis poſt hoc exílium oſtende, ô clemens, ô pia, ô dulcis virgo María.

℣. Ora pro nobis, ſancta Dei génitrix:

℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui glorióſæ vírginis matris Maríæ corpus & ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mereretur, Spíritu ſancto cooperante præparaſti; da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ interceſſióne ab inſtántibus malis & à morte perpétua liberémur: Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſt completum Officium dicitur ſecretò, Pater, Ave, Credo.*

## ABSOLUTIONES ET BENEDICT. ANTE LECTIONES.

### DOMINICA
### *IN I. NOCTURNO.*
*Et pro II. & V. Feria.*

*Abſolutio.*

EXaudi, Dómine Jeſu Chriſte, preces ſervórum tuórum, & miſerére nobis, qui cum Patre & Spíritu ſancto vivis & regnas in ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

*Benedictiones.*

1. Benedictióne perpétuâ benedícat nos Pater ætermus. ℟. Amen. *Sic reſpondetur* Amen *ad ſingulas Benedictiones.*

2. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur.

3. Spíritûs ſancti grátia illúminet ſenſus & corda noſtra.

### *IN II. NOCTURNO.*
*Et pro III. & VI. Feria.*

*Abſolutio.*

IPsíus píetas & miſericórdia nos ádjuvet, qui cum Patre & Spíritu ſan-

cto vivit & regnat in sécula seculórum.

℟. Amen.

*Benedictiones.*

4. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius & clemens.

5. Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ.

6. Ignem sui amóris accendat Deus in córdibus nostris.

*IN III. NOCTURNO.*

*Absolutio.*

A Vínculis peccatórum nostrórum absolvat nos omnípotens & miséricors Dñs. ℟. Amen.

*Benedictiones.*

7. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit & regnat.

8. Divínum auxílium máneat semper nobiscum.

9. Evangélica léctio sit nobis salus & protéctio.

*Si pro decima, aut pro septima, aut pro quarta Lectione legendum sit aliud Evangelium, tunc Benedictio erit :* Per evangélica dicta deleantur nostra delicta.

*Si tria legantur Evangelia, Benedictio ad tertium Evangelium erit :* Verba sancti Evangélii dóceat nos Christus Fílius Dei.

*Quando D. Episcopus Lectionem lecturus est, postquam ipse præmisit ex more,* Jube, domne, benedícere, *dignior post ipsum dicit illi,* Ora pro nobis, Pater. *Ipse autem Episcopus dicit Benedictionem convenientem,* Evangélica lectio, *vel,* Per evangélica, *vel,* Verba sancti, &c. *Tumque Chorus respondet* Amen. *Idem observatur ubi unicus est Presbyter.*

*Feriâ IV. & Sabbato;*

*Absol.* A vínculis, *ut sup.*

*Benedictiones.*

1. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit & regnat.

2. Divínum auxílium, &c.

3. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum.

*In omni Feria, quando legitur Evangelium cum Homilia, semper dicuntur Benedict. tertii Nocturni de Domin. Absolutio autem secundùm Feriam.*

*Intra Octavas Paschæ & Pentecostes, & quoties tertia Lectio est Evangelium, fit ut in Feriis quibus legitur Evangelium.*

*Aliàs verò intra Octavas, Absolut. & Benedict. dicuntur secundùm Feriam, cùm fit de Octava.*

*In Festis sex Lectionum dicuntur Absolutiones & Benedictiones secundi & tertii Nocturni diei Dominicæ, & quinta Benedictio est octava Festorum novem Lectionum* Cujus Festum, *vel* quorum, *vel* quarum.

*In Festo simplici dicitur Absolutio secundum Feriam.*

*Benedictiones verò :*

1. Ille nos benedícat.
2. Cujus festum cólimus, ipse [ *vel* ipsa ] pro nobis intercédat ad Dóminum, *vel* Quorum festum cólimus, ipsi pro nobis intercédant ad Dñm, *vel* Quarum, &c.
3. Ad societátem.

*Si pro tertia Lectione legatur Evangelium cum Homilia, & lectum non sit aliud Evangelium, tertia Benedictio erit*, Evangélica léctio, &c. *non autem*, Per evangélica.

*In Festis B. Mariæ, penultima Benedictio erit*, Cujus Festum cólimus; ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

*Sabbato autem, quando fit de ea, dicitur :* Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dñm.

*At in ejus Officio parvo, Benedictiones sunt ;* Nos cum prole pia. Vírginis Maríæ Fílius, & Per Vírginem, *ut proprio loco notantur.*

*Si in Feriis Lectio quarta est de Sancto, aut si in Festis trium & sex Lectionum, quarta aut septima Lectio occurrat de Sancto aut de Sanctis, Benedictio erit*, Ipse Deus pacis sanctíficet nos per ómnia.



# ROPRIUM
## DE TEMPORE
### PARS AUTUMNALIS.

IA QUARTA
Hebdomad. XI.
Pentecosten.
[...]mo tértio Regum.
[...]tio I. c. 5. v. 1.
[...] precatur Hiram.
[...]ísit quoque Hirā
[...] rex Tyri servos
[...] suos ad Salomó-
(audívit enim quòd
unxíssent regem pro
ejus :) quia amícus
Hiram David omni
[...]re. Misit autem Sá-
[...] ad Hiram, dicens:
[...]is voluntátem Da-
[...]atris mei, & quia
[...]otúerit ædificáre do-
nómini Dómini
[...]ui propter bella im-
[...]tia per circúitum,
[...] daret Dóminus eos
[...]estígio pedum ejus.
autem réquiem de-
[...]óminus Deus meus
[...]per circúitum:& non
[...]tan, neque occursus
[...]. Quamobrem có-
ædificáre templum
[...]i Dómini Dei mei,
locútus est Dómi-
David patri meo, di-
Fílius tuus, quem
pro te super sólium
tuum, ipse ædificábit do-
mum nómini meo. Præ-
cipe ígitur ut præcídant
mihi servi tui cedros de
Líbano, & servi mei sint
cum servis tuis: mercé-
dem autem servórum tuó-
rum dabo tibi quamcum-
que petíeris: scis enim
quómodo non est in pó-
pulo meo vir qui nóverit
ligna cædere sicut Si-
dónii.

℟. Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine; * Dedísti lætítiam in corde meo. *Ps.* 4. 7. ℣. Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea. *Act.* 2. 26. * Dedísti.

LECTIO II. v. 7.
*Responsio Hiram.*

CUm ergo audísset Hiram verba Salomónis, lætátus est valdè, & ait: Benedíctus Dóminus Deus hódie, qui dedit David fílium sapientíssimum super pópulum hunc plúrimum. Et misit Hiram ad Salomónem, dicens: Audívi quæcumque mandásti mihi: ego

fáciam omnem voluntátem tuam in lignis cédrinis & abiegnis. Servi mei depónent ea de Líbano ad mare: & ego compónam ea in rátibus in mari, usque ad locum quem significáveris mihi, & applicábo ea ibi; & tu tolles ea, præbebisque necessária mihi, ut detur cibus dómui meæ. Itaque Hiram dabat Salomóni ligna cédrina & ligna abiegna, juxta omnem voluntátem ejus. Sálomon autem præbébat Hiram coros trítici viginti míllia in cibum dómui ejus, & viginti coros puríssimi ólei: hæc tribuébat Sálomon Hiram per síngulos annos. Dedit quoque Dóminus sapiéntiam Salomóni, sicut locútus est ei: & erat pax inter Hiram & Salomónem, & percussérunt ambo fœdus.

℟. Magnus es tu, & fáciens mirabília; tu es Deus solus: * Deduc me, Dñe, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua. *Psal.* 85. 10. 11. ℣. Ego ipse mente sérvio legi Dei; carne autem legi peccáti. *Rom.* 7. 25. * Deduc me.

LECTIO III. v. 13.

*Numerus operariorum.*

ELegitque rex Sálomon operários de omni Israël, & erat indíctio triginta míllia virórum. Mittebatque eos in Líbanum, decē míllia per menses síngulos vicíssim, ita ut duóbus ménsibus essent in dómibus suis: & Adonírā erat super hujuscémodi indictióne. Fueruntque Salomóni septuaginta míllia eórum qui ónera portábant, & octóginta míllia latomórum in monte: absque præpósitis qui præerant síngulis opéribus, número triū míllium & trecentórum, præcipiéntium pópulo & his qui faciébant opus. Præcepítque rex ut tóllerent lápides grandes, lápides pretiósos in fundamentū templi, & quadrárent eos; quos dolavérunt cæmentárii Salomónis & cæmentárii Hiram: porrò Gíblii præparavérunt ligna & lápides ad ædificandam domum.

℟. Vivífica me, Dómine, & custódiam sermónes tuos; * Revéla óculos meos, † Et considerábo mirabília de lege tua. *Ps.* 118. 17. 18. ℣. Dómine, quid me vis fácere? *Act.* 9. 6. * Revéla. ℣. Glória. † Et considerábo.

*CANON.*

Ex Concílio Coloniensi.

*An.* 1536. *part.* 2. *c.* 6.

MUlto jam ex témpore pio ánimo desiderámus repurgári Bre-

viária: ná cùm olim à sanctíssimis Pátribus institútum sit, ut solæ Scriptúræ sacræ in Ecclésia recitarentur; nescímus quâ incúriâ accíderit, ut in eárum locum succésserint ália cũ iis neútiquã comparanda, atque ínterim históriæ Sanctórum tam incultæ & tam negligenti judício conscriptæ, ut nec autoritátẽ habére videantur, nec gravitátem.

FERIA QUINTA.

De libro secundo Paralipómenon.

LECTIO I. c. 9. v. 10.

*Aurum de Ophir.*

SEd & servi Hirã cum servis Salomónis attulérunt aurum de Ophir, & ligna thyina, & gemmas pretiosíssimas: de quibus fecit rex, de lignis scílicet thyinis, gradus in domo Dómini & in domo régia, cítharas quoque & psaltéria cantóribus: numquam visa sunt in terra Juda ligna tália. Erat autem pondus auri quod afferebátur Salomóni per síngulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri: exceptâ eâ summâ, quam legáti diversárum géntium & negotiatóres afferre consuéverant, omnesque reges Arábiæ, & sátrapæ terrárum, qui comportábant aurum & argentum Salomóni. Fecit ígitur rex Sálomon ducentas hastas áureas de summa sexcentórum aureórum, qui in síngulis hastis expendebantur: trecenta quoque scuta áurea trecentórum aureórum, quibus tegebantur síngula scuta: posuítque ea rex in armamentário quod erat cónsitum némore.

℟. Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, & sémitas tuas édoce me; * Dírige me in veritáte tua. *Ps.* 24. 4. 5. ℣. Sermo tuus véritas est. *Joan.* 17. 17. * Dírige me.

LECTIO II. v. 17.

*Magnificentia Salomonis.*

FEcit quoque rex sólium ebúrneum grande, & vestívit illud auro mundíssimo. Sex quoque gradus quibus ascendebátur ad sólium, & scabellum áureum, & brachíola duo altrínsecùs, & duos leónes stantes juxta brachíola, sed & álios duódecim leúnculos stantes super sex gradus ex utráque parte: non fuit tale sólium in universis regnis. Omnia quoque vasa convívii regis erant áurea, & vasa domûs saltûs Líbani ex auro puríssimo. Argentum enim in diébus illis pro níhilo reputabátur. Síquidem naves regis ibant in Tharsis cum

servis Hiram semel in annis tribus : & deferébant inde áurum & argentum, & ebur, & símias, & pavos. Magnificátus est ígitur Sálomon super omnes reges terræ præ divítiis & glória.

℟. Dómine, ad te confúgi : * Doce me fácere voluntátem tuam ; † quia Deus meus es tu. *Psal.* 142. 9. ℣. Pater, non mea volúntas, sed tua fiat. *Luc.* 22. 42. * Doce me.

LECTIO III. v. 23.

*Munera accepta.*

Omnesque reges terrárum desiderábant vidére fáciem Salomónis, ut audírent sapiéntiam quã déderat Deus in corde ejus : & deferébant ei múnera, vasa argéntea & áurea, & vestes, & arma, & arómata, equos & mulos per síngulos annos. Hábuit quoque Sálomon quadraginta míllia equórum in stábulis, & cúrruum equitumque duódecim míllia, constituitque eos in úrbibus quadrigárum, & ubi erat rex in Jerúsalem. Exércuit étiam potestátem super cunctos reges, à flúmine Euphrate usque ad terram Philistinórum, & usque ad términos Ægypti. Tantamque cópiam præbuit argenti in Jerúsalẽ quasi lápidum ; & cedrórum tantam multitúdinem velut sycomorórũ, quæ gignuntur in campéstribus. Adducebantur autem ei equi de Ægypto cunctisque regiónibus.

℟. Deus cœlórum, creátor aquárum, & Dóminus totíus creatúræ : * Da verbum in ore meo, & in corde meo † Consílium corróbora. *Judith.* 9. 17. 18. ℣. Magister bone, quid fáciam ut vitam ætérnam percípiam ? *Marc.* 10. 17. * Da verbum. ℣. Glória. † Consílium.

*CANON.*

Ex Concílio Remensi.

*An.* 1583. *tit.* 3.

Ne cui precum multitúdo aut prolíxitas tædium géneret . . . . potérunt Epíscopi, adhíbito Canonicórum & aliórum grávium virórum judício, preces ad eum modum redúcere, ut & Ecclésiæ dignitáti respóndeant, & fácilè ab ómnibus exolvi piéque decantári possint.

FERIA SEXTA.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 6. v. 1.

*Descriptio templi, & ejus partium.*

Factum est quadringentésimo & octogésimo anno egressiónis filiórum Israël de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, ( ipse

est mensis secundus,) regni Salomónis super Israël, ædificári cœpit domus Dómino. Domus autem quam ædificábat rex Sálomon Dómino, habébat sexaginta cúbitos in longitúdine, & viginti cúbitos in latitúdine, & triginta cúbitos in altitúdine. Et pórticus erat ante templum viginti cubitórum longitúdinis, juxta mensúram latitúdinis templi: & habébat decem cúbitos latitúdinis ante fáciem templi. Fecitque in templo fenestras oblíquas. Domus autem cùm ædificarétur, de lapídibus dolátis atque perfectis ædificáta est: & málleus, & secúris, & omne ferramentum, non sunt audíta in domo cùm ædificarétur. Et ædificávit domum, & consummávit eam: texit quoque domum laqueáribus cédrinis. Et ædificávit tabulátum super omnem domum quinque cúbitis altitúdinis, & opéruit domum lignis cédrinis.

℟. Omnia mandáta tua æquitas, Dómine: * Fiat manus tua ut salvet me; quóniam mandáta tua elégi. *Psal.* 118. 172. 173. ℣. Quid me oportet fácere, ut salvus fiam? *Act.* 16. 30. * Fiat manus tua ut salvet me.

LECTIO II. v. 14.

*Descriptio Oraculi.*

IGitur ædificávit Sálomon domum, & consummávit eam. Et fecit interiórem domum Oráculi in Sanctum sanctórum. Oráculum autem in médio domûs, in interióri parte fécerat, ut póneret ibi Arcam fœderis Dómini. Porrò Oráculum habébat viginti cúbitos longitúdinis, & viginti cúbitos latitúdinis, & viginti cúbitos altitúdinis; & opéruit illud atque vestívit auro puríssimo, sed & altáre vestívit cedro. Domum quoque ante Oráculum opéruit auro puríssimo, & affixit láminas clavis áureis. Nihilque erat in templo quod non auro tegerétur: sed & totum altáre Oráculi texit auro. Et fecit in Oráculo duos Chérubim de lignis olivárum, decem cubitórum altitúdinis. Posuitque Chérubim in médio templi interióris: extendébant autem alas suas Chérubim, & tangébat ala una paríetem, & ala Cherub secundi tangébat paríetem álterum: alæ autem álteræ in média parte templi se ínvicem contingébant. Texit quoque Chérubim auro.

℟. Manus tuæ, Dó-

mine, fecérunt me & plasmavérunt me: * Da mihi intelléctum, & discam mandáta tua. *Ps.* 118. 73. ℣. Jesu, fili David, miserére meî. *Luc.* 18. 38. * Da mihi.

LECTIO III. v. 29.
*Magnificus templi ornatus.*

OMnes parietes templi per circúitum sculpsit váriis cælatúris & torno: & fecit in eis Chérubim, & palmas, & picturas várias, quasi prominentes de pariete & egredientes. Sed & pavimentum domûs texit auro intrínsecùs & extrínsecùs. Et in ingressu Oráculi fecit ostíola de lignis olivárum, postesque angulórum quinque. Et duo óstia de lignis olivárum: & sculpsit in eis pictúram Chérubim, & palmárum spécies, & anáglypha valdè prominéntia: & texit ea auro, & opéruit tàm Chérubim quàm palmas, & cétera, auro. Fecitque in intróitu templi postes de lignis olivárum quadrangulátos: & duo óstia de lignis abiegnis altrínsecùs: & utrumque óstium duplex erat, & se ínvicem tenens aperiebátur. Et sculpsit Chérubim, & palmas, & cælatúras valdè eminentes: operuitque ómnia láminis aureis ópere quadro ad régulam.
℟. Ecce concupívi mandáta tua, Dómine; * In æquitáte tua vivífica me, † Et véniat super me misericórdia tua. *Ps.* 118. 40. 41. ℣. Dómine, jube me ad te veníre; Dómine, salvum me fac. *Matt.* 14. 28. 30. * In æquitáte. ℣. Glória. † Et véniat.

*C A N O N.*
Ex Concílio Remensi.
*Anno* 1564. *Congreg.* 3.

A Primæva Breviárii institutióne, id antíqui Patres voluisse videntur ut síngulis hebdómadis totum Psaltérium recitarétur.

S A B B A T O
De libro tértio Regum.
LECTIO I. c. 7. v. 1.
*Palatium Salomonis.*

DOmum autem suã ædificávit Sálomon trédecim annis, & ad perféctum usque perduxit. Ædificávit quoque domum saltûs Líbani centum cubitórum longitúdinis, & quinquaginta cubitórum latitúdinis, & triginta cubitórum altitúdinis; & quátuor deambulácra inter columnas cédrinas: ligna quippe cédrina excíderat in columnas. Pórticum quoque sólii, in qua tribúnal est, fecit; & texit lignis cédrinis à pavimento usque ad summitátem. Et domún-

tula, in qua sedebátur ad judicandum, erat in média pórticu, símili ópere. Omnia lapídibus pretiósis, qui ad normam quamdam atque mensúram tàm intrínsecùs quàm extrínsecùs serráti erant: à fundamento usque ad summitátem parietum, & extrínsecùs usque ad átrium majus. Et átrium majus rotundum, trium órdinum de lapídibus sectis, & uníus órdinis de doláta cedro; necnon & in átrio domûs Dómini interióri, & in pórticu domûs.

LECTIO II. v. 13.
*Vasa ad usum templi.*

MIsit quoque rex Sálomon, & tulit Hiram de Tyro, fílium mulíeris víduæ de tribu Néphthali, patre Tyrio, artíficem ærárium, & plenum sapiéntiâ, & intelligéntiâ, & doctrínâ, ad faciendum omne opus ex ære. Qui cùm venisset ad regem Salomónem, fecit omne opus ejus. Fecit mare fúsile decem cubitórum à lábio usque ad lábium, rotundum in circúitu: quinque cubitórum altitúdo ejus, & resticula triginta cubitórum cingébat illud per circúitum. Fecit quoque decem lúteres æneos: quadraginta batos capiébat luter unus, eratque quátuor cubitórum: síngulos quoque lúteres per síngulas, id est, decem bases, pósuit. Fecit ergo Hiram lebétes, & scutras, & hámulas, & perfécit omne opus regis Salomónis in templo Dómini. Omnia vasa, quæ fecit Hiram regi Salomóni in domo Dómini, de aurichalco erant. Et pósuit Sálomon ómnia vasa: propter multitúdinem autem nímiam non erat pondus æris.

LECTIO III. v. 48.
*Supellectilia aurea.*

FEcitque Sálomon ómnia vasa in domo Dómini: altáre áureum, & mensam, super quam ponerentur Panes propositiónis, áuream: & candelábra áurea, quinque ad déxteram, & quinque ad sinistram, contra Orá-culum, ex auro puro: & quasi lílii flores, & lucernas désuper áureas, & fórcipes áureos, & hydrias, & fuscínulas, & phíalas, & mortaríola, & thuríbula, de auro puríssimo: & cárdines ostiórum domûs interióris Sancti sanctórum, & ostiórum domûs templi, ex auro erant. Et perfécit omne opus quod faciébat Sálomon in domo Dómini, & íntulit quæ sanctificáverat David pater

suus, argentum & aurum, & vasa, repósuitque in thesauris domûs Dómini.

*CANON.*

Ex Concílio Narbonensi.

*An.* 589. *Can.* 2.

HOc definítum est, ut in psallendis ordínibus, per quemque psalmum, glória dicátur omnipotenti Deo: per majóres verò Psalmos, prout fúerint prolíxiùs, pausatiónes fiant, & per quamque pausatiónem glória Trinitátis Dómino decantétur.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. D. Intulit Sálomon ómnia quæ vóverat David pater suus, argentum, & aurum, & universa vasa pósuit in thesauris domûs Dei. 2. *Paral.* 5. *v.* 1.

*Oratio, infrà ad Laudes.*

DOMINICA XII. post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 8. v. 1.

*Arca fœderis translata in templum.*

TUnc congregáti sunt omnes majóres natu Israël cum princípibus tribuum, & duces familiárum filiórum Israël, ad regem Salomónem in Jerúsalem: ut deferrent Arcam fœderis Dómini, de Civitáte David, id est, de Sion. Convenitque ad regem Salomónem univérsus Israël in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis séptimus. Venerúntque cuncti senes de Israël, & tulérunt Arcam Sacerdótes. Et portavérunt Arcam Dómini, & tabernáculum fœderis, & ómnia vasa sanctuárii, quæ erant in tabernáculo: & ferébant ea Sacerdótes & Levítæ. Rex autem Sálomon, & omnis multitúdo Israël, quæ convénerat ad eum, gradiebátur cum illo ante Arcam, & immolábant oves & boves absque æstimatióne & número. Et intulérunt Sacerdótes Arcam fœderis Dómini in locum suũ, in Oráculum templi, in Sanctum sanctórum, subter alas Chérubim. Factum est autem, cùm exíssent Sacerdótes de Sanctuário, nébula implévit domum Dómini, & non póterant Sacerdótes stare, & ministráre propter nébulam: impléverat enim glória Dómini domum Dómini.

℟. 1. Date magnificéntiam Deo nostro; * Deî perfecta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia. *Deut.* 32. ℣. Deo & Patri nostro glória in sécula seculórum. *Phil.* 4. v. 20. * Dei.

LECTIO II. v. 12.
*Oratio & sacrificia Salomonis.*

TUnc ait Sálomon: Dóminus dixit ut habitáret in nébula. Ædíficans ædificávi domum in habitáculum tuum, firmíssimum sólium tuum in sempitérnum. Stetit autem Sálomon ante altáre Dómini in conspéctu ecclésiæ Israël, & expandit manus suas in cœlum, & ait: Dómine Deus Israël, non est símilis tuî Deus in cœlo désuper, & super terram deorsum: qui custódis pactum & misericórdiâ servis tuis, qui ambulábant coram te in toto corde suo. Factum est autem, cùm complesset Sálomon orans Dóminum, omnem oratiónem & deprecatiónem hanc, surrexit de conspéctu altáris Dómini: utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expánderat in cœlum. Stetit ergo, & benedixit omni ecclésiæ Israël.

℞. II. Tu es Deus meus; * Aperiantur, quæso, óculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad oratiónem quæ fit in loco isto. 2. *Par.* 6. *v.* 40. ℣. Ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris. *Rom.* 3, *v.* 4. * Aperiantur.

LECTIO III. v. 64.
*Salomon instituit festivitatem consecrationis templi.*

IN die illa sanctificávit rex médium átrii, quod erat ante domum Dómini: fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & ádipem pacificórum; quóniam altáre æreum, quod erat coram Dómino, minus erat, & cápere non póterat holocaustum, & sacrificium, & ádipem pacificórum. Fecit ergo Sálomon in témpore illo festivitátem célebrem, & omnis Israël cum eo, multitúdo magna ab intróitu Emath, usque ad rivum Ægypti, coram Dómino Deo nostro, septem diébus, & septem diébus, id est, quatuórdecim diébus. Et in die octáva dimísit pópulos, qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernácula sua lætantes, & álacri corde super ómnibus bonis, quæ fécerat Dóminus David servo suo, & Israël pópulo suo.

℞. III. Nos pópulus tuus, Dómine, & oves páscuæ tuæ; * Confitébimur tibi in séculum: † In generatiónem & generatiónem annuntiábimus laudem tuam. *Psal.* 78. 13. ℣. Deus & Pater Dómini

nostri Jesu Christi. 1. *Cor.* 1. *v.* 2. * Confitébimur. ℣. Glória. † In generatiónem.

*IN II. NOCTURNO.*

Orátio Salomónis in dedicatióne templi.

LECTIO IV. *lib.* 2. *Paral. cap.* 6. *v.* 16.

*Ad quem finem templum.*

DOmine Deus Israël, imple servo tuo patri meo David quæcumque locútus es, dicens: Non defíciet ex te vir coram me, qui sédeat super thronum Israël: ita tamen si custodíerint fílii tui vias suas, & ambuláverint in lege mea, sicut & tu ambulasti coram me. Et nunc, Dómine Deus Israël, firmétur sermo tuus quem locútus es servo tuo David. Ergone credíbile est ut hábitet Deus cum homínibus super terram? Si cœlum & cœli cœlórum non te cápiunt, quantò magis domus ista, quam ædificávi? Sed ad hoc tantùm facta est, ut respícias oratiónem servi tui, & obsecratiónem ejus, Dómine Deus meus; & áudias preces quas fundit fámulus tuus coram te: ut apérias óculos tuos super domum istam diébus ac nóctibus, super locum in quo pollícitus es ut invocarétur nomen tuum, & exaudíres oratiónem quam servus tuus orat in eo, & exáudias preces fámuli tui, & pópuli tui Israël. Quicumque oráverit in loco isto, exaudi de habitáculo tuo, id est, de cœlis, & propitiáre.

℟. IV. Dómine, quis dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra judíciũ tuum? * Cùm ergo sis justus, justè ómnia dispónis. *Sap.* 12. *v.* 12. 15. ℣. Justus es, Dómine, qui es, & qui eras sanctus. *Apoc.* 16. *v.* 5. * Cùm ergo.

LECTIO V. v. 24.

*Deus exaudit in templo.*

SI superátus fúerit pópulus tuus Israël ab inimícis, (peccábunt enim tibi;) & conversi égerint pœniténtiam, & obsecráverint nomen tuum, & fúerint deprecáti in loco isto: tu exáudies de cœlo, & propitiáre peccáto pópuli tui Israël, & reduc eos in terram, quam dedisti eis, & pátribus eórum. Si clauso cœlo, plúvia non flúxerit propter peccáta pópuli, & deprecáti te fúerint in loco isto, & confessi nómini tuo, & conversi à peccátis suis, cùm eos afflíxeris: exaudi de cœlo, Dómine, & dimitte peccáta servis tuis & pópuli tui Israël, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur; & da

plúviam terræ, quam dedisti pópulo tuo ad possidendum. Fames si orta fúerit in terra, & pestiléntia, ærúgo, & aurúgo, & locusta, & bruchus; & hostes, vastátis regiónibus, portas obsséderint civitátis, omnísque plaga & infirmitas présserit: si quis de pópulo tuo Israël fúerit deprecátus, cognoscens plagam & infirmitátem suam, & expánderit manus suas in domo hac: tu exáudies de cœlo, de sublími scílicet habitáculo tuo, & propitiáre, & redde unicuíque secundùm vias suas, quas nosti eum habére in corde suo: (tu enim solus nosti corda filiórum hóminum.)

℟. v. Virtus tua, Dómine, justítiæ inítium est; * Et ob hoc quòd ómnium Dóminus es, ómnibus te párcere facis. *Sap.* 12. *v.* 16. ℣. Accepisti virtútem tuam magnam, & regnasti. *Apoc.* 11. *v.* 17. * Et ob hoc.

Lecto vi. v. 36.

*Arca in templo.*

Si autem peccáverint tibi, (neque enim est homo qui non peccet,) & irátus fúeris eis, & tradíderis hóstibus, & captívos dúxerint eos in terram longinquam, vel certè quæ juxtà est; & conversi in corde suo, in terra ad quam captívi ducti fúerant, égerint pœniténtiam, & deprecáti te fúerint in terra captivitátis suæ, dicentes: Peccávimus, iníquè fécimus, injustè égimus; & reversi fúerint ad te in toto corde suo, & in tota ánima sua, in terra captivitátis suæ, ad quam ducti sunt, adorábunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti pátribus eórum, & urbis quam elegisti, & domûs quam ædificávi nómini tuo: tu exáudies de cœlo, hoc est de firmo habitáculo tuo, preces eórum, & fácias judícium, & dimittas pópulo tuo, quamvis peccatóri. Tu es enim Deus meus; aperiantur, quæso, óculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad oratiónem quæ fit in loco isto. Nunc ígitur consurge, Dómine Deus, in réquiem tuam, tu & arca fortitúdinis tuæ: sacerdótes tui, Dómine Deus, induantur salútem, & sancti tui lætentur in bonis. Dómine Deus, ne avérteris fáciem christi tui: memento misericordiárum David servi tui.

℟. vi. Qui facis misericórdiam tuam in míllibus, * Fortíssime, magne, & potens, † Dómi-

nus exercítuum nomen tibi. *Jer.* 32. *v.* 18. ℣. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? *Apoc.* 16. *v.* 4. * Fortíssime. ℣. Glória. ✝ Dóminus.

*IN III. NOCTURNO.*

Sermo sancti Stéphani Proto-Mártyris.

LECT. VII. *Act.* c. 7. v. 44.

*Salomonis Templum.*

TAbernáculum testimónii fuit cum pátribus nostris in desérto, sicut dispósuit illis Deus, loquens ad Móysen, ut fáceret illud secundùm formam quam víderat. Quod & induxérunt, suscipientes patres nostri cum Jesu in possessiónem géntiũ quas éxpulit Deus à fácie patrum nostrórum, usque in diébus David, qui invénit grátiam ante Deum, & pétiit ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. Sálomon autem ædificávit illi domum. Sed non Excelsus in manufactis hábitat, sicut Prophéta dicit: Cœlum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meórum. Quã domum ædificábitis mihi, dicit Dóminus? aut quis locus requietiónis meæ est? nonne manus mea fecit hæc ómnia? Durâ cervíce, & incircumcísis córdibus & áuribus, vos semper Spirítui Sancto resíſtitis; sicut patres vestri, ita & vos.

℟. VII. Qui te odérunt, extulérunt caput; erubéscant & conturbentur: & cognoscant quia nomen tibi Dóminus; * Tu solus altíssimus in omni terra. *Psal.* 82. *v.* 3. 10. 19. ℣. Justæ & veræ sunt viæ tuæ; Rex sæculórum. *Apoc.* 15. 3. * Tu solus.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO VIII. c. 9. v. 1.

*Tabernaculi significatio.*

HAbuit quidẽ & prius testamentũ, justificatiónes cultúræ, & sanctũ seculáre. Tabernáculum enim factum est primum, in quo erant candelábra, & mensa, & propositio panum, quæ dícitur Sancta. Post velamentum autem secundum, tabernáculum, quod dícitur Sancta Sanctórum: áureum habens thuríbulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna áurea habens manna, & virga Aaron, quæ frondúerat, & tábulæ testamenti; superque eam erant Chérubim glóriæ obumbrántia propitiatórium: de quibus non est modò dicendum per síngula. His verò ita compósitis, in prióri quidem tabernáculo semper introíbant

troîbant Sacerdótes, sacrificiórum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus póntifex, non sine sánguine, quem offert pro sua & pópuli ignorántia: hoc significante Spíritu sancto, nondum propalátam esse sanctórum viam, adhuc prióre tabernáculo habente statum. Quæ parábola est témporis instantis, juxta quam múnera & hóstiæ offeruntur, quæ non possunt juxta consciéntiam perfectum fácere serviéntem solúmmodò in cibis & in pótibus, & váriis baptismátibus, & justítiis carnis usque ad tempus correctiónis impósitis.

℞. VIII. Quàm bonus Israël Deus, * His qui recto sunt corde! *Ps.* 72. *v.* 1. ℣. Voluntas Dei bona & benéplacens & perfecta. *Rom.* 12. *v.* 2. * His qui.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO IX. c. 10. 23.

*Samaritanus.*

IN illo témpore; Convérsus Jesus ad discípulos suos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis: dico enim vobis, quòd multi prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, & non vidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm.* 171. *de verb. Apost.*

TOtum genus humánum est homo ille qui jacebat in via semivívus à latrónibus relictus, quem contempsit tránsiens Sacerdos & Levítes, & accessit ad eum curandum eíque opitulandum tránsiens Samaritánus. Tránsiit Sacerdos, útique génere próximus; prætériit jacentem. Tránsiit Levítes, & hic génere próximus: jacentem étiam ipse contempsit. Tránsiit Samaritánus, génere longinquus, misericórdiâ próximus: fecitque quod nostis. In quo Samaritáno vóluit se intél'igi Dóminus noster Jesus Christus. Quid tam longinquum, quid tam remótum, quàm Deus ab homínibus, immortális à mortálibus, justus à peccatóribus? Non loco longè, sed dissimilitúdine. Cùm ergo longè à nobis esset immortális & justus, tamquam à mortálibus & peccatóribus; descendit ad nos, ut fieret nobis próximus ille longinquus. Et quid fecit... ut esset próximus nobis? Duo attende: Justus est, immortális est. In tuis malis una est culpa, áltera est pœna: culpa est quòd injustus es; pœna

est quòd mortális es. Ille ut esset próximus, suscépit pœnam tuam, non suscépit culpam tuam. Non factus est ille peccátor, quod tu; sed factus est mortális, quod tu. Manens justus, factus est mortális. Suscipiendo pœnam, & non suscipiendo culpam; & culpam delévit & pœnam.

℟. IX. Ei qui potens est ómnia fácere superabundanter quàm pétimus aut intellígimus, * Ipsi glória in Ecclésia, & in Christo Jesu † In omnes generatiónes. *Eph.* 3. *v.* 20. 21. ℣. Potestas ejus, potestas sempiterna, & regnum ejus in generatiónem & generatiónem. *Dan.* 4. *v.* 31. * Ipsi glória. ℣. Glória. † In omnes.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 8. G. Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, & incidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum: & plagis impósitis, abiérunt semivívo relícto. *Luc.* 10. 30.

Orémus.

OMnípotens & miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi à fidélibus tuis dignè & laudabíliter serviátur: tríbue, quæsumus, nobis, ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

CANON.

Ex Concílio Burdigalensi. *An.* 1583. *tit.* 5.

PArochi vetus illud decrétum idéntidem denúntient, quo, propósitâ excommunicatiónis pœnâ, præcípitur, ne quis tribus contínuis Domínicis, à Parochiális Missæ celebratióne absit. Quod ut accurátiùs adhuc observétur, sciscitentur Confessárii à pœniténtibus, an huic offício satisfécerint; & peccáti gravitátem, ut ab eo in pósterùm arceantur, ipsis propónant.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. *f.* Samaritánus quidam iter fáciens, venit secùs eum; & videns eum, misericórdiâ motus est. *Luc.* 10. 33.

*Oratio ut suprà ad Laudes.*

FERIA SECUNDA.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 10. 1.

*Regina Saba.*

SEd & regína Saba, audítâ famâ Salomónis in nómine Dómini, venit tentáre eum in ænigmátibus. Et dócuit eam Sálomon ómnia verba quæ proposúerat: non fuit sermo qui regem posset latére, & non respondéret ei. Dixitque ad re-

gem : Verus est sermo quem audívi in terra mea super sermónibus tuis & super sapiéntia tua : & non credébam narrántibus mihi, donec ipsa veni, & vidi óculis meis, probávi quòd média pars mihi nuntiáta non fúerit : major est sapiéntia & ópera tua, quàm rumor quem audívi. Beáti viri tui, & beáti servi tui, qui stant coram te semper, & áudiunt sapiéntiam tuam. Rex autem Sálomon dedit regínæ Saba ómnia quæ vóluit & petívit ab eo : exceptis his, quæ ultrò obtúlerat ei múnere régio. Quæ reversa est, & ábiit in terram suam cum servis suis.

℟. Date. *pag.* 188.

LECTIO II. c. 11. 1.

*Lapsus Salomonis.*

REx autem Sálomon adamávit mulíeres alienígenas multas, fíliā quoque Pharaónis, & Moabítidas, & Ammonítidas, Idumæas, & Sidónias, & Hethæas. Fueruntque ei uxóres quasi regínæ septingentæ, & concubínæ trecentæ : & avertérunt mulíeres cor ejus. Tunc ædificávit Sálomon fanum Chamos, idólo Moab, in monte qui est contra Jerúsalem, & Moloch idólo filiórum Ammon. Atque in hunc modum fecit univérsis uxóribus suis alienígenis, quæ adolébant thura, & immolábant diis suis. Dixit ítaque Dóminus Salomóni : Disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. Verúmtamen in diébus tuis non fáciam propter David patrem tuum : de manu filii tui scindam illud, nec totum regnum áuferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, & Jerúsalem quam elégi.

℟. Tu es Deus. *p.* 189.

LECTIO III. v. 29.

*Decem tribus secuturæ Jeroboam. Mors Salomonis.*

FActum est in témpore illo, ut Jeróboā egrederétur de Jerúsalem, & inveníret eum Ahías Silonítes Prophéta in via, opertus pállio novo: erant autem duo tantùm in agro. Apprehendensque Ahías pállium suum novum, quo opertus erat, scidit in duódecim partes. Et ait ad Jeróboam : Tolle tibi decem scissúras : hæc enim dicit Dóminus Deus Israël : Ecce ego scindam regnum de manu Salomónis, & dabo tibi decem tribus ; & afflígam semen David super hoc, verúmtamen non cunctis diébus. Vóluit ergo Sálo-

mon interficere Jeróboã, qui surrexit, & aufúgit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, & fuit in Ægypto usque ad mortem Salomónis. Dies autem, quos regnávit Sálomon in Jerúsalem super omnem Israël, quadraginta anni sunt. Dormivitque Sálomon cum pátribus suis, & sepultus est in Civitáte David patris sui, regnavitque Róboam filius ejus pro eo.

℟. Nos pópulus. *p.* 189.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 25. de purgatorio.*

CUrent Epíscopi ut fidélium vivórũ suffrágia, Missárum scílicet sacrifícia, oratiónes, eleemósynæ, aliaque pietátis ópera, quæ à fidélibus pro áliis fidélibus defunctis fieri consuevérunt, secundùm Ecclésiæ institúta piè & devótè fiant: & quæ pro illis ex testatórum fundatiónibus vel ália ratióne debentur, non perfunctóriè, sed à Sacerdótibus, & Ecclésiæ Ministris, aliisque, qui hoc præstáre tenentur, diligenter & accurátè persolvantur.

FERIA TERTIA.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 12. 1.

*Roboam Rex Juda.*

VEnit autem Róboam in Sichem: illuc enim congregátus erat omnis Israël ad constituendum eum regem. Venit ergo Jeróboam, & omnis multitúdo Israël, & locúti sunt ad Róboam, dicentes: Immínue páululùm de império patris tui duríssimo. Qui ait eis: Ite usque ad tértium diem, & revertímini ad me. Venit ergo Jeróboam, & omnis pópulus ad Róboã die tértiâ. Respónditque rex pópulo dura, derelicto consílio seniórum, quod ei déderant; & locútus est eis secundùm consílium júvenum. Videns ítaque pópulus quòd noluisset eos audíre rex, ábiit in tabernácula sua. Super fílios autem Israël, quicumque habitábant in civitátibus Juda, regnávit Róboam.

℟. Quis, Dómine. *p.* 190.

LECTIO II. c. 12. 20. & 13. 1.

*Jeroboam Rex Israël.*

FActum est autem cùm audísset omnis Israël, quòd reversus esset Jeróboam, misérunt, & vocavérunt eum congregáto cœtu, & constituérunt eum regem super omnem Israël, nec secútus est quisquam domum David præter tribum Juda solam. Ædificávit autem Jeróboam Sichem in monte

Ephraïm, & habitávit ibi: & egressus inde ædificávit Phánuel. Dixitque Jeróboam in corde suo: Nunc revertétur regnum ad domum David. Et excogitáto consílio fecit duos vítulos áureos, & dixit eis: Nolíte ultrà ascéndere in Jerúsalem: ecce dii tui, Israël, qui te eduxérunt de terra Ægypti. Posuitque unum in Bethel, & álterum in Dan. Et ecce vir Dei venit de Juda in sermóne Dómini in Bethel, Jeróboam stante super altáre, & thus jaciente. Et exclamávit: Altáre, altáre: Ecce filius nascétur dómui David, Josías nómine, & immolábit super te sacerdótes excelsórum. Hoc erit signum quod locútus est Dóminus: Ecce altáre scindétur, & effundétur cinis qui in eo est. Altáre quoque scissum est, & effúsus est cinis de altári. Abiit ergo (vir Dei) per áliam viam, & non est reversus per iter quo vénerat in Bethel.

℟. Virtus tua. *p.* 191.

LECTIO III. V. 11.

*Mors inobedientis Prophetæ.*

PRophétes autem quidam senex habitábat in Bethel, ad quem venérunt filii sui, & narravérunt ei ómnia ópera, quæ fécerat vir Dei illâ die in Bethel: & verba quæ locútus fúerat ad regem, narravérunt patri suo. Et dixit eis pater eórum: Per quam viam ábiit? Ostendérunt ei fílii sui viam, per quam abíerat vir Dei qui vénerat de Juda. Et ábiit post virum Dei, & reduxit secum: comédit ergo panem in domo ejus, & bibit aquam. Cumque comedisset & bibisset, stravit ásinum suum Prophétæ quem redúxerat. Qui cùm abiisset, invénit eum leo in via, & occídit, & erat cadáver ejus projectum in itínere: ásinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cadáver. Quod cùm audisset Prophéta ille, qui redúxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobédiens fuit ori Dómini. Tulit ergo Prophétes cadáver viri Dei; & pósuit illud super ásinum, & reversus íntulit in civitátem, ut plángeret eum.

℟. Qui facis. *pag.* 191.

C A N O N.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *tit.* 16. *Can.* 18.

IN Ecclésiis in quibus plura & vária anniversária constitúta sunt, ita ut ad ea celebranda tempus sufficere non possit absque diminutióne divíni quotidiáni Officii; stá-

tuit hæc Synodus, ut Epíscopi autoritáte ejúsmodi anniversária ad certum modum reducantur, & certis diébus celebranda præscribantur; commemoratióne tamen semper hábitâ eórum qui legáta & anniversária relíquerint.

FERIA QUARTA.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 14. 1.

*Ahias consultus à Jeroboam.*

IN témpore illo ægrotávit Abia fílius Jeróboam. Dixitque Jeróboam uxóri suæ: Surge, & commúta hábitum, & vade in Silo, ubi est Ahías Prophéta. At ille non póterat vidére, quià caligáverant óculi ejus præ senectúte. Audívit Ahías sónitum pedum ejus introeuntis per óstium, & ait: Ingrédere, uxor Jeróboam; quare áliam te esse símulas? vade & dic Jeróboam: Hæc dicit Dóminus Deus Israël: Mundábo relíquias domûs Jeróboam, sicut mundári solet fimus usque ad purum. Qui mórtui fúerint de Jeróboam in civitáte, cómedent eos canes; qui autem mórtui fúerint in agro, vorábunt eos aves cœli: quia Dóminus locútus est. Tu ígitur surge, & vade in domum tuam: & in ipso intróitu pedum tuórum in urbem, moriétur puer. Surrexit ítaque uxor Jeróboam, & ábiit, & venit in Thersa: cumque illa ingrederétur limen domûs, puer mórtuus est. Dies autem quibus regnávit Jeróboam, viginti duo anni sunt: & dormívit cum pátribus suis; regnavitque Nadab fílius ejus pro eo.

℟. Qui te odérunt. *pag.* 192.

LECTIO II. v. 21.

*Peccata Roboam & populi ejus.*

PORrò Róboam fílius Salomónis regnávit in Juda. Quadragínta & uníus anni erat Róboam cùm regnáre cœpisset, decem & septem annos regnávit in Jerúsalem civitáte, quam elégit Dóminus, ut póneret nomen suum ibi, ex ómnibus tríbubus Israël. Nomen autem matris ejus Naáma Ammanítis. Et fecit Judas malum corã Dómino, & irritavérunt eum super ómnibus quæ fécerant patres eórum in peccátis suis quæ peccavérunt. Ædificavérunt enim & ipsi sibi aras, & státuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem árborem frondósam: sed & effemináti fuérunt in terra, fecerunt

que omnes abominatiónes Géntium, quas attrívit Dóminus ante fáciem filiórum Israël.

℟. Quàm bonus. 193.

De libro secundo Paralipómenon.

LECTIO III. c. 12. v. 2.

*Roboam traditus regi Sesac.*

ANno quinto regni Róboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerúsalem: cepitque civitátes munitíssimas in Juda, & venit usque in Jerúsalem. Semeías autem prophéta ingressus est ad Róboam, & príncipes Juda qui congregáti fúerant in Jerúsalem fugientes Sesac, dixitque ad eos: Hæc dicit Dóminus: Vos reliquistis me, & ego relíqui vos in manu Sesac. Consternatíque príncipes Israël & rex dixérunt: Justus est Dóminus. Cumque vidisset Dóminus quòd humiliáti essent, factus est sermo Dómini ad Semeíam dicens: Quia humiliáti sunt, non disperdam eos, dabóque eis pauxillum auxílii, & non stillábit furor meus super Jerúsalem per manum Sesac. Verúmtamen sérvient ei, ut sciant distántiam servitútis meæ & servitútis regni terrárum. Recessit ítaque Sesac rex Ægypti ab Jerúsalem, sublátis thesauris domûs Dómini & dómûs regis, omniaque secum tulit, & clypeos áureos quos fécerat Sálomon, pro quibus fecit rex æneos. Confortátus est ergo rex Róboam in Jerúsalem. Fecit autem malum, & non præparávit cor suum ut quæreret Dóminum. Et dormívit Róboam cum pátribus suis, sepultusque est in civitáte David. Et regnávit Abia filius ejus pro eo.

℟. Ei qui potens est. 194.

*CANON.*

Ex Concílio Cabillonensi secundo. *An. 813. can. 6.*

IMputátur quibusdam frátribus, eò quòd avarítiæ causâ homínibus persuádeant, ut abrenuntiantes século res suas Ecclésiæ cónferant: quod pénitùs ab ómnium méntibus eradicandum est. Animárum quippe salútem inquírere Sacerdos, non lucra terréna debet: quóniam fidéles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumveniendi; oblátio quippe spontánea esse debet.

FERIA QUINTA.

De libro secundo Paralipómenon.

LECTIO I. c. 13. v. 1.

*Abia secundus rex Juda.*

ANno octávo décimo regis Jeróboã, regnávit Abia su-

per Judam. Tribus annis regnávit in Jerúsalem, & erat bellum inter Abiam & Jeróboam. Stetit ergo Abia super montem Sémeron qui erat in Ephraïm, & ait: Audi, Jeróboam & omnis Israël. Num ignorátis quòd Dóminus Deus Israël déderit regnum David super Israël in sempitérnum, ipsi & filiis ejus in pactũ salis? Nunc ergo vos dícitis quòd resístere possítis regno Dómini, quod póssidet per filios David, habetísque grandem pópuli multitúdinem, atque vítulos áureos quos fecit vobis Jeróboam in deos. Et ejecistis sacerdótes Dómini, filios Aaron, atque Levítas. Hæc illo loquente, Jeróboam retrò moliebátur insídias. Cumque ex adverso hóstium staret, ignorantem Judam suo ambiébat exércitu. Respiciensque Judas vidit instáre bellum ex adverso & post tergum, & clamávit ad Dóminum; ac sacerdótes tubis cánere cœpérunt: omnesque viri Juda vociferáti sunt; & ecce illis clamántibus, pertérruit Deus Jeróboã, & omnem Israël qui stabat ex adverso Abia & Juda. Humiliatíque sunt filii Israël in témpore illo, & vehementíssimè confortáti filii Juda, eò quòd sperassent in Dño Deo patrum suórum. Nec váluit ultrà resístere Jeróboam in diébus Abia, quem percussit Dóminus, & mórtuus est.

℟. Date. 188.

LECTIO II. c. 14. v. 1.

*Asa tertius rex Juda.*

DOrmívit autẽ Abia cum pátribus suis, & sepeliérunt eum in civitáte David: regnavitque Asa filius ejus pro eo, in cujus diébus quiévit terra annis decem. Fecit autem Asa quod bonum & plácitum erat in conspectu Dei sui: & subvertit altária peregríni cultûs, & excelsa; & confrégit státuas, lucosque succídit. Ædificávit quoque urbes munítas in Juda; quia quiétus erat, & nulla tempóribus ejus bella surrexérunt, pacem Dómino largiente. Hábuit autem Asa in exércitu suo portántium scuta & hastas de Juda trecenta míllia, de Bénjamin verò scutariórum & sagittariórum ducenta octoginta míllia, omnes isti viri fortíssimi. Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exércitu suo, décies centéna míllia & cúrribus trecentis: & venit usque Marésa. Porrò Asa perrexit óbviam ei, & instruxit á-

tiem ad bellum in valle Séphata, quæ est juxta Marésa, & invocávit Dóminum Deum. Extérruit itaque Dóminus Æthíopes coram Asa & Juda; fugeruntque Æthíopes. Et persecútus est eos Asa, & pópulus qui cum eo erat, usque Gerara: & ruérunt Æthíopes usque ad interneciónem.

℟. Tu es Deus. 189.

LECTIO III. c. 15. v. 1.

*Azariæ verbis motus rex Asa idola destruit.*

AZarías autem fílius Oded, facto in se Spíritu Dei, egressus est in occursum Asa, & dixit ei: Audíte me, Asa & omnis Juda & Bénjamin: Dóminus vobíscum, quia fuistis cum eo. Si quæsiéritis eum, inveniétis: si autem dereliquéritis eum, derelinquet vos. Quod cùm audisset Asa, confortátus est, & ábstulit idóla de omni terra Juda, & de Bénjamin, & ex úrbibus, quas céperat, montis Ephraïm, & dedicávit altáre Dñi quod erat ante pórticum Dómini. Congregavitque universum Júdam & Bénjamin, & ádvenas cum eis de Ephraïm, & de Manasse, & de Símeon. Et intrávit ex more ad corroborandum fœdus, ut quærerent Dóminum Deum patrum suórum in toto corde & in tota ánima sua. Si quis autem, inquit, non quæsíerit Dóminum Deum Israël, moriátur, à mínimo usque ad máximum, à viro usque ad mulíerē. Juraveruntque Dómino voce magnâ in júbilo, & in clangóre tubæ, & in sónitu buccinárum. Excelsa autem derelicta sunt in Israël: áttamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus. Eaque quæ vóverat pater suus & ipse, íntulit in domum Dómini argentum & aurum, vasorumque diversam supelléctilem. Bellum verò non fuit usque ad trigésimum quintum annum regni Asa.

℟. Nos pópulus. 189.

*C A N O N.*

Ex Concílio Lugdunensi secundo œcuménico.

*An.* 1274. *cap.* 25.

SIt ad Ecclésias húmilis ac devótus ingressus: cessent in illis vana, & multò fórtiùs fœda & profána collóquia: cessent confabulatiónes quælibet.

FERIA SEXTA.

De libro secundo Paralipómenon.

LECTIO I. c. 16. v. 1.

*Asa increpatus ab Hanani.*

ANno autem trigésimo sexto regni Asa, ascendit Baása

rex Israël in Judam, & muro circúmdabat Rama, ut nullus tutè posset égredi & íngredi de regno Asa. Prótulit ergo Asa argentum & aurum de thesauris domûs Dómini & de thesauris regis, misítque ad Bénadad regem Syriæ qui habitábat in Damasco, dicens: Fœdus inter me & te est, pater quoque meus & pater tuus habuére concórdiā: quamobrem misi tibi argentum & aurum, ut rupto fœdere quod habes cum Baása rege Israël, fácias eum à me recédere. In témpore illo venit Hanáni prophéta ad Asa regem Juda, & dixit ei: Quia habuisti fidúciam in rege Syriæ, & non in Dómino Deo tuo, idcircò evásit Syriæ regis exércitus de manu tua. Stultè ígitur egisti, & propter hoc ex præsenti témpore adversùm te bella consurgent. Iratusque Asa adversùs Videntem, jussit eum mitti in nervum. Ægrotávit étiam Asa anno trigésimo nono regni sui dolóre pedum vehementíssimo; & nec in infirmitáte sua quæsívit Dóminum, sed magis in medicórum arte confisus est. Dormivitque cum pátribus suis; & mórtuus est anno quadragésimo primo regni sui. Et sepeliérunt eum in sepulchro suo quod fóderat sibi in civitáte David. Regnávit autem Jósaphat filius ejus pro eo, & inváluit contra Israël.

℟. Quis, Dómine. 190.

De libro tértio Regum.

LECTIO II. c. 15. v. 25.

*Nadab secundus rex Israël.*

NAdab verò filius Jeróboam regnávit super Israël anno secundo Asa regis Juda: regnavitque super Israël duóbus annis. Et fecit quod malum est in conspectu Dómini, & ambulávit in viis patris sui, & in peccátis ejus quibus peccáre fecit Israël. Insidiátus est autem ei Baása filius Ahíæ de domo Issachar, & percussit eum in Gébbethon, quæ est urbs Philisthinórum: síquidem Nadab & omnis Israël obsidébant Gébbethon. Interfécit ergo illum Baása in anno tértio Asa regis Juda, & regnávit pro eo. Cumque regnasset, percussit omnem domum Jeróboam; non dimísit ne unam quidem ánimam de sémine ejus, donec deléret eum.

℟. Virtus tua. 191.

LECTIO III. c. 15. v. 33. & c. 16. v. 1.

*Baasa tertius rex Israël.*

ANno tértio Asa regis Juda, regnávit

Baásſa filius Ahíæ, ſuper omnem Iſraël in Therſa, viginti quátuor annis. Et fecit malum coram Dómino, ambulavitque in via Jeróboam, & in peccátis ejus quibus peccáre fecit Iſraël. Factus eſt autem ſermo Dómini ad Jehu filium Hanáni contra Baáſa, dicens: Pro eò quòd exaltávi te de púlvere, & pósui te ducem ſuper pópulum meum Iſraël, tu autem ambulaſti in via Jeróboam, & peccáre feciſti pópulum meum Iſraël, ut me irritáres in peccátis eórum: ecce ego démetam poſterióra Baáſa, & poſterióra domûs ejus; & fáciam domum tuam ſicut domum Jeróboam filii Nabat. Qui mórtuus fúerit de Baáſa in civitáte, cómedent eū canes: & qui mórtuus fúerit ex eo in regióne, cómedent eum vólucres cœli. Dormívit ergo Baáſa cum pátribus ſuis, ſepultuſque eſt in Therſa: & regnávit Ela fílius ejus pro eo.

℟. Qui facis. 191.

*CANON.*

Ex Concílio Senonenſi.

*An. 1528. c. 15. decr. mor.*

CEſſent in Eccléſiis quæcumque poſſunt divínum perturbáre offícium, aut óculos divínæ Majeſtátis offéndere: ne, ubi peccatórum eſt vénia poſtulanda, ibi peccandi detur occáſio, aut deprehendantur peccáta committi.

SABBATO.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 16. v. 8.

*Ela quartus rex Iſraël.*

ANno vigéſimo ſexto Aſa regis Juda, regnávit Ela filius Baáſa ſuper Iſraël in Therſa duóbus annis. Et rebellávit contra eum ſervus ſuus Zambri, dux médiæ partis équitum: erat autem Ela in Therſa bibens & temulentus, in domo Arſa præfecti Therſa. Irruens ergo Zambri, percuſſit & occídit eum anno vigéſimo ſéptimo Aſa regis Juda, & regnávit pro eo. Cumque regnaſſet & ſediſſet ſuper ſólium ejus, percuſſit omnem domum Baáſa, & non derelíquit ex ea mingentem ad paríetem, & propinquos & amícos ejus. Delevitque Zambri omnem domum Baáſa, juxta verbum Dómini quod locútus fúerat ad Baáſa in manu Jehu prophétæ, propter univerſa peccáta Baáſa & peccáta Ela fílii ejus, qui peccavérunt & peccáre fecérunt Iſraël, provocantes Dóminum Deum Iſraël in vanitátibus ſuis. Réliqua autem ſermónum E-

la, & ómnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verbórum diérum regum Israël?

LECTIO II. v. 15.

*Zambri quintus rex.*

ANno vigésimo séptimo Asa regis Juda, regnávit Zambri septem diébus in Thersa: porrò exércitus obsidébat Gébbethon urbem Philisthinórum. Cumque audísset rebellásse Zambri & occidísse regem, fecit sibi regem omnis Israël Amri, qui erat princeps milítiæ super Israël in die illa in castris. Ascendit ergo Amri, & omnis Israël cum eo, de Gébbethon, & obsidébant Thersa. Videns autem Zambri quòd expugnanda esset civitas, ingressus est palátium, & succendit se cum domo régia: & mórtuus est in peccátis suis, quæ peccáverat fáciens malum coram Dómino, & ámbulans in via Jeróboam, & in peccáto ejus quo fecit peccáre Israel. Réliqua autem sermónum Zambri, & insidiárum ejus, & tyránnidis, nonne hæc scripta sunt in libro verbórum diérum regum Israël?

LECTIO III. v. 21.

*Amri sextus rex.*

TUnc divísus est pópulus Israël in duas partes: média pars pópuli sequebátur Thebni filium Gineth, ut constitúeret eum regem: & média pars Amri. Preváluit autem pópulus qui erat cum Amri, pópulo qui sequebátur Thebni filium Gineth; mortuusque est Thebni, & regnávit Amri. Anno trigesimo primo Asa regis Juda, regnávit Amri super Israël duódecim annis: in Thersa regnávit sex annis. Emitque montem Samaríæ à Somer duóbus talentis argenti: & ædificávit eum, & vocávit nomen civitátis, quam extrúxerat, nómine Semer dómini montis, Samaríam. Fecit autem Amri malum in conspectu Dómini, & operátus est néquiter super omnes qui fuérunt ante eum. Ambulavitque in omni via Jeróboam filii Nabat, & in peccátis ejus quibus peccáre fécerat Israël, ut irritáret Dóminum Deum Israël in vanitátibus suis.

*C A N O N.*

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An.* 816. *lib.* 1. *c.* 131.

SEcundùm Dñi senténtiam, domus ejus domus oratiónis vocanda est; omnes ígitur ab otiósis sermocinatiónibus audítum páriter castígent & linguam, & in Ecclésia cum timóre & veneratió-

ne stantes, aut orent, aut cantent, aut legant, aut áudiant.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Non erat cor Abiá perfectum cum Dómino Deo suo, sicut cor David patris ejus; sed propter David dedit ei Dóminus Deus suus lucernam in Jerúsalem. 3. *Reg.* 15. 3. 4.

*Oratio, infrà ad Laudes.*

## DOMINICA XIII. post Pentecosten.

### IN I. NOCTURNO.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 16. v. 28.

*Achab septimus rex Israël.*

DOrmívit Amri cũ pátribus suis, & sepultus est in Samaría: regnavitque Achab filius ejus pro eo. Achab verò filius Amri regnávit super Israël anno trigésimo octávo Asa regis Juda. Et regnávit Achab filius Amri super Israël in Samaría viginti & duóbus annis. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Dómini, super omnes qui fuérunt ante eum. Nec suffécit ei ut ambuláret in peccátis Jeróboam filii Nabat: insuper duxit uxórem Jézabel filiam Ethbaal regis Sidoniórum. Et ábiit, & servívit Baal, & adorávit eum. Et pósuit aram Baal in templo Baal, quod ædificáverat in Samaría, & plantávit lucum: & áddidit Achab in ópere suo, irrítans Dóminum Deum Israël, super omnes reges Israël qui fuérunt ante eum. In diébus ejus ædificávit Hiel de Bethel, Jéricho: in Abiram primitívo suo fundávit eam, & in Segub novíssimo suo pósuit portas ejus: juxta verbum Dómini quod locútus fúerat in manu Jósue filii Nun.

℟. 1. Dómine, Dómine rex omnípotens, * In ditióne enim tua cuncta sunt pósita. *Esther.* 13. 9. ℣. Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. *Matt.* 6. 10. * In ditióne.

LECTIO II. c. 17. v. 1.

*Propter scelus Israël Elias propheta claudit cœlum.*

ET dixit Elías Thesbítes de habitatóribus Gálaad ad Achab: Vivit Dóminus Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & plúvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Dómini ad eum dicens: Recéde hinc, & vade contra Orientem, & abscóndere in torrente Carith, qui est contra Jordánem; & ibi de torrente bibes: corvisque præcépi ut pascant te ibi. Abiit ergo, & fecit juxta verbum Dómini: cum-

que abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordánem. Corvi quoque deferébant ei panc & carnes manè, simíliter panem & carnes vésperi, & bibébat de torrente. Post dies autem siccátus est torrens: non enim plúerat super terram. Factus est ergo sermo Dómini ad eum, dicens: Surge, & vade in Sarepta Sidoniórum, & manébis ibi: præcépi enim ibi mulíeri víduæ ut pascat te. Surrexit, & ábiit in Sarepta. Cumque venisset ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, & vocávit eam, dixitque ei: Da mihi páululum aquæ in vase ut bibam. Cumque illa pérgeret ut afferret, clamávit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, & buccellam panis in manu tua.

℟. II. Deus noster magne, fortis & terríbilis, custódiens pactū & misericórdiam; * Ne avertas à fácie tua omnem labórem qui invénit nos. 2. *Esdr.* 9. 32. ℣. Unusquisque tentátur, à concupiscéntia sua abstractus & illectus. *Jac.* 1. 14. * Ne avertas.

LECTIO III. v. 15.

*Eliæ virtus.*

QUæ ábiit, & fecit juxta verbum Elíæ: & comédit ipse, & illa, & domus ejus: & ex illa die hydria farínæ non defécit, & lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Dómini quod locútus fúerat in manu Elíæ. Factum est autem post hæc, ægrotávit filius mulíeris matrisfamíliâs, & erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam: Quid mihi & tibi, vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitátes meæ, & interfíceres filium meum? Et ait ad eam Elías: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, & portávit in cœnáculum ubi ipse manébat, & pósuit super léctulum suum. Et clamávit ad Dóminum, & dixit: Dómine Deus meus, etiamne víduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interfíceres filium ejus? Et expandit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus, & clamávit ad Dóminum, & ait: Dñe Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ; & revérsa est ánima púeri intra eum, & revixit.

℟. III. Tu ipse es Deus noster, * Qui cónteris

bella ab initio; † Et Dóminus nomen est tibi. *Jud.* 9. 10. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam & honórem. *Apoc.* 4. 11. * Qui cónteris. ℣. Glória. † Et Dóminus.

*IN II. NOCTURNO.*

De libro Ecclesiástici.

LECTIO IV. c. 36. v. 1.

*Oratio ut ad cultum Dei veri congregentur tribus Jacob.*

MIserére nostrî, Deus ómnium, & réspice nos, & osténde nobis lucem miseratiónum tuárum: & immitte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnália tua. Alleva manũ tuam super gentes aliénas, ut videant poténtiam tuam. Sicut enim in conspectu eórum sanctificátus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificáberis in eis, ut cognoscant te, sicut & nos cognóvimus, quóniam non est Deus præter te, Dómine. Innova signa, & immúta mirabília. Glorífica manum & bráchium dextrum. Excita furórem, & effunde iram. Tolle adversárium, & afflíge inimícum. Festína tempus, & meménto finis, ut enarrent mirabília tua. In ira flammæ devorétur qui salvátur: & qui péssimant plebem tuam, invéniant perditiónem. Cóntere caput príncipum inimicórum, dicéntium: Non est álius præter nos. Cóngrega omnes tribus Jacob, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnália tua: & hæreditábis eos sicut ab inítio.

℟. IV. Nosse te, Deus, consummáta justítia est; * Et scire justítiam & virtútem tuam, radix est immortalitátis. *Sap.* 15. 3. ℣. Hæc est autem vita ætérna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misísti Jesum Christum. *Joan.* 17. 3. * Et scire.

LECTIO V. v. 14.

*Ut suscitentur prædicationes Prophetarum.*

MIserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum: & Israël quem coæquásti primogénito tuo. Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, civitáti requiéi tuæ. Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis & glóriâ tuâ pópulum tuũ. Da testimónium his qui ab inítio creatúræ tuæ sunt, & súscita prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo prophétæ prióres. Da mercédem sustí-

nentibus te, ut prophétæ tui fideles inveniantur: & exaudi orationes servórũ tuórum, secundùm benedictiónem Aaron de pópulo tuo; & dírige nos in viam justítiæ: & sciant omnes qui hábitant terram, quia tu es Deus conspector seculórum.

℟. v. Tu, Deus noster, * Suávis & verus es, pátiens, & in misericórdia dispónis ómnia. *Sap.* 15. 1. ℣. Panem nostrum supersubstantiálem da nobis hódie. *Matth.* 6. 11. * Suávis.

Lectio vi. c. 48. v. 1.
*Eliæ laudes.*

Surrexit Elías prophéta, quasi ignis; & verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invídiâ suâ pauci facti sunt: non enim póterant sustinére præcepta Dómini. Verbo Dómini contínuit cœlum, & dejécit de cœlo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis. Et quis potest simíliter sic gloriári tibi? Qui sustulisti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecisti reges ad perníciem, & confregisti fácilè poténtiam ipsórum & gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina judícium, & in Horeb judícia defensiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, & prophétas facis successóres post te. Qui receptus es in túrbine ignis, in curru equórum ígneórum. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini: conciliáre cor patris ad fílium, & restitúere tribus Jacob. Beáti sunt qui te vidérunt, & in amicítia tua decoráti sunt. Nam nos vitâ vívimus tantùm; post mortem autem non erit tale nomen nostrum.

℟. vi. Anima mea exultábit in Dómino, & delectábitur super salutári suo; * Omnia ossa mea dicent: † Dómine, quis símilis tibi? *Ps.* 34. 9. 10. ℣. Quia unus dies apud Dóminum sicut mille anni, & mille anni sicut unus dies. 2. *Petr.* 3. 8. * Omnia. ℣. Glória. † Dñe.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio vii. c. 5. v. 13.
*Virtus orationis.*

Tristátur áliquis vestrûm? oret. Æquo ánimo est? psallat. Infirmátur quis in vobis? indúcat presbyteros Ecclésiæ, & orent super eũ, ungentes eum óleo in nómine Dómini: & orátio fidei salvábit infirmum; & alleviábit eum Dómi-

nus ; & si in peccátis sit, remittentur ei. Confitémini ergo altérutrum peccáta vestra, & oráte pro ínvicem, ut salvémini ; multùm enim valet deprecátio justi assídua.

℟. VII. Memento, Dómine, * Et ostende te nobis in témpore tribulatiónis nostræ, & da mihi fidúciam, Dómine rex deórum. *Esth.* 14. 12. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, sed líbera nos à malo. *Matth.* 6. 12. * Et.

LECTIO VIII. v. 17.

*Exemplum orationis in Elia.*

ELías homo erat símilis nobis passíbilis : & oratióne orávit ut non plúeret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursùm orávit, & cœlum dedit plúviam, & terra dedit fructum suũ. Fratres mei, si quis ex vobis erráverit à veritáte, & convérterit quis eum;scire debet quóniam qui converti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimã ejus à morte, & opériet multitúdinem peccatórum.

℟. VIII. Non est álius Deus quàm tu, cui cura est de ómnibus, * Ut ostendas quóniam non injustè júdicas judícium. *Sap.* 12. 13. ℣. Dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris. *Matth.* 6. 12. * Ut ostendas.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO IX. c. 17. v. 11.

*Decem leprosi.*

IN illo témpore : Dum iret Jesus in Jerúsalẽ, transíbat per médiam Samaríam & Galilæam : & cùm ingrederétur quoddã castellum, occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

*Ser. 27. de Divers. contra vitium ingratitudinis.*

NOnne decem mundáti sunt ? & novem ubi sunt ? Meministis, credo, verba Salvatóris hæc esse, novem illórum ingratitúdinem arguentis. Bene síquidem orasse,obsecrasse, postulasse leguntur, qui levavérunt vocem, dicentes : Jesu Fili David, miserére nobis. Sed défuit eis quarta, quam adjécit Apóstolus, gratiárum áctio ; quóniã non rediérunt, nec egérunt grátias Deo. Multos quoque vidémus usque hódie satis importúnè petentes quod sibi deesse cognóverint; sed paucos ádmodum nóvimus, qui dignas super acceptis benefíciis grátias ágere videantur. Nec reprehensí-

bile est quòd instanter petimus; sed planè petitióni negat effectum, quòd invenímur ingráti. Et fortè hoc étiam cleméntiæ esse vidétur, ingrátis negáre quod póstulant: ne contingat nobis ut tantò gráviùs de ingratitúdine judicémur, quantò magis accumulátis beneficiis ingráti probábimur extitisse. Ergo misericórdiæ res est in hac parte subtráhere misericórdiam, quemádmodum iræ & indignatiónis misericórdiam exhibére, eam sanè de qua per prophétam ipse Pater misericordiárum lóquitur, dicens: Misereámur ímpio, & non discet fácere justítiam.

℟. IX. Non in multitúdine est virtus tua, Dómine, neque in equórum víribus voluntas tua est; * Nec superbi ab inítio placuérunt tibi: sed humílium & mansuetórum † Semper tibi plácuit deprecátio. *Judith.* 9. 16. ℣. Abscondisti hæc à sapiéntibus, & revelasti ea párvulis. *Matth.* 11. 25. * Nec superbi. ℣. Glória. † Semper.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 7. a. Levavérunt vocē, dicentes: Jesu præceptor, miserére nostrî. *Luc.* 17. 13.

Orémus.

OMnípotens sempitérne Deus, da nobis fidei, spei & charitátis augmentum: & ut mereámur ássequi quod promittis, fac nos amáre quod præcipis; Per Dóminum nostrum.

*C A N O N.*

Ex Concílio Tolosáno.

*An.* 1229. *cap.* 25.

STatúimus, ut . . . dóminus & dómina cujúslibet domûs, domínicis & festívis diébus teneantur ad Ecclésiam veníre auditúri ibídem ex íntegro prædicatiónem & divínum offícium, nec inde recessúri, donec missa compleátur omnínò . . Quòd si alter ipsórum absens fúerit, alter saltem teneátur veníre.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 6. F. Factū est dum irent, mundáti sunt: unus autem ex illis, ut vidit quia mundátus est, regressus est cum magna voce magníficans Deum. *Luc.* 17. 14. 15.

*Orat. ut sup. ad Laudes.*

FERIA SECUNDA.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 18. v. 5.

*Elias occurrit Abdiæ.*

POst dies multos dixit Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquárum & in cunctas valles, si fortè possímus inveníre herbam. Cumque esset Abdias in via,

Elías occurrit ei : qui cùm cognovisset eum, cécidit super fáciem suam, & ait : Num tu es, dómine mî, Elías ? Cui ille respondit: Ego. Vade, & dic dómino tuo : Adest Elías. Et ille: Quid peccávi, inquit ? Cùm recéssero à te, Spíritus Dómini asportábit te in locum quem ego ignóro. Et dixit Elías : Vivit Dóminus exercítuum, ante cujus vultum sto, quia hódie apparébo ei. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, & indicávit ei : venitque Achab in occursū Elíæ. Et cùm vidisset eū, ait : Tune es ille qui conturbas Israël ? Et ille ait : Non ego turbávi Israël, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandáta Dómini, & secúti estis Báalim. Verūtamen nunc mitte, & cóngrega ad me universum Israël in monte Carméli, & prophétas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucórum quadringentos qui cómedunt de mensâ Jézabel. Misit Achab ad omnes filios Israël, & congregávit prophétas in monte Carméli.

℟. Dómine. 205.

LECTIO II. V. 21.

*Elias provocat prophetas Baal.*

ACcédens autem Elías ad omnem pópulum, ait : Usquequò claudicátis in duas partes ? si Dóminus est Deus, sequímini eum ; si autem Baal, sequímini illum. Et non respondit ei pópulus verbum. Et ait rursùs Elías ad pópulum : Ego remansi prophéta Dómini solus : prophétæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boves, & illi éligant sibi bovem unum, & in frusta cædentes ponant super ligna, ignem autem non suppónant : & ego fáciam bovem álterum, & impónam super ligna, ignem autem non suppónam. Invocáte nómina deórum vestrórum, & ego invocábo nomen Dómini mei : & Deus qui exaudíerit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis pópulus, ait : Optima propositio. Dixit ergo Elías prophétis Baal : Elígite vobis bovē unum, & fácite primi quia vos plures estis : & invocáte nómina deórum vestrórum, ignemque non supponátis. Qui cùm tulissent bovem quem déderat eis, fecérunt ; & invocábant nomen Baal de mane usque ad merídiem, dicentes : Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui respondéret.

℟. Deus noster. 206.

LECTIO III. v. 29.
*Sacrificium Eliæ.*

POstquàm autem tránsiit merídies, & illis prophetántibus vénerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebátur vox, nec áliquis respondébat, nec attendébat orantes; dixit Elías omni pópulo: Veníte ad me. Et tulit duódecim lápides; & ædificávit de lapídibus altáre in nómine Dómini: fecitque aquæductum quasi per duas aratiúnculas in circúitu altáris, & compósuit ligna; divisitque per membra bovem, & pósuit super ligna, & ait: Impléte quátuor hydrias aquâ, & fúndite super holocaustum & super ligna. Qui cùm fecissent secundò, fecérunt tértiò; & currébant aquæ circum altáre, & fossa aquæductûs repléta est. Cumque jam tempus esset ut offerrétur holocaustum, accédens Elías prophéta, ait: Exaudi me, Dñe, exaudi me: ut discat pópulus iste, quia tu es Dñs Deus. Cécidit autẽ ignis Dñi & vorávit holocaustũ, & ligna, & lápides, púlverem quoque, & aquam quæ erat in aquæductu lambens. Quod cùm vidisset omnis pópulus, cécidit in fáciem suam, & ait: Dñs ipse est Deus, Dóminus ipse est Deus. ℟. Tu ipse es. 206.

C A N O N.

Ex Concílio Burdigalensi. *An. 1583. tit. de Parochis.*

PArochi qui in partem sollicitúdinis & gubernatiónis Ecclesiárum ab Epíscopis vocantur, diligenter múneri suo atténdere debent, non ignári præcípuas officii sui esse partes, pópulum in Dei lege ac voluntáte instrúere, Sacramentis Ecclesiásticis reficere, atque communíre, sacras ad Deum pro eo preces fúndere, & laudábilis vitæ exemplo viam salútis demonstráre.

FERIA TERTIA.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. C. 18. 41.
*Elias cœlum aperit.*

AIt Elías ad Achab: Ascende, cómede & bibe; quia sonus multæ plúviæ est. Ascendit Achab, ut coméderet & bíberet: Elías autem ascendit in vérticem Carméli, & pronus in terram pósuit fáciem suam inter génua sua. Et dixit ad púerum suum: Ascende, & próspice contra mare. Qui cùm ascendisset, & contemplátus esset, ait: Non est quidquam. Et rursùm ait illi: Revértere septem vícibus. In séptima autem vice, ecce nu-

bécula parva quasi vestígium hóminis ascendébat de mari. Qui ait: Ascende, & dic Achab: Junge currum tuum, & descende, ne óccupet te plúvia. Cumque se vérteret huc atque illuc, ecce cœli contenebráti sunt, & nubes, & ventus, & facta est plúvia grandis. Ascendens ítaque Achab ábiit in Jézraël: & manus Dómini facta est super Elíã, accinctisque lumbis currébat ante Achab, donec veníret in Jézraël.

℟. Nosse te. *pag.* 207.

LECTIO II. c. 19. 1.

*Elias fugiens Jezabel.*

NUntiávit autem Achab Jézabel ómnia quæ fécerat Elías, & quómodò occidisset universos prophétas gládio. Misitque Jézabel núntium ad Elíã, dicens: Hæc mihi fáciant dii, & hæc addant, nisi hâc horâ cras posúero ánimam tuam sicut ánimam uníus ex illis. Tímuit ergo Elías; & surgens, ábiit quocumque eum ferébat volúntas: venitque in Bersabée Juda, & dimísit ibi púerum suum, & perrexit in desertum, viam uníus diéi. Cumque venisset, & sedéret subter unam juníperum, petívit ánimæ suæ ut morerétur, & ait: Súfficit mihi, Dómine; tolle ánimam meam: neque enim mélior sum, quàm patres mei. Projecitque se, & obdormívit in umbra juníperi: & ecce Angelus Dómini tétigit eum, & dixit illi: Surge, & cómede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinerícius panis, & vas aquæ: comédit ergo & bibit, & rursùm obdormívit. Reversusque est Angelus Dómini secundò, & tétigit eum, dixitque illi: Surge, cómede: grandis enim tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comédit & bibit, & ambulávit in fortitúdine cibi illíus, quadraginta diébus & quadraginta nóctibus, usque ad montẽ Dei Horeb.

℟. Tu Deus. *pag.* 208.

LECTIO III. v. 15.

*Elias mittitur ad ungendos reges: sibi sociat Eliseum.*

AIt Dóminus ad eum: Vade, & revértere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque pervéneris illuc, unges Házael regem super Syriam, & Jehu fílium Namsi unges regem super Israël: Eliséum autem fílium Saphat, qui est de Abelmeula, unges Prophétam pro te. Et erit, quicumque fúgerit gládium Házael, occídet eũ Jehu; & quicumque fúge-

rit gládium Jehu, interfíciet eum Eliséus. Et derelinquam mihi in Israël septem míllia virórum, quorum génua non sunt incurváta ante Baal, & omne os quod non adorávit eum ósculans manus. Profectus ergo inde Elías, réperit Eliséum fílium Saphat, arantem in duódecim jugis boum, & ipse in duódecim jugis boum arántibus unus erat: cumque venísset Elías ad eum, misit pállium suum super illum. Qui statim relíctis bobus cucurrit post Elíam, & ait: Osculer, oro, patrem meum & matrem meam; & sic sequar te. Dixítque ei: Vade, & revértere; quod enim meum erat, feci tibi. Reversus autem ab eo, tulit par boum, & mactávit illud, & in arátro boum coxit carnes, & dedit pópulo, & comedérunt: consurgensque ábiit, & secútus est Elíã, & ministrábat ei.

℟. Anima mea. *p.* 208.

*CANON.*

Ex Concílio Narbonensi.

*An.* 1609. *Canon* 32.

INvígilent Párochi super gregem suum, & paráti semper sint, ne per illórum negligéntiam, aut párvuli sine Baptismo, aut adulti sine Sacramento Pœniténtiæ, Communiónis, & Extrémæ-Unctiónis moriantur; infirmos sæpiùs vísitent & consolentur, ac de salúte ánimæ móneant.

FERIA QUARTA.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 20. 1.

*Syri cæduntur à pueris príncipum Israël.*

POrrò Bénadad rex Syriæ, congregávit omnem exércitum suum, & triginta duos reges secum, & equos, & currus; & ascendens pugnábat contra Samaríam, & obsidébat eam. Et ecce Prophéta unus accédens ad Achab regem Israël, ait ei: Hæc dicit Dóminus. Certè vidísti omnem multitúdinem hanc nímiam? Ecce ego tradam eam in manu tua hódie; ut scias, quia ego sum Dóminus. Et ait Achab: Per quem? Dixítque ei: Hæc dicit Dóminus: Per pedísequos príncipum provinciárum. Et ait: Quis incípiet præliári? Et ille dixit: Tu. Recénsuit ergo púeros príncipum provinciárum, & réperit númerum ducentórum triginta duórum; & recénsuit post eos pópulum, omnes fílios Israël, septem míllia: & egressi sunt merídiè. Egressi sunt autem púeri príncipum provinciárum

in prima fronte; ac réliquus exércitus sequebátur. Et percussit unusquisque virum, qui contra se veniebat: fugeruntque Syri, & persecútus est eos Israël. Fugit quoque Bénadad rex Syriæ in equo cum equítibus suis. Necnon egressus rex Israël percussit equos & currus, & percussit Syriam plagâ magnâ.

℟. Memento. *pag.* 209.

LECTIO II. v. 26.

*Post alteram cæsionem Achab init fœdus cum Syris.*

IGitur postquàm annus transíerat, recénsuit Bénadad Syros, & ascendit in Aphec, ut pugnáret contra Israël. Dirigebantque septem diébus ex adverso hi atque illi ácies, séptimâ autem die commissum est bellum: percusseruntque filii Israël de Syris centum míllia péditum in die una. Porrò Bénadad fúgiens ingressus est civitátem, in cubículum quod erat intra cubículum. Dixeruntque ei servi sui: Ecce audívimus quòd reges domûs Israël clementes sint. Accinxérunt saccis lumbos suos, & posuérunt funículos in capítibus suis, veneruntque ad regem Israël, & dixérunt ei: Servus tuus Bénadad dicit: Vivat, oro te, ánima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus est. Quod accepérunt viri pro ómine: & festinantes rapuérunt verbum ex ore ejus, atque dixérunt: Frater tuus Bénadad. Et dixit eis: Ite, & addúcite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Bénadad, & levávit eum in currum suũ. Qui dixit ei: Civitátes quas tulit pater meus à patre tuo, reddam; & platéas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaría; & ego fœderátus recédam à te. Pepigit ergo fœdus, & dimísit eum.

℟. Non est álius. *p.* 209.

LECTIO III. v. 38.

*Achab à Propheta reprehensus.*

ABiit ergo Prophéta, & occurrit regi in via, & mutávit aspersióne púlveris os & óculos suos. Cumque rex transísset, clamávit ad regem, & ait: Servus tuus egressus est ad præliandum cóminùs: cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Custódi virum istum: qui si lapsus fúerit, erit ánima tua pro ánima ejus, aut taleutum argenti appendes. Dum autem ego turbátus huc illucque me verterem, súbitò non compáruit. Et

ait rex Israël ad eum: Hoc est judícium tuum, quod ipse decrevisti. At ille statim abstersit púlverem de fácie sua, & cognóvit eum rex Israël quòd esset de Prophétis. Qui ait ad eũ: Hæc dicit Dóminus; Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit ánima tua pro ánima ejus, & pópulus tuus pro pópulo ejus. Reversus est ígitur rex Israël in domum suã, audíre contemnens, & furibundus venit in Samaríã.

℟. Non in multitúdine. *pag.* 210.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An.* 1585. *tit. de Parochis.*

PArochi perpétuò Ecclésiæ suæ assistant, & gregi invígilent: sint zelantes in salúte fidélium procurandâ.... Sit vígilans eórum cura erga infirmos.... Sit accuráta instántia in festórum diérum cultu observando: sit díligens eórum cura in scholis doctrínæ christiánæ: sint eórum mónita salutária: sit magna vigilántia in réliquis parochiális múneris pártibus.

FERIA QUINTA.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 21. 1.

*Vinea Naboth.*

TEmpore illo, vínea erat Naboth Jezraelítæ, qui erat in Jézrael, juxta palátium Achab regis Samaríæ. Locútus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi víneam tuam, ut fáciam mihi hortum ólerum, quia vicína est, & prope domum meam, dabóque tibi pro ea víneam meliórem: aut si commódius tibi putas, argenti prétium, quanto digna est. Cui respondit Naboth: Propítius sit mihi Dóminus, ne dem hæreditátem patrum meórum tibi. Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo quod locútus fúerat ad eum Naboth Jezraelítes, dicens: Non dabo tibi hæreditátem patrum meórum. Et projíciens se in léctulum suum, avertit fáciem suam ad paríetem, & non comédit panem. Ingressa est autem ad eũ Jézabel uxor sua, dixítque ei: Quid est hoc, unde ánima tua contristáta est? & quare non cómedis panem? Qui respondit ei: Locútus sum Naboth Jezraelítæ, & dixi ei: Da mihi víneam tuam, acceptâ pecúniâ: aut, si tibi placet, dabo tibi víneam melíorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi víneam meam. Dixit ergo ad eum Jézabel uxor ejus:

ejus: Grandis autoritátis es; & benè regis regnum Israël. Surge, & cómede panem, & æquo ánimo esto; ego dabo tibi víneam Naboth Jezraelítæ.

℟. Dómine. *pag.* 205.

Lectio II. v. 8.

*Jubente Jezabel Naboth morti traditur.*

SCripsit ítaque lítteras ex nómine Achab, & signávit eas ánnulo ejus, & misit ad majóres natu & optimátes, qui erant in civitáte ejus, & habitábant cum Naboth. Fecérunt ergo cives ejus majóres natu & optimátes, qui habitábant cum eo in urbe, sicut præcéperat eis Jézabel, & sicut scriptum erat in lítteris quas míserat ad eos. Et adductis duóbus viris fíliis diáboli, fecérunt eos sedére contra eum: at illi scílicet ut viri diabólici, dixérunt contra eum testimónium coram multitúdine: Benedixit Naboth Deum & regem. Quamobrem eduxérunt eum extra civitátem, & lapídibus interfecérunt. Miseruntque ad Jézabel, dicentes: Lapidátus est Naboth, & mórtuus est. Factum est autem, cùm audisset Jézabel lapidátū Naboth, & mórtuum, locúta est ad Achab: Surge, & pósside víneam Naboth Jezraelítæ, qui nóluit tibi acquiéscere, & dare eam acceptà pecúnià: non enim vivit Naboth, sed mórtuus est. Quod cùm audisset Achab, mórtuum vidélicet Naboth, surrexit, & descendebat in víneam Naboth Jezraelítæ, ut possidéret eam.

℟. Deus noster. *p.*206.

Lectio III. v. 17.

*Achab humiliatus per verba Eliæ.*

FActus est ígitur sermo Dómini ad Elíam Thesbíten, dicens: Surge, & descende in occursum Achab regis Israël, qui est in Samaría: ecce ad víneam Naboth descendit ut possídeat eam; & loquéris ad eum, dicens: Hæc dicit Dóminus: Occidisti, ínsuper & possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dóminus: In loco hoc, in quo linxérunt canes sánguinem Naboth, lambent quoque sánguinem tuum. Et ait Achab ad Elíam: Num invenisti me inimícum tibi? Qui dixit: Invéni, eò quòd venúndatus sis, ut fáceres malum in conspectu Dómini. Sed & de Jézabel locútus est Dóminus, dicens: Canes cómedent Jézabel in agro Jézrael. Itaque cùm audisset Achab sermónes istos, scidit vestimenta sua, &

óperuit cilício carnem suam, jejunavitque & dormívit in sacco, & ambulávit demisso cápite. Et factus est sermo Dómini ad Elíam Thesbíten, dicens: Nonne vidisti humiliátum Achab coram me? quia ígitur humiliátus est meî causâ, non indúcam malum in diébus ejus, sed in diébus fílii sui ínferã malum dómui ejus.

℟. Tu ipse es. *pag.* 206.

CANON.

Ex Concílio Remensi. *An.* 1583. *tit. de Extrem. Unct. n.* 4.

NOn putet suo satisfactum officio Sacerdos, si semel tantùm ægrótum invíserit, dum únctio fuit adhibenda: sed quàm diutíssimè póterit eum consolétur, & inculcet quæ ad salútem spectant, eíque, quousque è vivis excésserit, assistat, & óperam impendat; qui autem in ea re se negligentem præstíterit, à Decáno vel Archidiácono ad Epíscopum deferátur increpandus gráviter, & incúriæ suæ pœnas arbitrárias luitúrus.

FERIA SEXTA.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. C. 22. 1.

*Josaphat quartus rex Juda.*

TRansiérunt tres anni absque bello inter Syriam & Israël. In anno autem tértio, descendit Jósaphat rex Juda ad regem Israël. Dixitque rex Israël ad servos suos: Ignorátis quòd nostra sit Ramoth Gálaad, & neglígimus tóllere eam de manu regis Syriæ? Et ait ad Jósaphat: Veniesne mecum ad præliandum in Ramoth Gálaad? Dixitque Jósaphat ad regem Israel: Sicut ego sum, ita & tu; pópulus meus & pópulus tuus, unum sunt: quære, oro te, hódiè sermónem Dómini. Vocávit ergo rex Israël eunúchum quemdam, & dixit ei: Festína addúcere Michæã fílium Jemla. Núntius verò, qui íerat ut vocáret Michæam, locútus est ad eum, dicens: Ecce sermónes prophetárum ore uno regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus símilis eórum, & lóquere bona. Cui Michæas ait: Vivit Dóminus, quia quodcumque díxerit mihi Dóminus, hoc loquar. Venit ítaque ad regem, & ait illi rex: Michæa, ire debémus in Ramoth Gálaad ad præliandum, an cessáre? Adjúro te, ut non loquáris mihi nisi quod verum est, in nómine Dómini. Et ille ait: Vidi cunctum Israël dispersum in móntibus, quasi oves non habentes pastó-

tem ; & ait Dóminus : Non habent isti dóminũ ; revertátur unusquisque in domum suam in pace. Dixit ergo rex Israël ad Jósaphat : Numquid non dixi tibi, quia non prophétat mihi bonum, sed semper malum ?

℟. Nosse te. *pag.* 207.

LECTIO II. v. 26.

*Michæas in carcere. Achab occisus.*

AIt rex Israel : Tóllite Michæam, & máneat apud Amon príncipem civitátis, & apud Joas filium Amelec, & dícite eis : Hæc dicit rex : Míttite virum istum in cárcerem, & sustentáte eum pane tribulatiónis, & aquâ angústiæ, donec revertar in pace. Dixitque Michæas : Si reversus fúeris in pace, non est locútus in me Dóminus. Et ait : Audíte, pópuli omnes. Ascendit ítaque rex Israël, & Jósaphat rex Juda, in Ramoth Gálaad. Dixit ítaque rex Israël ad Jósaphat : Sume arma, & ingrédere prælium, & indúere véstibus tuis. Porrò rex Israël mutávit hábitum suum, & ingressus est bellum. Rex autem Syriæ præcéperat princípibus cúrruum triginta duóbus, dicens : Non pugnábitis contra minórem & majórem quémpiam, nisi contra regem Israël solum. Cùm ergo vidissent príncipes cúrruum Jósaphat, suspicáti sunt quòd ipse esset rex Israël, & ímpetu facto pugnábant contra eum ; & exclamávit Jósaphat. Intellexeruntque príncipes cúrruũ quòd non esset rex Israël, & cessavérunt ab eo. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dírigens, & casu percussit regem Israël inter pulmónem & stómachum. At ille dixit aurígæ suo : Verte manum tuam, & éjice me de exércitu, quia gráviter vulnerátus sum. Commissum est ergo prælium in die illa, & rex Israël stabat in curru suo contra Syros, & mórtuus est véspere ; fluebat autem sanguis plagæ in sinũ currûs. Dormívit ergo Achab cum pátribus suis, & regnávit Ochozías fílius ejus pro eo.

℟. Tu Deus. *pag.* 208.

LECTIO III. v. 41.

*Ochozias octavus rex Israel.*

JOsaphat verò fílius Asa regnáre cœperat super Judam anno quarto Achab regis Israël. Et ambulávit in omni via Asa patris sui, & non declinávit ex ea ; fecitque quod rectum erat in conspectu Dómini. Verúmta-

men excelsa non ábstulit: adhuc enim pópulus sacrificábat, & adolébat incensum in excelsis. Rex verò Jósaphat fécerat classes in mari, quæ navigárent in Ophir propter aurum; & ire non potuérunt, quia confractæ sunt in Asióngaber. Tunc ait Ochozías filius Achab ad Jósaphat: Vadant servi mei cum servis tuis in návibus. Et nóluit Jósaphat. Dormivitque Jósaphat cũ pátribus suis, & sepultus est cum eis in civitáte David patris sui: regnavitque Joram filius ejus pro eo. Ochozías autem filius Achab regnáre cœperat super Israël in Samaría, anno séptimo décimo Jósaphat regis Juda, regnavitque super Israël duóbus annis. Et fecit malum in conspectu Dómini, & ambulávit in via patris sui & matris suæ, & in via Jeróboam filii Nabat, qui peccáre fecit Israël. Servívit quoque Baal, & adorávit eum; & irritávit Dóminum Deum Israël, juxta ómnia quæ fécerat pater ejus.

℟. Anima mea. *p.* 208.

*CANON.*

Ex Concílio Coloniensi primo.

*An.* 1536. *part.* 6. *cap.* 8.

AD evangelizandum missi sunt Párochi; væ ergo illis si non evangelizáverint. Si quis autem eórum sapiéntiâ índiget, scrutétur Scriptúras, & póstulet à Deo qui dat ómnibus affluenter, & non impróperat, & dábitur ei.

SABBATO.

Incipit liber quartus Regũ.

LECTIO I. C. 1. 1.

*Ochozias mittit ad consulendum Beelzebub.*

PRævaricátus est autem Moab in Israël, postquàm mórtuus est Achab. Ceciditque Ochozías per cancellos cœnáculi sui, quod habébat in Samaría, & ægrotávit; misitque núntios, dicens ad eos: Ite, consúlite Beélzebub deum Accaron, utrum vívere queã de infirmitáte mea hac. Angelus autem Dómini locútus est ad Elíam Thesbíten, dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiórum regis Samaríæ, & dices ad eos: Numquid non est Deus in Israël, ut eátis ad consulendum Beélzebub deũ Accaron? Quamobrem hæc dicit Dóminus: De léctulo, super quem ascendisti, non descendes; sed morte moriéris. Et ábiit Elías. Reversíque sunt núntii ad Ochozíam. Qui dixit eis: Quare reversi estis? At illi respon-

dérunt ei : Vir occurrit nobis, & dixit ad nos : Ite, & revertímini ad regem, qui misit vos, & dicétis ei : Hæc dicit Dóminus : Numquid, quia non erat Deus in Isräel, mittis ut consulátur Beélzebub deus Accaron ? Idcirco de léctulo, super quem ascendisti, non descendes ; sed morte moriéris. Qui dixit eis : Cujus figúræ & hábitûs est vir ille qui occurrit vobis, & locútus est verba hæc ? At illi dixérunt : Vir pilósus, & zonâ pellíceâ accinctus rénibus. Qui ait : Elías Thesbíten est.

LECTIO II. v. 9.

*Duo quinquagenarii igne cœlesti consumpti.*

MIsitque ad eum quinquagenárium príncipem & quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum ; sedentíque in vértice montis ait : Homo Dei, rex præcépit ut descendas. Respondensque Elías, dixit quinquagenário : Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & dévoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, & devorávit eum, & quinquaginta qui erant cum eo. Rursumque misit ad eum príncipem quinquagenárium álterum, & quinquaginta cum eo, Qui locútus est illi : Homo Dei, hæc dicit rex : Festína, descende. Respondens Elías, ait : Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, & dévoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo, & devorávit illum, & quinquaginta ejus.

LECTIO III. v. 13.

*Joram nonus rex Israel.*

ITerùm misit príncipem quinquagenárium tértium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cùm venisset, curvávit génua contra Elíam, & precátus est eum, & ait : Homo Dei, noli despícere ánimam meam, & ánimas servórum tuórum qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cœlo, & devorávit duos príncipes quinquagenários primos, & quinquagénos qui cum eis erant : sed nunc óbsecro ut misereáris ánimæ meæ. Locútus est autem Angelus Dómini ad Elíam, dicens : Descende cum eo, ne tímeas. Surrexit ígitur, & descendit cum eo ad regem, & locútus est ei : Hæc dicit Dóminus : Quia misisti núntios ad consulendum Beélzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Isräel, à quo posses interrogáre sermónem : ídeò de lé-

ctulo, super quem ascendisti, non descendes; sed morte moriéris. Mórtuus est ergo juxta sermónem Dómini, quem locútus est Elías, & regnávit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Jósaphat regis Judæ: non enim habébat fílium.

*CANON.*

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An. 816. lib. 1. cap. 26.*

ILle cui dispensátio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen pérditè viventes argúere aut erubescat, aut métuat; cum ómnibus, qui eo tacente períerint, perit.

*Ad* Magníficat, *Ant. 7. ç.* Fílii Prophetárum qui erant in Jéricho, dixérunt: Requiévit spíritus Elíæ super Eliséum. 4. *Reg.* 2. 15.

*Oratio, infrà ad Laud.*

DOMINICA XIV. post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 2. 1.

*Eliæ spiritus super Eliseum quiescens.*

IBant Elías & Eliséus de Gálgalis; dixitque Elías ad Eliséum: Sede hîc, quia Dóminus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliséus: Vivit Dóminus, & vivit ánima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel, dixit Elías ad Eliséum: Sede hîc, quia Dóminus misit me in Jéricho. Et ille ait: Vivit Dóminus, & vivit ánima tua, quia non derelinquam te. Cumque venissent Jéricho, dixit ei Elías: Sede hîc, quia Dóminus misit me usque ad Jordánem. Qui ait: Vivit Dóminus, & vivit ánima tua, quia non derelinquam te. Iérunt ígitur ambo páriter. Tulitque Elías pállium suum, & involvit illud, & percussit aquas, quæ divísæ sunt in utramque partem, & transiérunt ambo per siccum. Cumque transissent, Elías dixit ad Eliséum: Póstula quod vis ut fáciam tibi, ántequàm tollar à te. Dixitque Eliséus: Obsecro ut fiat in me duplex spíritus tuus. Qui respondit: Rem difficilem postulasti: áttamen, si víderis me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti: si autem non víderis, non erit. Cumque pérgerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus ígneus, & equi ígnei divisérunt utrumque: & ascendit Elías per túrbinem in cœlum: Eliséus autē vidébat & clamábat: Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga ejus. Et non vidit

eum ámpliùs : apprehenditque vestimenta sua, & scidit illa in duas partes. Et levávit pállium Elíæ, quod cecíderat ei.

℟. I. Dóminus dedit, Dóminus ábstulit; * Sicut Dómino plácuit, ita factum est : sit nomen Dómini benedictum. *Job.* 1. *v.* 21. ℣. Super ómnia Deus benedictus in sæcula. *Rom.* 9. 5. * Sicut.

LECTIO II. V. 13.

*Elias quæsitus.*

Reversusque stetit super ripam Jordánis, & pállio Elíæ, quod cecíderat ei, percussit aquas, & non sunt divísæ; & dixit : Ubi est Deus Elíæ étiam nunc? Percussitque aquas, & divísæ sunt huc atque illuc, & tránsiit Eliséus. Videntes autem filii Prophetárum, qui erant in Jéricho econtrà, dixérunt : Requiévit spíritus Elíæ super Eliséum. Et venientes in occursum ejus, adoravérunt eum proni in terram, dixéruntque illi : Ecce cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere dóminum tuum, ne fortè túlerit eum Spíritus Dómini, & projécerit eum in unum móntium, aut in unam vállium. Qui ait: Nolíte míttere. Coëgeruntque eum, donec acquiésceret, & díceret : Míttite. Et misérunt quinquaginta viros; qui cùm quæsissent tribus diébus, non invenérunt. Et reversi sunt ad eum : at ille habitábat in Jéricho, & dixit eis : Numquid non dixi vobis: Nolíte míttere?

℟. II. Tu mandasti, Dómine, mandáta tua custodíri nimis; * Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificatiónes tuas! *Ps.* 118. *v.* 5. ℣. Arcta via est quæ ducit ad vitam. *Matth.* 8. 14. * Utinam.

LECTIO III. V. 19.

*Aquæ sanatæ. Pueri ab ursis lacerati.*

Dixérunt quoque viri civitátis ad Eliséum: Ecce habitátio civitátis hujus óptima est, sicut tu ipse, dómine, pérspicis : sed aquæ péssimæ sunt, & terra stérilis. At ille ait : Afferte mihi vas novum, & míttite in illud sal. Quod cùm attulissent, egressus ad fontem aquárum, misit in illum sal, & ait : Hæc dicit Dóminus : Sanávi aquas has, & non erit ultrà in eis mors, neque sterílitas. Sanátæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Eliséi, quod locútus est. Ascendit autem inde in Bethel; cumque ascénderet per viam, púeri

parvi egressi sunt de civitáte, & illudébant ei, dicentes: Ascende, calve; ascende, calve. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nómine Dómini: egressíque sunt duo ursi de saltu, & laceravérunt ex eis quadraginta duos púeros. Abiit autem inde in montem Carméli, & inde reversus est in Samaríam.

℟. III. In generatiónem & generatiónem véritas tua, Dómine; * Fundasti terram & pérmanet: ordinatióne tuâ persevérat dies; † Quónia ómnia sérviunt tibi. *Ps.* 118. 90. 91. ℣. Tu idem ipse es, & anni tui non defícient. *Hebr.* 1. 12. * Fundasti. ℣. Glória. † Quóniam.

*IN II. NOCTURNO.*

De libro Ecclesiástici.

LECTIO IV. c. 47. v. 26.

*Peccata Israël post Salomonem.*

FInem hábuit Sálomon cum pátribus suis. Et derelíquit post se de sémine suo, gentis stultítiam: & imminútũ à prudéntia, Róboam, qui avertit gentem consílio suo; & Jeróboam filium Nabat, qui peccáre fecit Israel, & dedit viam peccandi Ephraïm, & plúrima redundavérunt peccáta ipsórum. Valdè avertérunt illos à terra sua. Et quæsívit omnes nequítias, usque dum perveníret ad illos defénsio, & ab ómnibus peccátis liberávit eos.

℟. IV. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam, * Super misericórdia tua & veritáte tua. *Psal.* 113. *v.* 1. 2. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam & honorem. *Apoc.* 4. 11. * Super.

LECTIO V. c. 48. 13.

*Eliseus successor Eliæ.*

ELías quidem in túrbine tectus est, & in Eliséo complétus est spíritus ejus: in diébus suis non pertímuit príncipem, & poténtiâ nemo vicit illum; nec superávit illum verbum áliquod, & mórtuum prophetávit corpus ejus. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabília operátus est. In ómnibus istis non pœnítuit pópulus, & non recessérunt à peccátis suis, usquedum ejecti sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnem terram; & relícta est gens perpauca, & princeps in domo David. Quidam ipsórum fecérunt quod placéret Deo: álii autem multa commisérunt peccáta.

℟. V. Ostende, Dómine, quóniam non derelinquis præsumentes de te, * Et

præsumentes de se & de suâ virtúte gloriantes humílias. *Judith.* 6. 15. ℣. Accepísti virtútem tuam magnam, & regnasti. *Apoc.* 11. 17. * Et præsumentes.

LECTIO VI. c. 50. v. 24.
*Imploratur Dei misericordia.*

NUnc oráte Deum ómnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit díes nostros à ventre matris nostræ, & fecit nobíscum secundùm suam misericórdiam; det nobis jucunditátem cordis, & fieri pacem in diébus nostris in Israël per dies sempiternos; crédere Israël nobíscum esse Dei misericórdiam, ut líberet nos in diébus suis. Doctrínam sapiéntiæ & disciplínæ scripsit in códice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovávit sapiéntiam de corde suo. Beátus qui in istis versátur bonis; qui ponit illa in corde suo, sápiens erit semper. Si enim hæc fécerit, ad ómnia valébit; quia lux Dei vestígium ejus est.

℟. VI. Dómine Pater & Deus vitæ meæ, * Extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, † Et omne desidérium averte à me. *Eccli.* 23. *v.* 4. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. *Luc.* 18. *v.* 13. * Extolléntiam. ℣. Glória. † Et omne.

IN III. NOCTURNO.
De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO VII. c. 11. v. 32.
*Fides Prophetarum.*

DEficiet me tempus enarrantem de Gédeon, Barac, Samson, Jephte, David, Sámuel, & Prophétis: qui per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. Alii verò ludíbria & vérbera experti, ínsuper & víncula & cárceres; lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errantes, in móntibus & speluncis, & in cavernis terræ.

℟. VII. Apprehénde, Dómine, arma & scu-

tum, & exurge in adjutórium mihi; * Dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum. *Psal.* 34. *v.* 2. 3.
℣. Tu creasti ómnia; & propter voluntátem tuam erant, & creáta sunt. *Apoc.* 4. *v.* 11. * Dic.

LECTIO VIII. v. 39.

*Exemplo Prophetarum, afflictiones tolerandæ.*

ET hi omnes testimónio fidei probáti, non accepérunt repromissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. Ideóque & nos tantam habentes impósitam nubem téstium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspicientes in autórē fidei, & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustinuit crucem, confusióne contemptâ, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eū, qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem; ut ne fatigémini, ánimis vestris deficientes.

℟. VIII. Mitte, Dómine, sapiéntiam de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit & mecum labóret, ut sciam quid acceptum sit apud te. * Et erunt accepta ópera mea. *Sap.* 9. 10. 11.
℣. Dómine, da mihi hanc aquam ut non sitiā. *Joan.* 4. 15. * Et erunt.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 6. v. 24.

*Deo serviendum, non mammonæ.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre: aut enim unum ódio habébit, & álterum díliget; aut unum sustinébit, & álterum contemnet. Non potestis Deo servíre & mammónæ. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

*De opere & eleemosynis.*

EIs ómnia appóni dicit & tradi, qui regnum & justítiam Dei quærunt. Eos enim Dóminus, cùm judícii dies vénerit, ad percipiendum regnum dicit admitti, qui fúerint in ecclésia ejus operáti. Métuis ne patrimónium tuum fortè defíciat, si operári ex eo lárgiter cœperis: & nescis miser, quia dum times ne res familiáris defíciat, vita ipsa & salus deficient: & dum, ne quid de rebus tuis minuátur, attendis, non réspicis quòd ipse minuáris, amátor magis mammónæ quàm ánimæ tuæ; ut dum times ne pro

te patrimónium tuum perdas, ipse pro património tuo péreas; & ídeò bene Apóstolus clamat & dicit: Nihil intúlimus in hunc mundum; verùm nec auferre quid póssumus.... Vólucres Deus pascit, & passéribus alimenta diurna præstantur; & quibus nullus divínæ rei sensus est, eis nec potus nec cibus deest; tu, Christiáno, tu, Dei servo, tu opéribus bonis dédito, tu dómino suo charo áliquid exístimas defutúrum! Nisi si putas quia qui Christū pascit, à Christo ipse non páscitur; aut eis terréna déerunt, quibus cœléstia & divína tribuuntur: unde hæc incrédula cogitátio? unde ímpia & sacrílega ista meditátio? quid facit in domo fidei pérfidum pectus? quid, qui Christo omnínò non credit, appellátur & dícitur Christiánus!

℞. IX. Quàm terríbília sunt ópera tua, Dómine! * Omnis terra adóret te & psallat tibi; psalmum dicat nómini tuo. *Ps.* 65. 3.4. ℣. Domine Deus omnípotens, vera & justa judícia tua. *Apoc.* 16. 17. * Omnis. ℣. Glória. * Omnis.

*Ad* Benedíctus, *Ant.* 7. *d.* Volatília cœli non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea. *Matth.* 6. 26.

Orémus.

CUstódi, Dómine, quæsumus, Ecclésiā tuam propitiatióne perpétuâ: & quia sine te lábitur humána mortálitas, tuis semper auxíliis & abstrahátur à nóxiis, & ad salutária dirigátur; Per.

*CANON.*

Ex Concílio Mediolanensi primo.

*An.* 1565. *part.* 2. *tit.* 5.

MOneant Párochi frequenter patresfamíliâs ut fílios & fámulos, quos in béstiis pascendis óccupant, saltem diébus festis Missæ júbeant interesse.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 7. d. Lília agri quómodò crescunt? non labórant, neque nent. *Matt.* 6. 28.

*Orat. ut sup. ad Laudes.*

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regū.

LECTIO I. c. 3. v. 4.

*Reges Juda, Israël & Edom adversùs Moab.*

POrrò Mesa rex Moab, nutriébat pécora multa, & solvébat regi Israël centum míllia agnórum, & centum míllia aríetum, cum velléribus suis. Cumque mórtuus fuisset Achab, prævaricátus est fœdus quod habébat cum rege Israël. Egressus est ígitur

rex Joram in die illa de Samaría, & recénsuit univérsum Isráël. Misítque ad Jósaphat regem Juda, dicens: Rex Moab recessit à me; veni mecum contra eum ad prælium. Perrexérunt ígitur rex Isráël, & rex Juda, & rex Edom, & circuiérunt per viam septem diérum, nec erat aqua exercítui, & juméntis quæ sequebantur eos. Dixítque rex Isráël: Heu, heu, heu, congregávit nos Dóminus tres reges ut tráderet in manus Moab. Et ait Jósaphat: Estne hîc prophéta Dómini, ut deprecémur Dóminum per eum? Et respondit unus de servis regis Isráël: Est hîc Eliséus filius Saphat, qui fundebat aquã super manus Elíæ. Et ait Jósaphat: Est apud eum sermo Dñi.

℟. Dóminus dedit. 223.

LECTIO II. v. 12.

*Victoria ab Eliseo promissa.*

Descendítque ad eum rex Isráël, & Jósaphat rex Juda, & rex Edom. Dixit autem Eliséus ad regem Isráël: Quid mihi & tibi est? vade ad prophétas patris tui & matris tuæ. Et ait illi rex Isráël: Quare congregávit Dóminus tres reges hos, ut tráderet eos in manus Moab? Dixítque ad eum Eliséus: Vivit Dóminus exercítuum, in cujus conspectu sto, quòd si non vultum Jósaphat regis Judæ erubéscerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Nunc autem addúcite mihi psaltem. Cumque cáneret psaltes, facta est super eum manus Dómini, & ait: Hæc dicit Dóminus: Fácite álveum torréntis hujus fossas & fossas. Hæc enim dicit Dóminus: Non vidébitis ventum, neque plúviam, & álveus iste replébitur aquis, & bibétis vos, & famíliæ vestræ, & jumenta vestra. Parúmque est hoc in conspectu Dómini: ínsuper tradet étiam Moab in manus vestras. Factum est ígitur manè quando sacrificium offerri solet, & ecce aquæ veniébant per viã Edom, & repléta est terra aquis.

℟. Tu mandasti. 223.

LECTIO III. v. 21.

*Moab victus.*

Universi autem Moabítæ audientes quòd ascendissent reges ut pugnárent adversùm eos, convocavérunt omnes qui accincti erant bálteo désuper, & steterunt in términis. Primóque mane surgentes, & orto jam sole ex adverso aquárum, vidérunt Moabítæ econtrà aquas rubras quasi sánguinem, dixeruntque:

Sanguis gládii est : pugnavérunt reges contra se, & cæsi sunt mútuò : nunc perge ad prædam, Moab. Perrexeruntque in castra Israël : porrò consurgens Israël percussit Moab : at illi fugérunt coram eis. Venérunt igitur qui vícerant, & percussérunt Moab, & civitátes destruxérunt : & omnem agrum óptimum, mittentes sínguli lápides, replevérunt : & univérsos fontes aquárum obturavérunt : & ómnia ligna fructífera succidérunt, ita ut muri tantùm fíctiles remanérent : & circúmdata est cívitas à fundibulúriis, & magna ex parte percussa. Quod cùm vidisset rex Moab, prævaluisse scílicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gládium, ut irrúmperent ad regem Edom, & non potuérunt. Arripiensque fílium suum primogénitum qui regnatúrus erat pro eo, óbtulit holocaustum super murum : & facta est indignátio magna in Israël, statimque recessérunt ab eo, & reversi sunt in terram suam.

℟. In generatióné. 224.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 5. de Reform. c. 2.*

QUicumque parochiáles Ecclésias óbtinent... diébus saltem domínicis & festis solémnibus plebes sibi commissas ..... pascant salutáribus verbis, docendo ea quæ scire ómnibus necessáriũ est ad salútem : annuntiando quoque eis cum brevitáte & facilitáte sermónis, vítia quæ eos declináre, & virtútes quas sectári opórteat.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regũ.

Lectio I. c. 5. v. 1.

*Naaman & Giezi.*

NAaman erat vir fortis & dives, sed leprósus. Venit ergo cum equis & cúrribus, & stetit ad óstium domûs Eliséi. Misitque ad eum Eliséus núntium, dicens : Vade, & laváre sépties in Jordáne, & recípiet sanitátẽ caro tua, atque mundáberis. Descendit & lavit in Jordáne sépties juxta sermónem viri Dei, & restitúta est caro ejus sicut caro púeri párvuli, & mundátus est. Reversúsque ad virũ Dei cũ univérso comitátu suo, venit, & stetit coram eo, & ait : Verè scio quòd non sit álius Deus in universa terra nisi tantùm in Israël. Obsecro ítaque ut accípias benedictiónem à servo tuo. At ille respondit: Vivit Dóminus ante quẽ sto, quia non accípiam,

Cumque vim fáceret, pénitùs non acquiévit. Dixitque Náaman: Ut vis: sed, óbsecro, concéde mihi servo tuo ut tollã onus duórum burdónum de terra: non enim fáciet ultrà servus tuus holocaustum aut víctimam diis aliénis nisi Dómino. Et secútus est Giézi post tergũ Náaman: quem cùm vidisset ille currentem ad se, desíliit de curru in occursum ejus. Et ille ait: Dóminus meus misit me ad te dicens: Modò venérunt ad me duo adolescentes de monte Ephraïm, ex fíliis prophetárum: da eis taléntum argenti, & vestes mutatórias dúplices. Dixitque Náaman: Mélius est ut accípias duo talenta. Et coégit eum. Ipse autem ingressus, stetit coram dómino suo. Et dixit Eliséus: Accepisti argentũ, & accepisti vestes: sed & lepra Náaman adhærébit tibi & sémini tuo, usque in sempitérnum. Et egressus est ab eo leprósus quasi nix.

℟. Non nobis. 224.

LECTIO II. c. 6. v. 8.

*Consilia regis Syriæ Eliseo cognita.*

REx autem Syriæ pugnábat contra Israël, consiliumque íniit cum servis suis, dicens: In loco illo & illo ponámus insídias. Misit ítaque vir Dei ad regem Israël, dicens: Cave ne tránseas in locum illum, quia ibi Syri in insídiis sunt. Misit ítaque rex Israël ad locum quem díxerat ei vir Dei, & præoccupávit eum, & observávit se ibi non semel neque bis. Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re; & convocátis servis suis, ait: Quare non indicátis mihi quis próditor meî sit apud regem Israël? Dixitque unus servórum ejus: Nequáquàm, dómine mi rex; sed Eliséus prophéta, qui est in Israël, índicat regi Israël ómnia verba quæcumque locútus fúeris in concláví tuo. Dixitque eis: Ite & vidéte ubi sit, ut mittam & cápiam eum. Annuntiaveruntque ei dicentes: Ecce in Dothan. Misit ergo illuc equos & currus, & robur exércitûs; qui cùm venissent nocte, circumdedérunt civitátem.

℟. Ostende. 225.

LECTIO III. v. 18.

*Milites Syri Samariam ab Eliseo adducti.*

HOstes verò descendérunt ad Eliséum: porrò Eliséus orávit ad Dóminum, dicens: Pércute, óbsecro, gentem hanc cæcitáte. Percussítque eos Dóminus ne vi-

t, juxta verbum Eli-
)ixit autem ad eos
s : Non est hæc via,
: ista est civitas : se-
ni me, & ostendam
virum quē quæritis.
t ergo eos in Sama-
cumque ingressi fuis-
in Samaríam, dixit
is : Dómine, áperi
s istórum ut vídeant.
ruitque Dóminus ó-
eórum, & vidérunt
: in médio Samaríæ.
que rex Israël ad E-
a, cùm vidísset eos:
quid percútiam eos,
mi ? At ille ait:Non
ties; neque enim ce-
eos gládio & arcu
ut percútias : sed po-
anem & aquam co-
eis, ut cómedant &
nt, & vadant ad dó-
m suum. Apposita-
est eis cibórum ma-
præparátio ; & come-
nt, & bibérunt, &
it eos, abieruntque
dóminum suum, &
non venérunt la-
s Syriæ in terram
l.
Dómine, Pater. 225.
*C A N O N.*
Concílio Aquisgra-
nensi.
816. *lib.* 1. *cap.* 106.
ve profíciant, sive
on profíciant audi-
, tacére non debent
dótes : nec ídeò rei
i fortè eórum verba

pópuli non áudiunt, vel audíta contemnunt; sed si ab eis corrigendis absistant.

FERIA QUARTA.

*Homiliam & Evangelium quatuor Temporum vide in Proprio de Sanctis post diem 14. Septembris.*

De libro quarto Regũ.

LECTIO I. c. 6. v. 24.

*Samaria obsessa. Fames horrifica.*

FActum est autem post hæc, congregávit Bénadad rex Syriæ universum exércitum suum, & ascendit, & obsidébat Samaríam. Factaque est fames magna in Samaría : & támdiù obsessa est, donec venumdarétur caput ásini octoginta argénteis, & quarta pars cabi stércoris columbárum quinque argénteis. Cumque rex Israël transíret per murum, múlier quædam exclamávit ad eum, dicens : Salva me, dómine mi rex. Qui ait : Non te salvat Dóminus : unde te possum salváre ? de área vel de torculári ? Dixitque ad eã rex : Quid tibi vis ? Quæ respondit : Múlier ista dixit mihi:Da fílium tuum ut comedámus eum hódie, & fílium meum comedémus cras. Cóximus ergo fílium meũ, & comédimus. Dixíque ei die álterâ:Da fílium tuum

ut comedámus eum. Quæ abscondit filium suum. Quod cùm audisset rex, scidit vestimenta sua, & transíbat per murum. Viditque omnis pópulus cilícium quo vestítus erat ad carnem intrínsecùs. Et ait rex: Hæc mihi fáciat Deus, & hæc addat, si stéterit caput Eliséi filii Saphat super ipsum hódie.

℟. Apprehende. 225.

LECTIO II. c. 6. v. 32. & c. 7. v. 1.

*Eliséi prædictio.*

ELiséus autem sedébat in domo sua, & senes sedébant cum eo. Præmísit ítaque virum; & ántequàm veníret núntius ille, dixit ad senes: Numquid scitis quòd míserit filius homicídæ hic ut præcidátur caput meum? Vidéte ergo cùm vénerit núntius, cláudite óstium, & non sinátis eum introíre: ecce enim sónitus pedum dómini ejus post eũ est. Adhuc illo loquente eis, appáruit núntius qui veniébat ad eum. Et ait: Ecce tantum malum à Dómino est: quid ámpliùs expectábo à Dómino? Dixit autem Eliséus: Audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dñs: In témpore hoc cras módius símilæ uno statére erit, & duo módii hórdei statére uno in porta Samaríæ. Respondens unus de dúcibus, super cujus manum rex incumbébat, hómini Dei, ait: Si Dóminus fécerit étiam cataractas in cœlo, numquid póterit esse quod lóqueris? Qui ait: Vidébis óculis tuis, & inde non cómedes.

℟. Mitte, Dómine. 226.

LECTIO III. v. 3.

*Prophetiæ eventus.*

QUátuor ergo viri erant leprósi juxta introítum portæ, qui dixérunt ad ínvicem: Quid hîc esse vólumus donec moriámur? Igitur cùm venissent leprósi illi ad princípium castrórum, ingressi sunt unum tabernáculum, & comedérunt, & bibérunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & vestes. Dixeruntque ad ínvicem: Veníte, eámus, & nuntiémus in aula regis. Cumque venissent ad portam civitátis, narravérunt eis, dicentes: Ivimus ad castra Syriæ, & nullum íbidem repérimus hóminem, nisi equos & ásinos alligátos, & fixa tentória. Ferunt ergo portárii, & nuntiavérunt in palátio regis intrínsecùs. Misitque rex in castra Syrórum dicens: Ite, & vidéte. Qui abiérunt post eos usque ad Jordánem: ecce autem omnis via plena erat véstibus & vasis,

quæ projécerant Syri cùm turbarentur : reversíque núntii indicavérunt regi. Et egressus pópulus dirípuit castra Syriæ : factúsque est módius símilæ statére uno, & duo módii hórdei statére uno, juxta verbum Dómini. Porrò rex ducem illum in cujus manu incumbébat, constítuit ad portam : quē conculcávit turba in introítu portæ, & mórtuus est, juxta quod locútus fúerat vir Dei quando descénderat rex ad eum.

℟. Quàm terribília. 227.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 44.

NOn confundant ópera sermónē tuum, ne cùm in Ecclésia lóqueris, tácitus quílibet respóndeat : Cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? Delicátus magister est qui pleno ventre de jejúniis dísputat. Sacerdótis Christi os, mens manúsque concordent.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regū.

LECTIO I. c. 8. v. 1.

*Septennis fames ab Eliseo prædicta.*

ELiséus locútus est ad mulíerem cujus vívere fécerat fílium, dicens : Surge, vade tu, & domus tua, & peregrináre ubicumque repéreris : vocávit enim Dóminus famem, & véniet super terram septem annis. Quæ surrexit, & fecit juxta verbum hóminis Dei : & vadens cum domo sua, peregrináta est in terra Philísthiim diébus multis. Cumque finíti essent anni septem, reversa est múlier de terra Philísthiim; & egressa est ut interpelláret regem pro domo sua & pro agris suis. Rex autem loquebátur cū Giézi púero viri Dei, dicens : Narra mihi ómnia magnália quæ fecit Eliséus. Cumque ille narráret regi quómodo mórtuum suscitásset, appáruit múlier cujus vivificáverat fílium, clamans ad regem pro domo sua & pro agris suis. Dixitque Giézi : Dómine mi rex, hæc est múlier, & hic est fílius ejus quem suscitávit Eliséus. Et interrogávit rex mulíerem : quæ narrávit ei. Deditque ei rex eunúchum unum, dicens : Restítue ei ómnia quæ sua sunt, & univérsos réditus agrórum, à die quâ relíquit terram usque ad præsens.

℟. Dóminus dedit. 223.

LECTIO II. v. 7.

*Eliseus consultus pro Benadad.*

VEnit quoque Eliséus Damascum, & Bénad-

dad rex Syriæ ægrotábat: nuntiaveruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Házaël: Tolle tecum múnera, & vade in occursum viri Dei, & cónsule Dóminum per eum, dicens: Si evádere pótero de infirmitáte mea hac? Ivit ígitur Házaël in occursum ejus, habens secum múnera & ómnia bona Damasci, ónera quadraginta camelórũ. Cumque stetisset coram eo, ait: Fílius tuus Bénadad rex Syriæ misit me ad te, dicens: Si sanári pótero de infirmitáte mea hac? Dixitque ei Eliséus: Vade, dic ei: Sanáberis: porrò ostendit mihi Dóminus quia morte moriétur. Stetitque cum eo, & conturbátus est usque ad suffusiónem vultûs; flevitque vir Dei. Cui Házaël ait: Quáre dñs meus flet? At ille dixit: Quia scio quæ factúrus sis filiis Israël mala. Civitátes eórũ munítas igne succendes, & júvenes eórum interfícies gládio, & párvulos eórum elídes, & prægnantes dívides. Dixitque Házaël: Quid enim sum servus tuus canis, ut fáciam rem istam magnã? Et ait Eliséus: Ostendit mihi Dóminus te regem Syriæ fore. Qui cùm recessisset ab Eliséo, venit ad dóminum suum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliséus? At ille respondit: Dixit mihi: Recípies sanitátem. Cumque venisset dies áltera, tulit strágulum, & infúdit aquam, & expandit super fáciem ejus: quo mórtuo, regnávit Házaël pro eo.

℟. Tu mandasti. *pag.* 223.

LECTIO III. v. 16.

*Joram quintus rex Juda.*

ANno quinto Joram filii Achab regis Israël, & Jósaphat regis Juda, regnávit Joram filius Jósaphat rex Juda. Triginta duórum annórum erat cùm regnáre cœpisset, & octo annis regnávit in Jerúsalem. In diébus ejus recessit Edom, ne esset sub Juda, & constítuit sibi regem. Venitque Joram Seíra, & omnes currus cum eo: & surrexit nocte, percussitque Idumæos qui eum circumdéderant, & príncipes cúrruum; pópulus autem fugit in tabernácula sua. Recessit ergo Edom ne esset sub Juda ad diem hanc. Tunc recessit & Lobna in témpore illo. Et dormívit Joram cum pátribus suis, sepultusque est cum eis in civitáte David, & regnávit Ochozías fílius ejus pro eo.

℟. In generatiónem, 224.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An. 816. lib. 1. cap. 24.*

QUi officii sui necessitáte exígitur summa dícere, hâc eâdem necessitáte compéllitur summa monstráre : illa namque vox libéntiùs auditórum cor pénetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo ímperat, ostendendo ádjuvat, ut fiat.

FERIA SEXTA.

*Homiliam & Evangelium quatuor Temporum invenies in Proprio de Sanctis post diem 16. Septemb.*

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 8. 25.

*Ochosias sextus rex Juda.*

ANno duodécimo Joram filii Achab regis Israël, regnávit Ochozías filius Joram regis Judæ. Viginti duórum annórum erat Ochozías cùm regnáre cœpisset, & uno anno regnávit in Jerúsalem : nomen matris ejus Athalía filia Amri regis Israël. Et ambulávit in viis domûs Achab: & fecit quod malum est coram Dómino, sicut domus Achab : gener enim domûs Achab fuit. Abiit quoque cum Jorā filio Achab ad præliandum contra Házaël regem Syriæ in Ramoth Gálaad, & vulneravérunt Syri Joram : qui reversus est ut curarétur in Jézraël : quia vulneráverant eum Syri in Ramoth præliantem contra Házaël regem Syriæ. Porrò Ochozías filius Joram rex Juda, descendit invísere Joram filium Achab in Jézraël, quia ægrotábat ibi.

℟. Non nobis. 224.

LECTIO II. c. 9. v. 11.

*Jehu decimus rex Israel.*

ELiséus autem prophétes vocávit unum de filiis prophetárum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lentículam ólei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Gálaad. Cumque véneris illuc, vidébis Jehu filium Jósaphat filii Namsi : & ingressus suscitábis eum de médio fratrum suórum, & introdúces in intérius cubículum. Tenensque lentículam ólei, fundes super caput ejus, & dices : Hæc dicit Dóminus: Unxi te regē super Israël. Conjurávit ergo Jehu contra Joram. Et ascendit & profectus est in Jézraël : Joram enim ægrotábat ibi, & Ochozías rex Juda descénderat ad visitandum Joram. Igitur speculátor qui stabat super turrim Jézraël, vidit globum Jehu venientis, & ait : Vídeo ego globum. Est au-

tem incessus, quasi incessus Jehu filii Namsi; præceps enim gráditur. Et ait Joram: Junge currum. Junxeruntque currum ejus, & egressus est Joram rex Israël, & Ochozías rex Juda, sínguli in cúrribus suis; egressíque sunt in occursum Jehu, & invenérunt eum in agro Naboth Jezraelítæ. Cumque vidisset Joram Jehu, dixit: Pax est, Jehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicatiónes Jézabel matris tuæ, & veneficia ejus multa vigent. Convertit autem Joram manum suam, & fúgiens ait ad Ochozíam: Insídiæ, Ochozía. Porrò Jehu tetendit arcum manu, & percussit Joram inter scápulas: & egressa est sagitta per cor ejus, statimque córruit in curru suo. Dixitque Jehu ad Bádacer ducem: Tolle, prójice eum in agro Naboth Jezraëlítæ.

℞. Ostende. 225.

LECTIO III. v. 30.

*Mors Jesabel.*

VEnit Jehu in Jézraël. Porrò Jézabel introítu ejus audíto, depinxit óculos suos stíbio, & ornávit caput suum, & respexit per fenestram ingredientem Jehu per portam, & ait: Numquid pax potest esse Zambri qui interfécit dóminum suum? Levavitque Jehu fáciem suam ad fenestrá, & ait: Quæ est ista? Et inclinavérunt se ad eum duo vel tres eunúchi. At ille dixit eis: Præcipitáte eam deorsum. Et præcipitavérunt eam, aspersúsque est sánguine páries, & equórum úngulæ conculcavérunt eam. Cumque introgressus esset ut coméderet biberetque, ait: Ite, & vidéte maledíctam illam, & sepelíte eam; quia fília regis est. Cumque issent ut sepelírent eam; non invenérunt nisi calváriam, & pedes, & summas manus. Reversíque nuntiavérunt ei. Et ait Jehu: Sermo Dómini est, quem locútus est per servum suum Elíam Thesbíten, dicens: In agro Jézraël cómedent canes carnes Jézabel, & erunt carnes Jézabel sicut stercus super fáciem terræ in agro Jézraël.

℞. Dómine Pater. 225.

*CANON.*

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An. 816. lib. 1. cap. 9.*

SAcerdótis sermo debet esse purus, simplex & apertus, plenus gravitáte & honestáte, plenus suavitáte & grátiâ, tractans de mystério legis, de doctrína fidei,

de virtúte continéntiæ, de disciplína justítiæ: unumquemque diversâ ádmonens exhortatióne, juxta professiónem morumque qualitátem, vidélicet ut pernoscat quid, cui, quando, vel quómodò próferat.

SABBATO.

*Homiliam & Evangelium quatuor Temporum vide in Proprio de Sanctis, post diem 17. Septembris.*

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 10. v. 1.

*Filii Achab, & fratres Ochoziæ necantur.*

ERant autem Achab septuaginta filii in Samaria. Scripsit ergo Jehu litteras, & misit in Samaríam ad optimátes civitátis, & ad majóres natu, & ad nutrítios Achab, dicens: Elígite meliórem, & eum qui vobis placúerit de filiis dómini vestri, & eum pónite super sólium patris sui, & pugnáte pro domo dómini vestri. Misérunt ergo præpósiti domûs, & præfecti civitátis, & majóres natu, & nutrítii ad Jehu, dicentes: Servi tui sumus; quæcumque jússeris faciémus, nec constituémus nobis regē: quæcumque tibi placent, fac. Rescripsit autē eis litteras secundò, dicens: Si mei estis, & obedítis mihi, tóllite cápita filiórum dómini vestri, & veníte ad me hâc eâdem horâ cras in Jézrael. Venit autem núntius, & indicávit ei, dicens: Attulérunt cápita filiórum regis. Qui respondit: Pónite ea ad duos acervos juxta intróitum portæ usque manè. Cumque diluxisset, egressus est, & stans dixit ad omnem pópulum: Justi estis: si ego conjurávi contra dóminum meum, & interféci eum, quis percussit omnes hos? Et surrexit, & venit in Samaríā: cumque venisset ad cámeram pastórum in via, invénit fratres Ochozíæ regis Juda, dixitque: Comprehéndite eos vivos. Quos cùm comprehendissent vivos, jugulavérunt eos in cisterna juxta cámeram, quadraginta duos viros, & non relíquit ex eis quemquam.

LECTIO II. v. 15.

*Sacerdotes Baal trucidati.*

CUmque abiisset inde, invénit Jónadab fílium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei; & impósitum in currru suo duxit in Samaríam. Congregávit ergo Jehu omnem pópulum, & dixit ad eos: Sanctificáte diē solemnē Baal. Vocavitque & misit in universos términos Israël, & venérunt

cuncti servi Baal: non fuit resíduus ne unus quidem qui non veníret. Et ingressi sunt templū Baal, à summo usque ad summum. Ingressusque Jehu, & Jónadab fílius Rechab, templum Baal, ait cultóribus Baal: Perquírite, & vidéte, ne quis fortè vobiscum sit, de servis Dómini, sed ut sint servi Baal soli. Factum est autem, cùm complétum esset holocaustum, præcépit Jehu milítibus & dúcibus suis: Ingredímini, & percútite eos; nullus evádat. Percusseruntque eos in ore gládii, & projecérunt mílites & duces: & iérunt in civitátem templi Baal, & protulérunt státuam de fano Baal, & combussérunt, & comminuérunt eam. Destruxérunt quoque ædem Baal, & fecérunt pro ea latrínas usque in diem hanc. Delévit ítaque Jehu Baal de Israël.

Lectio III. v. 30.

*Regnum Israël posteris Jehu promissum.*

Dixit autem Dóminus ad Jehu: Quia studiósè egísti quod rectum erat, & placébat in óculis meis, & ómnia quæ erant in corde meo fecísti contra domum Achab: fílii tui usque ad quartam generatiónem sedébunt super thronum Israël. Porrò Jehu non custodívit ut ambuláret in lege Dómini Dei Israël in toto corde suo: non enim recessit à peccátis Jeróboā, qui peccáre fécerat Israël. In diébus illis cœpit Dóminus tædére super Israël: percussitque eos Házaël in universis fínibus Israël, à Jordáne contra orientálem plagam, omnem terram Gálaad, & Gad, & Ruben, & Manasse, ab Aroer, quæ est super torrentem Arnon, & Gálaad & Basan. Et dormívit Jehu cum pátribus suis, sepelieruntque eum in Samaría: & regnávit Jóachaz fílius ejus pro eo. Dies autem quos regnávit Jehu super Israël, viginti & octo anni sunt, in Samaría.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 23.

Rudibus pópulis seu carnálibus, plana atque commúnia, non summa atque árdua prædicanda sunt: ne immensitáte doctrínæ opprimantur pótiùs quàm erudiantur.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 2. D. Non cécidit de sermónibus Dómini in terram, quos locútus est Dóminus super domum

Achab. 4. *Reg.* 10. 10.
*Oratio, infrà ad Laud.*

## DOMINICA XV. post Pentecosten.

### *IN I. NOCTURNO.*

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 11. 1.

*Athalia septima Regina Juda.*

ATHalía mater Ochozíæ videns mórtuum fílium suum, surrexit, & interfécit omne semen régium. Tollens autem Jósaba fília regis Joram, soror Ochozíæ, Joas fílium Ochozíæ, furáta est eum de médio filiórum regis, qui interficiebantur, & nutrícem ejus de triclínio: & abscondit eum à fácie Athalíæ, ut non interficerétur. Eratque cum ea sex annis clam in domo Dómini. Porrò Athalía regnávit super terram.

℟. 1. Benedíctus es, Dómine Deus Israel, ab æterno in æternum; * Tua est, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, & tibi laus. 1. *Par.* 29. *v.* 10. 11. ℣. Virga æquitátis, virga regni tui. *Hebr.* 1. *v.* 8. * Tua est.

LECTIO II. v. 4.

*Diadema capiti Joæ impositum.*

ANno autem séptimo misit Joíada, & assúmens centuriónes & mílites, introduxit ad se in templum Dómini, pepigitque cum eis fœdus; & adjúrans eos in domo Dómini, ostendit eis fílium regis; & præcépit illis, dicens: Iste est sermo quem fácere debétis: tértia pars vestrûm intróeat sábbato, & obsérvet excúbias domûs regis; tértia autem pars sit ad portam Sur; & tértia pars sit ad portam, quæ est post habitáculum scutariórum, & custodiétis excúbias domûs Messa. Duæ verò partes è vobis omnes egredientes sábbato, custódiant excúbias domûs Dómini circa regem. Et vallábitis eum, habentes arma in mánibus vestris: si quis autem ingressus fúerit septum templi, interficiátur; eritísque cum rege introeunte & egrediente. Et fecérunt centuriónes juxta ómnia quæ præcéperat eis Joíada Sacerdos; & assumentes sínguli viros suos, qui ingrediebantur sábbatum, cum his qui egrediebantur sábbato, venérunt ad Joíadá Sacerdótem, qui dedit eis hastas, & arma regis David, quæ erant in domo Dómini. Et stetérunt sínguli habentes arma in manu sua, à parte templi déxtera, usque ad partem sinistram altáris.

& ædis, circum regem. Produxitque filium regis, & pósuit super eum diadéma, & testimónium: feceruntque eum regem, & unxérunt; & plaudentes manu, dixérunt: Vivat rex.

℟. II. Cuncta quæ in cœlo sunt & in terra, tua sunt: * Tuum, Dómine, regnum, & tu es super omnes príncipes. 1. Par. 29. v. 11. ℣. Thronus tuus, Deus, in séculum séculi. Heb. 1. 8. * Tuum.

LECTIO III. v. 13.

*Mors Athaliæ.*

Audívit autem Athalía vocem pópuli curréntis; & ingressa ad turbas in templum Dómini, vidit regem stantem super tribúnal juxta morem, & cantóres & tubas prope eum, omnemque pópulum terræ lætantem, & canentem tubis: & scidit vestimenta sua, clamavitque: Conjurátio, conjurátio. Præcépit autem Joíada centuriónibus, qui erant super exércitum, & ait eis: Edúcite eam extra septa templi, & quicumque eam secútus fúerit, feriátur gládio. Díxerat enim Sacerdos: Non occidátur in templo Dómini. Imposueruntque ei manus, & impegérunt eam per viam intróitûs equórum, juxta palátiũ, & interfecta est ibi. Pépigit ergo Joíada fœdus inter Dóminum, & inter regem, & inter pópulum, ut esset pópulus Dómini, & inter regem & pópulum. Lætatusque est omnis pópulus terræ, & cívitas conquiévit. Septem annórum erat Joas, cùm regnáre cœpisset.

℟. III. Tuæ divítiæ, Dómine, & tua est glória; * Tu domináris ómnium; † In manu tuâ virtus & poténtia. 1. Par. 29. v. 12. ℣. Nolens áliquos períre, sed omnes ad pœniténtiam reverti. 2. Petr. 3. v. 9. * Tu domináris. ℣. Glória. † In manu.

*IN II. NOCTURNO.*

De libro Ecclesiastæ.

LECTIO IV. c. 2. 1.

*Vanitas divitiarum.*

Dixi ego in corde meo: Vadam, & áffluam delíciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vánitas. Magnificávi ópera mea, ædificávi mihi domos, & plantávi víneas. Feci hortos, & pomária, & consévi ea cuncti géneris arbóribus, & extruxi mihi piscínas aquárum, ut irrigárem sylvam lignórũ germinántium, posédi servos & ancillas, multamque famíliam hábui: armenta quoque, & magnos

gnos óvium greges, ultra omnes qui fuérunt ante me in Jerúsalem; coacervávi mihi argentum & aurum, & subſtántias regum ac provinciárum.

℟. IV. Non longè eſt Deus ab unoquóque noſtrûm; * In ipſo enim vívimus, & movémur, & ſumus. *Act.* 17. *v.* 27. ℣. Dóminus excelſus, terríbilis, Rex magnus ſuper omnem terram. *Pſ.* 46. *v.* 3. * In ipſo.

LECTIO V. v. 8.

*Vanitas deliciarum.*

FEci mihi cantóres, & cantatríces, & delícias filiórum hóminum, ſcyphos & úrceos in miniſtério ad vina fundenda: & ſupergreſſus ſum ópibus omnes qui ante me fuérunt in Jerúſalem: ſapiéntia quoque perſeverávit mecum. Et ómnia quæ deſideravérunt óculi mei, non negávi eis; nec prohíbui cor meum quin omni voluptáte fruerétur, & oblectáret ſe in his quæ præparáveram: & hanc ratus ſum partem meam, ſi úterer labóre meo. Cumque me convertiſſem ad univerſa ópera quæ fécerant manus meæ, & ad labóres in quibus fruſtrà ſudáveram, vidi in ómnibus vanitátē & afflictiónem ánimi, & nihil permanére ſub ſole.

℟. V. Peregríni ſumus coram te, Dómine, & ádvenæ ſicut omnes patres noſtri; * Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora. 1. *Par.* 29. *v.* 15. ℣. Quid eſt homo, quòd memor es ejus; aut filius hóminis, quóniam víſitas eum? *Hebr.* 2. 6. * Dies.

LECTIO VI. c. 6. 1.

*Vanitas honorum.*

ESt & áliud malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud hómines: Vir cui dedit Deus divítias, & ſubſtántiam, & honórem; & nihil deeſt ánimæ ſuæ, ex ómnibus quæ deſíderat: nec tríbuit ei poteſtátem Deus, ut cómedat ex eo, ſed homo extráneus vorábit illud. Hoc vánitas, & miſéria magna eſt. Si genúerit quíſpiam centum líberos, & víxerit multos annos, & plures dies ætátis habúerit, & ánima illíus non utátur bonis ſubſtántiæ ſuæ, ſepulturâque cáreat: de hoc ego pronúntio quòd mélior illo ſit abortívus. Fruſtrà enim venit, & pergit ad ténebras, & oblivióne delébitur nomen ejus.

℟. VI. In manu tua, Dómine, magnitúdo & impérium ómnium; * Nunc ígitur, Deus no-

ster, confitémur tibi, † Et laudámus nomen tuum ínclytum. 1. *Paral.* 29. *v.* 12. 13. ℣. Dilexisti justítiam, & odisti iniquitátem. *Heb.* 1. *v.* 9. * Nunc. ℣. Glória. † Et laudámus.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

LECTIO VII. c. 6. v. 6.

*Quæ sint veræ divitiæ.*

Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quòd nec auferre quid póssumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegámur, his contenti sumus. Nam qui volunt dívites fieri, íncidunt in tentatiónem & in láqueũ diáboli, & desidéria multa inutília & nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum & perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appetentes, erravérunt à fide, & inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, charitátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fidei; apprehende vitam ætérnam, in qua vocátus es, & conféssus bonâ confessiónem corâ multis téstibus.

℟. VII. Hymnum novum cantémus Deo nostro: * Adónaï magnus es tu, & præclárus in virtúte tuâ. *Judith.* 16. *v.* 15. 16. ℣. Confidenter dicámus: Dñs mihi adjútor. *Hebr.* 3. 6. * Adónaï.

LECTIO VIII. v. 13.

*Divitiis quomodo utendum.*

PRæcípio tibi coram Deo, qui vivíficat ómnia, & Christo Jesu, qui testimónium réddidit sub Póntio Piláto, bonam confessiónem: ut serves mandátum sine mácula, irreprehensíbile usque in adventum Dómini nostri Jesu Christi, quem suis tempóribus ostendet beátus & solus potens, rex regum, & Dóminus dominántium; qui solus habet immortalitátem, & lucem inhábitat inaccessíbilem; quem nullus hóminum vidit, sed nec vidére potest: cui honor & impérium sempiternũ. Amen. Divítibus hujus séculi præcipe, non sublímè sápere, neque speráre in incerto divitiárum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis ómnia abundè ad fruendum. Benè ágere, dívites fieri in bonis opéribus, fácilè tribúere, communicáre, the-

saurizáre sibi fundamentum bonum in futúrum, ut apprehendant veram vitã.

℟. VIII. Magnus es, Dómine, in æternum, * Et in ómnia sécula regnum tuum; quóniam tu flagellas & salvas, dedúcis ad ínferos & redúcis. *Tob.* 13. *v.* 1. ℣. Magna & mirabília sunt ópera tua, Dómine Deus. *Apoc.* 15. *v.* 3. * Et in.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO IX. c. 7. v. 11.

*Juvenis mortuus suscitatur.*

IN illo témpore; Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naïm: & ibant cum eo discípuli ejus, & turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defunctus efferebátur filius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm.* 98. *aliàs* 44. *de verbis Domini.* §. 4. *&* 5.

EXcitávit Christus hunc júvenem víduæ filium, de quo nunc admóniti sumus ut cum vestra charitáte loquerémur. Modò audistis quómodò excitátus est. Appropinquábat Dóminus civitáti: & ecce efferebátur mórtuus jam extra portam. Misericórdiâ commótus, quòd flebat mater vidua, & destitúta único filio, fecit quod audistis, dicens: Adolescens, tibi dico, surge. Surrexit ille mórtuus, cœpit loqui; & réddidit illum matri suæ. De júvene illo resuscitáto gavísa est mater vídua: de homínibus quotídiè in spíritu suscitátis gaudet Mater Ecclésia. Ille quidem mórtuus erat córpore, illi autem mente. Illíus mors visíbilis visibíliter plangebátur; illórum mors invisíbilis nec quærebátur nec videbátur. Quæsívit ille qui nóverat mórtuos: ille solus nóverat mórtuos, qui póterat fácere vivos. Nisi enim ad mórtuos suscitandos Dóminus venisset, non Apóstolus díceret: Surge, qui dormis, & exurge à mórtuis; & illuminábit te Christus.

℟. IX. Benedictus es, Dómine Deus, in throno regni tui: * Benedictus es, qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim; † Et laudábilis, & superexaltátus in sécula. *Dan.* 3. *v.* 54. 55. ℣. Dómine Deus omnípotens, qui es & qui eras. *Apoc.* 11. *v.* 17. * Benedictus es. ℣. Glória. † Et laudábilis.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 3. a. Accessit Jesus; & tétigit lóculum, & resédit qui erat mórtuus, & cœ-

pit loqui, & dedit illum matri suæ. *Luc. 7. v. 14. 15.*

Orémus.

ECclésiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet & múniat: & quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur; Per Dóminum.

*CANON.*

Ex Concílio Rotomagensi.

*Anno* 1581.

ADmonére debent Sacerdótes plebes súbditas sibi, ut pastóres vel aratóres qui in agro assíduè commorantur, vel in sylvis, & ideò more pécudum vivunt, in Domínicis & áliis diébus festis saltem ad Missam fáciant vel permittant veníre; nam & hos Christus pretióso sánguine suo redémit.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. f. Accépit autem omnes timor, & magnificábant Deum, dicentes: Quia Prophéta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitávit plebem suam. *Luc.* 7. 16.

*Oratio, ut suprà.*

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 12. 1.

*Joas octavus rex Juda.*

ANno séptimo Jehu regnávit Joas, & quadraginta annis regnávit in Jerúsalem; nomen matris ejus Sébia de Bersabée. Fecitque Joas rectum coram Dómino cunctis diébus quibus dócuit eum Joíada Sacerdos. Verúmtamen excelsa non ábstulit; adhuc enim pópulus immolábat, & adolébat in excelsis incensum. Prohibitíque sunt Sacerdótes ultrà accípere pecúniam à pópulo, & instauráre sartatecta domûs. Et tulit Joíada Póntifex gazophylácium unum, aperuitque forámen désuper, & pósuit illud juxta altáre ad déxteram ingrediéntium domum Dómini, mittebantque in eo Sacerdótes qui custodiébant óstia, omnem pecúniam quæ deferebátur ad templum Dómini. Tunc ascendit Házael rex Syriæ, & pugnábat contra Geth, cepitque eam: & direxit fáciem suam ut ascénderet in Jerúsalem. Quamobrem tulit Joas rex Juda ómnia sanctificáta, quæ consecráverant Jósaphat, & Joram, & Ochozías, patres ejus, reges Juda, & quæ ipse obtúlerat; & universum argentũ quod inveníri pótuit in thesauris templi Dómini; & in palátio regis; misítque Hazaéli regi Syriæ, & recessit ab Jerúsalem. Sur-

rexérunt autem servi ejus, & conjuravérunt inter se, percusseruntque Joas in domo Mello in descensu Sella. Et sepeliérunt eum cum pátribus suis in civitáte David, regnavitque Amasías filius ejus pro eo.

℟. Benedictus es. *p.* 239.

LECTIO II c. 13. 1.

*Joachaz undecimus, Joas duodecimus rex Israël.*

ANno vigésimo tértio Joas filii Ochozíæ regis Juda, regnávit Jóachaz filius Jehu super Israël in Samaría decem & septem annis. Et fecit malum coram Dómino, secutusque est peccáta Jeróboam filii Nabat, qui peccáre fecit Israël, & non declinávit ab eis. Iratusque est furor Dómini contra Israel, & trádidit eos in manu Házael regis Syriæ, & in manu Bénadad filii Házael, cunctis diébus. Deprecátus est autem Jóachaz fáciem Dómini, & audívit eum Dóminus: vidit enim angústiam Israel, quia attríverat eos rex Syriæ; & dedit Dóminus salvatórem Israéli, & liberátus est de manu regis Syriæ: habitaveruntque filii Israel in tabernáculis suis, sicut heri & nudiustértius. Dormivitque Jóachaz cũ pátribus suis, & sepeliérunt eum in Samaría; regnavitque Joas filius ejus pro eo. Anno trigésimo séptimo Joas regis Juda, regnávit Joas filius Jóachaz super Israel in Samaría sédecim annis, & fecit quod malum est in conspectu Dómini: non declinávit ab ómnibus peccátis Jeróboam filii Nabat, qui peccáre fecit Israel; sed in ipsis ambulávit. Et dormívit Joas cum pátribus suis: Jeróboam autem sedit super sólium ejus. Porrò Joas sepultus est in Samaría cum régibus Israel.

℟. Cuncta. *pag.* 240.

LECTIO III. v. 14.

*Mors Elisei.*

ELiséus autem ægrotábat infirmitáte, quâ & mórtuus est: descenditque ad eum Joas rex Israel, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auríga ejus. Et ait illi Eliséus: Affer arcum & sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum & sagittas, dixit ad regem Israel: Pone manum tuã super arcum. Et cùm posuisset ille manum suam, superpósuit Eliséus manus suas mánibus regis, & ait: Aperi fenestram orientálem. Cumque aperuisset, dixit Eliséus: Jace sagittam; & jecit. Et ait Eliséus: Sagitta salútis Dó-

mini, & sagitta salútis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consúmas eam. Et ait: Tolle sagittas. Qui cùm tulisset, rursum dixit ei: Pércute jáculo terrã. Et cùm percussisset tribus vícibus, & stetisset, irátus est vir Dei contra eũ, & ait: Si percussisses quínquies, aut séxies, sive sépties, percussisses Syriam usque ad consumptiónem: nunc autem tribus vícibus percúties eã. Mórtuus est ergo Eliséus, & sepeliérunt eum. Latrúnculi autem de Moab venérunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hóminem, vidérunt latrúnculos, & projecérunt cadáver in sepulchro Eliséi. Quod cùm tetigisset ossa Eliséi, revixit homo, & stetit super pedes suos. Porrò Joas filius Jóachaz tulit urbes de manu Bénadad filii Házael, quas túlerat de manu Jóachaz patris sui jure prælii, tribus vícibus percussit eum Joas, & réddidit civitátes Israel.

℟. Tuæ divítiæ. p. 240.

*CANON.*

Ex Concílio Coloniensi primo.

*An. 1536. part. 6. cap. 15.*

INter concionandum à scómmatis, maledictis, ac convítiis omnínò abstinendum est. Prædicétur purè & sincérè verbum Dei, juxta Ecclesiásticam traditiónem, & patrum ab Ecclésia Cathólica approbatórum interpretatiónem.... Erit Párochus in reprehendendis crimínibus véhemens atque acer; constitútus enim est ut annúntiet pópulo scélera eórum: ita tamen ut in suggesto vítia tantùm reprehendat, non persónas nominátim perstringat.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 14. 1.

*Amasias nonus rex Juda.*

IN anno secundo Joas filii Jóachaz regis Israel, regnávit Amasías filius Joas regis Juda. Viginti quinque annórum erat cùm regnáre cœpisset. Viginti autem & novem annis regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Jóadan de Jerúsalem. Et fecit rectum coram Dómino; verúmtamen non ut David pater ejus. Juxta ómnia quæ fecit Joas pater suus, fecit; nisi hoc tantùm, quòd excelsa non ábstulit: adhuc enim pópulus immolábat, & adolébat incensum in excelsis. Cumque obtinuisset regnum, percussit servos suos, qui interfécerant regem patrem suũ

filios autem eórum qui occíderant, non occídit, juxta quod scriptum est in libro legis Móysi, sicut præcépit Dñs, dicens: Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro pátribus; sed unusquisque in peccáto suo moriétur. Ipse percussit Edom in Valle Salinárum decem míllia, & apprehendit Petram in prælio, vocavitque nomen ejus Jéctehel usque in præsentem diem.

℟. Non longè. p. 241.

LECTIO II. v. 8.

*Amasias victus à Joa.*

TUnc misit Amasías núntios ad Joas filiũ Jóachaz, filii Jehu regis Israel, dicens: Veni, & videámus nos. Remisitque Joas rex Israel ad Amasíam regem Juda, dicens: Quare próvocas malum, ut cadas tu & Judas tecum? Et non acquiévit Amasías: ascenditque Joas rex Israel, & vidérunt se, ipse & Amasías rex Juda, in Béthsames óppido Judæ. Percussúsque est Juda coram Israel, & fugérunt unusquisque in tabernácula sua. Amasíam verò regem Juda filium Joas filii Ochozíæ cepit Joas rex Israel in Béthsames, & adduxit eum in Jerúsalem: & interrúpit murum Jerúsalem à porta Ephraïm usque ad portam ánguli, quadringentis cúbitis. Tulitque omne aurum, & argentum, & universa vasa, quæ inventa sunt in domo Dómini & in thesauris regis, & óbsides, & reversus est in Samaríam. Dormivitque Joas cum pátribus suis, & sepultus est in Samaría cum régibus Israel; & regnávit Jeróboã filius ejus pro eo. Vixit autem Amasías, filius Joas, rex Juda, postquàm mórtuus est Joas filius Jóachaz regis Israel, quíndecim annis. Factaque est contra eum conjurátio in Jerúsalẽ: at ille fugit in Lachis. Miseruntque post eũ in Lachis; & interfecérunt eũ ibi. Et asportavérunt in equis, sepultusque est in Jerúsalem cum pátribus suis in civitáte David.

℟. Peregríni. p. 241.

LECTIO III. v. 21.

*Jeroboam decimustertius rex Israël.*

TUlit autem universus pópulus Judæ Azáriam annos natum sédecim, & constituérunt eum regem pro patre ejus Amasía. Ipse ædificávit Ælath, & restítuit eam Judæ, postquàm dormívit rex cum pátribus suis. Anno quintodécimo Amasíæ filii Joas regis Ju-

da, regnávit Jeróboam fílius Joas regis Iſrael in Samaría quadraginta & uno anno: & fecit quod malum eſt coram Dómino. Non receſſit ab ómnibus peccátis Jeróboam filii Nabat, qui peccáre fecit Iſrael. Ipſe reſtítuit términos Iſrael, ab introítu Emath, uſque ad mare ſolitúdinis. Nec locútus eſt Dóminus ut delére nomen Iſrael de ſub cœlo; ſed ſalvávit eos in manu Jeróboam filii Joas. Dormivitque Jeróboam cum pátribus ſuis régibus Iſrael, & regnávit Zacharías fílius ejus pro eo.

℟. In manu tua. *pag.* 241.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 4.

EPíſcopi ſaltem domínicis & feſtívis áliis diébus púeros in síngulis Paróchiis, fidei rudiménta, & obediéntiam erga Deum & parentes diligenter, ab his ad quos ſpectábit, docéri curábunt: & ſi opus ſit, étiam per Cenſúras Eccleſiáſticas compellent.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 15. 1.

*Azarias decimus rex Juda.*

ANno vigéſimo séptimo Jeróboam regis Iſrael, regnávit Azárias fílius Amasíæ regis Juda. Sédecim annórum erat cùm regnáre cœpiſſet, & quinquaginta duóbus annis regnávit in Jerúſalem: nomen matris ejus Jechelía de Jerúſalē. Fecitque quod erat plácitum coram Dómino juxta ómnia quæ fecit Amasías pater ejus. Verúmtamen excelſa non eſt demolítus: adhuc pópulus ſacrificábat, & adolébat incenſum in excelſis. Percuſſit autem Dóminus regem, & fuit lepróſus uſque in diem mortis ſuæ, & habitábat in domo líbera ſeorsùm: Jóathan verò fílius regis gubernábat palátium, & judicábat pópulum terræ. Et dormívit Azárias cum pátribus ſuis: ſepelierúntque eum cum majóribus ſuis in civitáte David, & regnávit Jóathan fílius ejus pro eo.

℟. Hymnum. *pag.* 242.

LECTIO II. v. 8.

*Zacharias decimuſquartus, Sellum decimuſquintus, Manahem decimusſextus rex Iſraël.*

ANno trigéſimo octávo Azáriæ regis Juda, regnávit Zacharías fílius Jeróboam ſuper Iſrael in Samaría ſex ménſibus. Conjurávit autem contra eum Sellum fílius Jabes; percuſſitque eum

palam, & interfécit, regnavitque pro eo. Sellum filius Jabes regnávit trigésimo nono anno Azáriæ regis Juda: regnávit autem uno mense in Samaría. Et ascendit Mánahem filius Gadi de Thersa: venitque in Samaríam, & percussit Sellum filium Jabes in Samaría, & interfécit eum, regnavitque pro eo. Tunc percussit Mánahem Thapsam, & omnes qui erant in ea, & términos ejus de Thersa; nolúerant enim aperíre ei: & interfécit omnes prægnantes ejus, & scidit eas. Anno trigésimo nono Azáriæ regis Juda, regnávit Mánahem filius Gadi super Israel decem annis in Samaría. Veniébat Phul rex Assyriórum in terram, & dabat Mánahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxílium, & firmáret regnũ ejus. Indixitque Mánahẽ argentum super Israel cunctis poténtibus & divítibus, ut daret regi Assyriórum, quinquaginta siclos argenti per síngulos: reversusque est rex Assyriórum, & non est morátus in terra. Et dormívit Mánahem cum pátribus suis: regnavitque Phaceía filius ejus pro eo.

℟. Magnus es. p. 243.

LECTIO III. v. 23.

*Phaceia decimus septimus, Phacee decimus octavus rex Israel.*

ANno quinquagésimo Azáriæ regis Juda, regnávit Phaceía filius Mánahem super Israel in Samaría biénnio. Conjurávit autem adversùs eum Phacée filius Romelíæ, dux ejus, & percussit eum in Samaría in turre domûs régiæ, juxta Argob, & juxta Aríe, & cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditárum, & interfécit eum, regnavitque pro eo. Anno quinquagésimo secundo Azáriæ regis Juda, regnávit Phacée filius Romelíæ super Israel in Samaría viginti annis. Et fecit quod erat malum coram Dómino: non recessit à peccátis Jeróboam filii Nabat, qui peccáre fecit Israel. In diébus Phacée regis Israel venit Theglathphálasar rex Assur, & cepit Aïon, & Abel, Domum Maácha, & Jánoë, & Cedes, & Asor, & Gálaad, & Galilæam, & universam terrá Néphthali; & tránstulit eos in Assyrios. Conjurávit autem, & tetendit insídias Osée filius Ela contra Phacée filium Romelíæ, & percussit eum, & interfécit: regnavitque pro eo

vigésimo anno Jóathan filii Oziæ.

℟. Benedictus. *p.* 243.

*C A N O N.*

Ex Concílio Mediolanensi primo.

*An.* 1565. *part.* 1. *tit.* 4.

PArochi síngulis Domínicis & áliis festis diébus, qui Ecclésiæ præcepto agi sóleant, púeris sínguli in suis Paróchiis inítia fídei tradant; eósque ad obediéntiam, primùm Deo, deinde paréntibus præstandam, erúdiant; ac prætéreà à prándio statâ horâ, próprio campánæ sono ad id munus assignáto, ad Ecclésiam convocandos curábunt.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

LECTIO I. C. 15. V. 32.

*Joathan undecimus Rex Juda.*

ANno secundo Phacée filii Romelíæ regis Israel, regnávit Jóathan fílius Oziæ regis Juda. Viginti quinque annórum erat cùm regnáre cœpisset, & sédecim annis regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Jérusa, fília Sadoc. Fecitque quod erat plácitum coram Dómino: juxta ómnia quæ fécerat Ozías pater suus, operátus est. Verúmtamen excelsa non ábstulit: adhuc pópulus immolábat, & adolébat incensum in excelsis: ipse ædificávit portam domûs Dómini sublimissimam. In diébus illis cœpit Dóminus míttere in Judam Rasin regem Syriæ, & Phacée fílium Romelíæ. Et dormívit Jóathan cum pátribus suis, sepultúsque est cum eis in civitáte David patris sui, & regnávit Achaz fílius ejus pro eo.

℟. Benedictus es. *pag.* 239.

LECTIO II. C. 16. I.

*Achaz duodecimus Rex Juda.*

ANno décimo séptimo Phacée filii Romelíæ, regnávit Achaz filius Jóathan regis Juda. Vigintí annórum erat Achaz cùm regnáre cœpisset, & sédecim annis regnávit in Jerúsalem: non fecit quod erat plácitum in conspectu Dómini Dei sui, sicut David pater ejus. Sed ambulávit in via regum Israel; ínsuper & fílium suum consecrávit, tránsferens per ignem secundùm idóla géntium, quæ dissipávit Dóminus coram filiis Israel. Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacée fílius Romelíæ rex Israel, in Jerúsalem ad præliandum: cumque obsidérent Achaz, non valuérunt superáre eum.

In témpore illo restítuit Rasin rex Syriæ Ailam Syriæ, & ejécit Judæos de Aila: & Idumæi venérunt in Ailam; & habitavérunt ibi usque in diem hanc. Misit autem Achaz núntios ad Theglathphálasar regem Assyriórum, dicens: Servus tuus & filius tuus ego sum: ascende, & salvum me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Israel, qui consurrexérunt adversùm me. Et cùm collegisset argentum & aurum, quod inveníri pótuit in domo Dómini & in thesauris regis, misit regi Assyriórum múnera. Qui & acquiévit voluntáti ejus: ascendit enim rex Assyriórum in Damascum, & vastávit eam: & tránstulit habitatóres ejus Cyrénen, Rasin autem interfécit.

℟. Cuncta. *pag.* 240.

LECTIO III. V. 10.

*Impietas regis Achaz.*

PErrexitque rex Achaz in occursum Theglathphálasar regi Assyriórum in Damascum: cumque vidisset altáre Damasci, misit rex Achaz ad Uríam sacerdótem exemplar ejus, & similitúdinem juxta omne opus ejus. Extruxitque Urías sacerdos altáre: juxta ómnia quæ præcéperat rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Urías, donec veníret rex Achaz de Damasco. Cumque venisset rex de Damasco, vidit altáre, & venerátus est illud: ascenditque & immolávit holocausta & sacrificium suum, & libávit libámina, & fudit sánguinem pacificórum, quæ obtúlerat super altáre. Porrò altáre æreum, quod erat coram Dómino, tránstulit de fácie templi, & de loco altáris, & de loco templi Dómini: posuitque illud ex látere altáris ad Aquilónē. Dormivitque Achaz cum pátribus suis, & sepultus est cum eis in civitáte David, & regnávit Ezechías fílius ejus pro eo.

℟. Tuæ divítiæ. *p.* 240.

*C A N O N.*

Ex Concílio Burdigalensi. *An.* 1583. *tit. de Paroch.*

OBservent (Párochi) sui gregis vítia, & commúnia, & própria cujusque peccáta: iísque corrigendis cum omni mansuetúdine & charitáte, cùm públicè tùm privátim síngulos admonendo diligéntiam adhíbeant. Si qui contentióne discordes fúerint, vel ódia in sese vicissim susceperint, aut simultátes exercúerint, curent eos

quamprímùm ad pacem & fraternam concórdiam revocáre.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 17. 1.

*Osee decimusnonus & ultimus rex Israël.*

ANno duodécimo Achaz regis Juda, regnávit Oséе filius Ela in Samaría super Israel novem annis. Fecitque malum coram Dómino: sed non sicut reges Israel, qui ante eum fúerant. Contra hunc ascendit Salmánasar rex Assyriórum, & factus est ei Osée servus, reddebatque illi tribúta. Cumque deprehendisset rex Assyriórum Osée, quòd rebelláre nitens misisset núntios ad Sua regem Ægypti, ne præstáret tribúta regi Assyriórum, sicut síngulis annis sólitus erat, obsédit eum, & vinctum misit in cárcerem. Pervagatusque est omnem terram; & ascendens Samaríam, obsédit eam tribus annis. Anno autem nono Osée, cepit rex Assyriórum Samaríā, & tránstulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala, & in Habor, juxta flúvium Gozan, in civitátibus Medórum.

℟. Non longè. *pag.* 241.

LECTIO II. v. 24.

*Assyrii à leonibus devorati.*

ADduxit autem rex Assyriórum de Babylóne, & de Cuthæ, & de Avah, & de Emath, & de Sephárvaïm; & collocávit eos in civitátibus Samaríæ pro filiis Israel, qui possedérunt Samaríam, & habitavérunt in úrbibus ejus. Cumque ibi habitáre cœpissent, non timébant Dóminum: & immísit in eos Dóminus leónes, qui interficiébant eos. Nuntiatumque est regi Assyriórum, & dictum: Gentes quas transtulisti, & habitáre fecisti in civitátibus Samaríæ, ignórant legítima Dei terræ; & immísit in eos Dóminus leónes, & ecce interfíciunt eos, eò quòd ignórent ritum Dei terræ. Præcépit autem rex Assyriórum, dicens: Dúcite illuc unum de Sacerdótibus quos inde captívos adduxistis, & vadat, & hábitet cum eis; & dóceat eos legítima Dei terræ. Igitur cùm venisset unus de Sacerdótibus his qui captívi ducti fúerant de Samaría, habitávit in Bethel, & docébat eos quómodo cólerent Dóminum.

℟. Peregríni. *pag.* 241.

Lectio III. v. 29.

*Assyrii Deo & idolis servientes.*

Unaquæque gens fabricáta est deum suũ: posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fécerant Samarítæ, gens & gens in úrbibus suis, in quibus habitábat. Viri enim Babylónii fecérunt Sochóthbenoth: viri autem Chutæi fecérunt Nergel; & viri de Emath fecérunt Asima. Porrò Hevæi fecérunt Nébahaz & Tharthac. Hi autem qui erant de Sephárvaïm, comburébant filios suos igni, Adrámelech & Anámelech diis Sephárvaïm, & nihilóminus colébant Dóminum. Fecérunt autem sibi de novíssimis sacerdótes excelsórum, & ponébant eos in fanis sublímibus. Et cùm Dóminum cólerent, diis quoque suis serviébant juxta consuetúdinem géntium de quibus transláti fúerant Samaríam.

℟. In manu tua. *p.*241.

*CANON.*

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 134.

Rectóres sint críminum persecutóres & hóminum liberatóres: óderint vítia, díligant hómines: óderint quod instinctu diáboli ingestum est, díligant quod Dei bonitáte creátum est.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio I. c. 18. 1.

*Ezechias decimustertius rex Juda.*

Anno tértio Osée filii Ela regis Israel, regnávit Ezechías filius Achaz regis Juda. Viginti quinque annórum erat, cùm regnáre cœpisset: & viginti novẽ annis regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Abi filia Zacharíæ. Fecitque quod erat bonum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat David pater ejus. Ipse dissipávit excelsa, & contrívit státuas, & succídit lucos, confregitque serpentem æneum quem fécerat Móyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolébant ei incensum; vocavitque nomen ejus Nohestan. In Dómino Deo Israel sperávit: itaque post eum non fuit símilis ei de cunctis régibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuérunt. Et adhæsit Dómino, & non recessit à vestígiis ejus; fecitque mandáta ejus, quæ præcéperat Dóminus Móysi. Unde & erat Dóminus cum eo, & in cunctis ad quæ procedébat, sapienter se a-

gébat. Rebellávit quoque contra regem Assyriórum, & non servívit ei. Ipse percussit Philisthæos usque ad Gazam, & omnes términos eórum, à turre custódum usque ad civitátem munítam.

LECTIO II. v. 13.

*Jerusalem à Sennacherib obsessa.*

ANno quartodécimo regis Ezechíæ, ascendit Sennácherib rex Assyriórum ad universas civitátes Juda munítas, & cepit eas. Misit autem rex Assyriórum Tharthan, & Rábsaris, & Rábsacen, de Lachis ad regem Ezechíam, cum manu válida, Jerúsalem: vocaveruntque regem. Egressus est autem ad eos Elíacim fílius Helcíæ præpósitus domûs, & Sobna scriba, & Jóahe fílius Asaph à commentáriis. Dixitque ad eos Rábsaces: Loquímini Ezechíæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriórum: Quæ est ista fidúcia quâ níteris? Quòd si dixéritis mihi: In Dómino Deo nostro habémus fidúciam; nonne iste est, cujus ábstulit Ezechías excelsa & altária: & præcépit Judæ & Jerúsalē: Ante altáre hoc adorábitis in Jerúsalem? Numquid sine Dómini voluntáte ascendi ad locū istum, ut demolírer eum? Dóminus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, & demolíre eam. Hæc dicit rex: Non vos sedúcat Ezechías; non enim póterit erúere vos de manu mea. Neque fidúciam vobis tríbuat super Dóminum, dícens: Eruens liberábit nos Dóminus, & non tradétur cívitas hæc in manu regis Assyriórum. Quinam illi sunt in univérsis diis terrárum, qui eruérunt regiónem suam de manu mea, ut possit erúere Dóminus Jerúsalem de manu mea?

LECTIO III. c. 19. 1.

*Jerusalem Dei ope liberata.*

QUæ cùm audísset Ezechías rex, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressusque est domum Dómini. Et misit Elíacim præpósitum domûs, & Sobnam scribam, & senes de Sacerdótibus opertos saccis, ad Isaíam Prophétam fílium Amos. Dixitque eis Isaías: Hæc dicétis dómino vestro: Hæc dicit Dóminus: Noli timére à fácie sermónum quos audísti, quibus blasphemavérunt púeri regis Assyriórum me. Ecce ego immittam ei spíritum, & áudiet núntium, & revertétur in terram suam, & dejíciam eum gládio in

terra sua. Factum est ígitur in nocte illa, venit Angelus Dómini, & percussit in castris Assyriórum centum octoginta quinque míllia. Cumque dilúculo surrexisset, vidit ómnia córpora mortuórum: & recédens ábiit, & reversus est Sennácherib rex Assyriórum, & mansit in Nínive. Cumque adoráret in templo Nesroch deum suum, Adrámelech & Sarásar filii ejus percussérunt eum gládio, fugeruntque in terram Armeniórum, & regnávit Asarhaddon filius ejus pro eo.

*CANON.*

Ex Concílio Burdigalensi. *An.* 1583. *tit. de Parochis.*

INquírant (Párochi) studiósè de paupéribus suæ Parochíæ, præsertìm de víduis, órphanis, pupillis, ægrótis, sénio conféctis, aliísque persónis temporáli vel spirituáli misericórdiâ indigéntibus, quibus & ipsi pro víribus opituléri, & álios suo exemplo atque hortátu, ad id officium invitáre stúdeant.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 4. E. Dómine Deus Israël, qui sedes super Chérubim, tu es Deus solus regum ómniũ terræ. 4. *Reg.* 19. 15.

*Oratio, infrà ad Laudes.*

DOMINICA XVI. post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 20. 1.

*Ezechias ægrotans.*

IN diébus illis ægrotávit Ezechías usque ad mortem: & venit ad eum Isaías filius Amos Prophéta, dixítque ei: Hæc dicit Dóminus Deus: Præcipe dómui tuæ: moriéris enim tu, & non vives. Qui convertit fáciem suam ad paríetem, & orávit Dóminum, dicens: Obsecro, Dómine, meménto, quæso, quómodò ambuláverim coram te in veritáte, & in corde perfecto, & quod plácitum est coram te, fécerim. Flevit ítaque Ezechías fletu magno. Et ántequàm egrederétur Isaías médiã partem átrii, factus est sermo Dómini ad eum, dicens: Revértere, & dic Ezechíæ duci pópuli mei: Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui: Audívi oratiónem tuam, & vidi lácrymas tuas; & ecce sanávi te, die tértio ascendes templum Dómini. Et addam diébus tuis quíndecim annos: sed & de manu regis Assyriórũ liberábo te, & civitátem hanc, & prótegam urbem istam propter me, & propter David servum meum.

Dixitque Isaías: Afferte massam ficórum. Quam cùm attulissent, & posuissent super ulcus ejus, curátus est.

℟. I. Concupívi salutáre tuum, Dómine: * Vivet ánima mea & laudábit te, & judícia tua adjuvábunt me. *Psal.* 118. 174. 175. ℣. In médio Ecclésiæ laudábo te. *Heb.* 2. 12. * Vivet.

LECTIO II. v. 8.
*Sol retrogradus.*

Dixerat autem Ezechías ad Isaíam: Quod erit signum, quia Dñs me sanábit, & quia ascensúrus sum die tértiâ templum Dómini? Cui ait Isaías: Hoc erit signũ à Dómino, quòd factúrus sit Dóminus sermónem quem locútus est: Vis ut ascendat umbra decem líneis, an ut revertátur tótidem grádibus? Et ait Ezechías: Fácile est, umbram créscere decem líneis: nec hoc volo ut fiat; sed ut revertátur retrorsum decem grádibus. Invocávit ítaque Isaías prophéta Dóminum, & reduxit umbram per líneas quibus jam descénderat in horológio Achaz, retrorsum decem grádibus. In témpore illo misit Bérodach Báladan, fílius Báladan, rex Babyloniórum litteras & múnera ad Ezechíam: audíerat enim quòd ægrotasset Ezechías. Lætátus est autem in adventu eórum Ezechías: non fuit quod non monstráret eis Ezechías in domo sua, & in omni potestáte sua. Venit autem Isaías prophéta ad regem Ezechíam, dixitque ei: Ecce dies vénient, & auferentur ómnia quæ sunt in domo tua, & quæ condidérunt patres tui usque in diem hanc, in Babylónem: non remanébit quidquam, ait Dñs.

℟. II. Bonitátem & disciplínam, & sciéntiam doce me, Dómine; * Bonus es tu, & in bonitáte tuâ doce me justificatiónes tuas. *Ps.* 118. *v.* 66. 68. ℣. Nemo bonus, nisi unus Deus. *Marc.* 10. *v.* 8. * Bonus.

De libro secundo Paralipómenon.

LECTIO III. c. 30. v. 1.
*Ezechias ad Phase invitat.*

Misit quoque Ezechías ad omnem Israël & Judam: scripsitque epístolas ad Ephraïm & Manassen, ut venírent ad domum Dómini in Jerúsalem, & fácerent phase Dómino Deo Israël. Inito ergo consílio regis & príncipum, & universi cœtûs Jerúsalem, decrevérunt ut fácerent Phase

mensе secundo. Non enim potúerant fácere in témpore suo, quia sacerdótes, qui possent sufficere, sanctificáti non fúerant, & pópulus nondum congregátus fúerat in Jerúsalẽ. Placuitque sermo regi & omni multitúdini. Et decrevérunt ut mitterent núntios in universum Isráël de Bersabée usque Dan, ut venírent & fácerent Phase Dño Deo Isráël in Jerúsalem: multi enim non fécerant sicut lege præscriptum est. Perrexeruntque cursóres cum epístolis ex regis império & príncipum ejus, in universum Isráël & Judam, juxta id quod rex jússerat, prædicantes.

℟. III. Deo nostro sit jucunda decoraque laudátio: * Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus; † Et sapiéntiæ ejus non est númerus. *Ps.* 146. 1. 5. ℣. Salus, & glória, & virtus Deo nostro est. *Apoc.* 19. 1. * Magnus. ℣. Glória. † Et.

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo Ezechíæ regis ad filios Isráël & Juda.

LECT. IV. l. 2. Par. 30. 6.

*Ob captivitatem Isráël invitat Ezechias ad pœnitentiam.*

FIlii Isráël, revertímini ad Dñm Deum Abraham, & Isaac, & Isráël; & revertétur ad relíquias quæ effugérunt manum regis Assyriórum. Nolítę fieri sicut patres vestri & fratres, qui recessérunt à Dómino Deo patrum suórum, qui trádidit eos in intéritum, ut ipsi cérnitis. Nolíte induráre cervíces vestras sicut patres vestri: trádite manus Dómino, & veníte ad sanctuárium ejus quod sanctificávit in ætérnum: servíte Dómino Deo patrum vestrórum, & avertétur à vobis ira furóris ejus. Si enim vos reversi fuéritis ad Dóminum, fratres vestri & filii habébunt misericórdiam coram dóminis suis qui illos duxérunt captívos, & revertentur in terram hanc: pius enim & clemens est Dóminus Deus vester, & non avertet fáciem suam à vobis, si reversi fuéritis ad eum.

℟. IV. Dóminus scit cogitatiónes hóminum, quóniam vanæ sunt: * Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine! *Ps.* 93. 11. 12. ℣. Dómine, ad quem íbimus? verba vitæ ætérnæ habes. *Joan.* 6. *v.* 69. * Beátus.

De libro Ecclesiástici.

LECTIO V. c. 48. v. 19.

*Ezechiæ gesta & pietas.*

EZechías munívit civitátem suam, & in-

duxit in médium ipsíus aquam, & fodit ferro rupem, & ædificávit ad aquam púteum. In diébus ipsíus ascendit Sennácherib, & misit Rábsacen, & sústulit manum suam contra illos, & éxtulit manum suam in Sion, & superbus factus est poténtiâ suâ. Tunc mota sunt corda & manus ipsórum: & doluérunt quasi parturientes mulíeres. Et invocavérunt Dóminum misericordem, & expandentes manus suas extulérunt ad cœlum: & sanctus Dóminus Deus audívit citò vocem ipsórum. Non est commemorátus peccatórum illórum, neque dedit illos inimícis suis; sed purgávit eos in manu Isaíæ sancti prophétæ. Dejécit castra Assyriórum, & contrívit illos Angelus Dómini. Nam fecit Ezechías quod plácuit Deo, & fórtiter ivit in via David patris sui, quam mandávit illi Isaías prophéta magnus & fidélis in conspectu Dei. In diébus ipsíus retrò rédiit sol, & áddidit regi vitam. Spíritu magno vidit última, & consolátus est lugentes in Sion. Usque in sempitérnum ostendit futúra, & abscóndita ántequam evenírent.

℟. V. Aspice in me, Dómine, & miserére mei; * Gressus meos dírige secundùm elóquium tuum. *Ps.* 118. 132. 133. ℣. Velle ádjacet mihi, perfícere autem bonum non invénio. *Rom.* 7. 18. * Gressus.

LECTIO VI. c. 49. v. 1.

*Davidis, Ezechiæ, & Josiæ encomium.*

MEmória Josíæ in compositióne odóris facta, opus pigmentárii. In omni ore quasi mel indulcábitur ejus memória, & ut música in convívio vini. Ipse est diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis. Et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. Præter David, & Ezechíam, & Josíam, omnes peccátum commisérunt: nam reliquérunt legem Altíssimi reges Juda, & contempsérunt timórem Dei. Dedérunt enim regnum suum áliis, & glóriam suam alienígenæ genti. Incendérunt eléctam sanctitátis civitátem, & desertas fecérunt vias ipsíus in manu Jeremíæ. Nam malè tractavérunt illum, qui à ventre matris consecrátus est prophéta, evértere, & eruere, & pérdere, & íterùm ædificáre, & renováre.

℟. VI. Regnum tuum, Dómine, * Regnum ómnium seculórum; & dominátio tua † In omni generatióne & generatiónem. *Psal.* 144. *v.* 13. ℣. Sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuū. *Matth.* 6. 9. 10. * Regnum. ℣. Glória Patri. † In omni.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO VII. c. 8. v. 28.

*Amantibus Deum omnia utilia.*

SCimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit?

℟. VII. Dómine, salvum me fac: * Psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini. *Is.* 38. 20. ℣. Ut in ómnibus honorificétur Deus per Jesum Christum. 1. *Petr.* 4. 11. * Psalmos nostros cantábimus.

LECTIO VIII. v. 35.

*Amantes Deum nihil separabit à Christo.*

QUis ergo nos separábit à charitáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius? (Sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur totâ die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis.) Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à charitáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. VIII. Magister bone, * Quid fáciens vitam æternam possidébo? *Luc.* 18. 18. ℣. Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus. 1. *Reg.* 3. 10. * Quid fáciens vitam æternam possidébo?

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO IX. c. 14. v. 1.

*Hydropicus sabbato sanatus.*

IN illo témpore: Cùm intráret Jesus in domum cujusdam príncipis Pharisæórũ sábbato manducáre panem, & ipsi observábant eum: & ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

*In Luc. lib. 4.*

PRóprium est hydrópici, quantò magis abundat humóre inordináto, tantò ámpliùs sitíre. Et ídeò rectè comparátur ei quem fluxus carnálium voluptátum exúberans ággravat. Comparátur díviti aváro, qui quantò est copiósior divítiis quibus non bene útitur, tantò ardéntiùs tália concupiscit. Et respondens Jesus dixit ad Legisperítos & Pharisæos: Licet sábbato curáre? At illi tacuérunt. Quod dícitur respondisse Jesus, ad hoc réspicit quod præmissum est: Et ipsi observábant eum. Dóminus enim novit cogitatiónes hóminum. Sed méritò interrogáti tacent, qui contra se dictum quidquid díxerint vident. Nam si licet sábbato curáre; quare Salvatórẽ, an curet, obsérvant? Si non licet; quare ipsi sábbato pécora curant? Ipse verò apprehensum sanávit, ac dimísit. Próvidâ dispensatióne Dóminus ante Legisperítos & Pharisæos hydrópicum curat; & mox contra avarítiam dísputat: ut vidélicet per hujus ægritúdinem córporis, in illis exprimerétur ægritúdo cordis. Dénique post multa disputatiónis ejus hortamenta, subjunctum est: Audiébant autem ómnia hæc Pharisæi qui erant avári, & deridébant illum... Et respondens ad illos, dixit: Cujus vestrûm ásinus aut bos in púteum cadit, & non contínuò éxtrahet illum die sábbati? Sic observatóres suî Pharisæos convincit, ut eosdẽ étiam avarítiæ condemnet. Si vos, inquit, in sábbato ásinum, aut bovem, aut áliquid quódlibet ánimal in púteum décidens erípere festinátis, non animáli sed vestræ avarítiæ consulentes; quantò magis ego hóminem, qui multò mélior est pécore, débeo liberáre?

℟. IX. Dei perfecta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia: * Deus fidélis & absque ulla iniquitáte, ju-

stus & rectus. *Deut.* 32.4. ℣. Ipsi glória, & nunc & in diem æternitátis. 2. *Petr.* 3.17.*Deus. ℣.Glória. * Deus.

*Ad* Benedíctus, *Ant.* 1.*D.* Cùm intráret Jesus in domum cujusdam príncipis Pharisæórum, hydrópicus erat ante illum, & dixit ad Legisperítos & Pharisæos: Si licet sábbato curáre? *Luc.* 14.1.2.3.

Orémus.

TUa nos, quæsumus, Dómine, grátia semper & prævéniat & sequátur, ac bonis opéribus júgiter præstet esse intentos; Per Dóminum.

*CANON.*

Ex Concílio Aquensi. *An.* 1585.*Tit.de fest.cultu.*

DOceantur pópuli, ut, præter missam, quæ diébus domínicis & festívis sine graviffimi peccáti culpa prætermitti non potest, præter vésperas item, quibus fidélem quemque, nisi impedítum, interesse máximè cónvenit, in doctrínæ Christiánæ rudiméntis omnes, tam mares quàm féminæ, tam viri quàm púeri, vel perdiscendis si ignórent, vel álios perdocendis versentur.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 6. F. Apprehensum sanávit hydrópicum Jesus, ac dimísit. *Luc.* 14. 4.

*Oratio ut suprà.*

FERIA SECUNDA.

De libro secundo Paralipómenon.

LECTIO I. c. 33. v. 1.

*Manasses decimusquartus rex Judæ.*

DUódecim annórũ erat Manasses cùm regnáre cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnávit in Jerúsalẽ. Fecit autem malum corã Dño, juxta abominatiónes géntiũ quas subvertit Dñs coram filiis Israël: & conversus instaurávit excelsa quæ demolitus fúerat Ezechías pater ejus: construxitque aras Báalim, & fecit lucos, & adorávit omnẽ milítiã cœli, & cóluit eã. Ædificávit quoque altária in domo Dñi, de qua díxerat Dñs: In Jerúsalẽ erit nomen meum in æternum. Ædificávit autẽ ea cuncto exercítui cœli in duóbus átriis domûs Dñi. Transireque fecit fílios suos per ignẽ in valle Benennom: observábat sómnia, sectabátur augúria, maléficis ártibus inserviébat, habébat secũmagos & incantatóres: multaque mala operátus est corã Dño, ut irritáret eum.

℟. Concupívi. 256.

LECTIO II. v. 7.

*Manasses ab Assyriis captus.*

SCúlptile & conflátile signum pósuit in do-

mo Dei, de qua locútus est Deus ad David, & ad Salomónem filium ejus, dicens: In domo hac & in Jerúsalem, quam elégi de cunctis tribubus Israël, ponam nomen meum in sempiternum. Et movéri non fáciam pedem Israël de terra quam trádidi pátribus eórum, ita dumtaxat si custodíerint fácere quæ præcépi eis, cunctamque legem & cæremónias atque judícia per manum Móysi. Igitur Manasses seduxit Judam, & habitatóres Jerúsalem, ut fácerent malũ super omnes gentes quas subvérterat Dóminus à fácie filiórum Israël. Locutusque est Dóminus ad eum, & ad pópulum illíus, & atténdere noluérunt. Idcircò superinduxit eis príncipes exércitûs regis Assyriórum: ceperuntque Manassen, & vinctum caténis atque compédibus duxérunt in Babylónem.

℟. Bonitátem. 256.

LECTIO III. v. 12.

*Manasses pœnitentiam agens.*

POstquàm coangustátus est, orávit Dóminum Deum suum: & egit pœniténtiam valdè coram Deo patrum suórum. Deprecatusque est eum, & obsecrávit intentè: & exaudívit oratiónem ejus, reduxitque eum Jerúsalẽ in regnum suum, & cognóvit Manasses quòd Dóminus ipse esset Deus. Post hæc ædificávit murum extra civitátem David, ad occidentem Gihon in convalle, ab intróitu portæ píscium per circúitum usque ad Ophel, & exaltávit illum vehementer: constituitque príncipes exércitûs in cunctis civitátibus Juda munítis: & ábstulit deos aliénos, & simuláchrum de domo Dómini, aras quoque quas fécerat in monte domûs Dómini & in Jerúsalem, & projécit ómnia extra urbem. Porrò instaurávit altáre Dómini, & immolávit super illud víctimas, & pacífica, & laudem: præcepítque Judæ ut servíret Dómino Deo Israël. Dormívit ergo Manasses cum pátribus suis, & sepeliérunt eum in domo sua; regnavitque pro eo filius ejus Amon.

℟. Deo nostro. 257.

*CANON.*

Ex Concílio Oxoniensi.

*An.* 1222. *cap.* 29.

FIrmíter inhibémus ne pro áliqua pecúnia denegétur sepultúra, vel baptismus, vel áliquod sacramentum, vel étiam matrimónium contrahendũ impediátur.

FERIA TERTIA.
De libro secundo Paralipómenon.

LECTIO I. c. 33. v. 21.
*Amon decimusquintus rex Juda.*

VIginti duórum annórum erat Amon cùm regnáre cœpisset : & duóbus annis regnávit in Jerúsalem. Fecitque malum in conspectu Dómini, sicut fécerat Manasses pater ejus : & cunctis idólis quæ Manasses fúerat fabricátus, immolávit atque servívit. Et non est revéritus fáciem Dómini sicut revéritus est Manasses pater ejus; & multò majóra deliquit. Cumque conjurassent adversùs eum servi sui, interfecérunt eum in domo sua. Porrò réliqua pópuli multitúdo, cæsis iis qui Amon percússerant, constítuit regẽ Josíam filium ejus pro eo.

℟. Dóminus scit. 257.

LECTIO II. c. 34. v. 1.
*Josias decimussextus rex Juda.*

OCto annórum erat Josías cùm regnáre cœpisset, & triginta & uno anno regnávit in Jerúsalem. Fecitque quod erat rectum in conspectu Dómini, & ambulávit in viis David patris sui : non declinávit neque ad déxteram, neque ad sinistrã. Octávo autem anno regni sui, cùm adhuc esset puer, cœpit quærere Deũ patris sui David ; & duodécimo anno postquàm regnáre cœperat, mundávit Judam & Jerúsalẽ ab excelsis, & lucis, simulacrisque & sculptílibus. Destruxeruntque coram eo aras Báalim : & simulácra quæ superpósita fúerant, demolíti sunt : lucos étiam & sculptília succídit atque commínuit : & super túmulos eórum, qui eis immoláre consuéverant, fragmenta dispersit. Ossa prætéreà sacerdótum combússit in altáribus idolórum, mundavitque Judam & Jerúsalem ; sed & in úrbibus Manasse, & Ephraïm, & Símeon usque Néphthali, cuncta subvertit.

℟. Aspice in me. 258.

LECTIO III. v. 7.
*Templum Domini purificat Josias, & reædificat.*

CUmque altária dissipasset, & lucos, & sculptília contrivisset in frusta, cunctaque delúbra demolítus esset de universa terra Israël, reversus est in Jerúsalem. Igitur anno octávo décimo regni sui, mundátâ jam terrâ & templo Dómini, misit Saphan filium Eseliæ, & Maasíã príncipem civitátis, & Joha fi-

lium Jóachaz à commentáriis, ut instaurárent domũ Dómini Dei sui. Qui venérunt ad Helcíam sacerdótem magnum, acceptamque ab eo pecúniam, quæ illáta fúerat in domum Dómini, & quã congregáverant Levítæ & janitóres de Manasse & Ephraïm, & univérsis relíquiis Israël, ab omni quoque Juda, & Bénjamin, & habitatóribus Jerúsalem, tradidérunt in mánibus eórum qui præerant operáriis in domo Dómini, ut instaurárent templum, & infirma quæque sarcírent. At illi dedérunt eam artifícibus & cæmentáriis, ut émerent lápides de lapidicínis, & ligna ad commissúras ædifícii, & ad contignatiónem domórum quas destrúxerant reges Juda. Qui fidéliter cuncta faciébant.

℞. Regnum tuum, 259.

*CANON.*

Ex Statútis Synodálibus Diœcesis Carcassonensis.

*An.* 1272. *cap.* 17.

Sub pœna officii & beneficii ómnibus interdícimus, ne pro benedictiónibus nubéntium, exéquiis mortuórum, vel cæteris ecclesiásticis sacramentis, ante eórum collatiónem áliquid éxigant; vel pactum, vel promissiónem extórqueant, vel recípiant super in pósterum statuenda, prætextu alicújus consuetúdinis vel usûs.

FERIA QUARTA.

De libro secundo Paralipómenon.

LECTIO I. c. 34. v. 14.

*Liber Legis inventus.*

Cum efferrent pecúniam quæ illáta fúerat in templum Dómini, répérit Helcías sacerdos librum Legis Dñi per manum Móysi. Et ait ad Saphan scribã: Librum Legis invéni in domo Dómini: & trádidit ei. At ille íntulit volúmen ad regem, & nuntiávit ei dicens: Omnia quæ dedisti in manu servórum tuórum, ecce complentur. Argentum quod repertum est in domo Dómini, conflavérunt: datumque est præfectis artíficum, & diversa ópera fabricántium. Prætérea trádidit mihi Helcías sacerdos hunc librum.

℞. Dómine, salvum me fac. 259.

LECTIO II. v. 18.

*Olda prophetissa consulitur.*

Quem cùm rege præsente recitasset, audissetque ille verba Legis, scidit vestimenta sua, & præcépit Helcíæ, & Ahícam filio Saphan, & Abdon filio Micha, Saphan quoque

quoque scribæ, & Asáæ servo regis, dicens: Ite, & oráte Dóminum pro me, & pro relíquiis Israël & Juda, super universis sermónibus Libri istíus, qui repertus est: magnus enim furor Dómini stillávit super nos, eò quòd non custodíerint patres nostri verba Dómini, ut fácerent ómnia quæ scripta sunt in isto volúmine. Abiit ergo Helcías & hi qui simul à rege missi fúerant, ad Oldam prophétidem, uxórẽ Sellum filii Thécuath filii Hasra custódis véstium, quæ habitábat in Jerúsalẽ in Secunda: & locúti sunt ei verba quæ suprà narrávimus.

℟. Magister bone. 259.

LECTIO III. v. 23.

*Oldæ responsio.*

AT illa respondit eis: Hæc dicit Dóminus Deus Israël: Dícite viro qui misit vos ad me: Hæc dicit Dóminus: Ecce ego indúcam mala super locum istum & super habitatóres ejus, cunctaque maledicta quæ scripta sunt in Libro hoc quem legérunt coram rege Juda. Quia dereliquérunt me, & sacrificavérunt diis aliénis, ut me ad iracúndiam provocárent in cunctis opéribus mánuũ suárum; idcircò stillábit furor meus super locum istum, & non extinguétur. Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Dómino deprecando, sic loquímini: Hæc dicit Dóminus Deus Israël: Quóniam audísti verba volúminis, ego quoque exaudívi te, dicit Dóminus. Jam enim cólligã te ad patres tuos, & inferéris in sepulchrum tuum in pace. Retulérunt ítaque regi cuncta quæ díxerat. At ille, convocátis universis majóribus natu Juda & Jerúsalem, ascendit in domum Dómini, & legit ómnia verba volúminis.

℟. Dei perfecta. 260.

*CANON.*

Ex Concílio Remensi.

*An. 1583. tit. de Simonia, num. 9.*

SAcerdótes qui de prétio pacíscuntur ut missas célebrent, & Parœci qui pro sacramentórum administratióne, vel fúnere, vel sepultúris áliquid éxigunt præter ea quæ de jure, lege, vel consuetúdine laudábili conferuntur, habeantur simoníaci: non autem si spontè obláta recípiant.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 23. v. 3.

*Josiæ pietas.*

STetitque rex super gradum: & fœdus percussit coram Dómino,

ut ambulárent post Dóminum, & custodírent præcepta ejus, & testimónia, & cæremónias in omni corde & in tota ánima, & suscitárent verba fœderis hujus quæ scripta erant in libro illo: acquievitque pópulus pacto. Et præcépit rex Helcíæ pontífici, & sacerdótibus secundi órdinis, & janitóribus, ut projícerent de templo Dómini ómnia vasa quæ facta fúerant Baal, & in luco, & universæ milítiæ cœli; & combussit ea foris Jerúsalem in convalle Cedron, & tulit púlverem eórum in Bethel. Et delévit arúspices, quos posúerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitátes Juda & in circúitu Jerúsalem: & eos qui adolébant incensum Baal, & soli, & lunæ, & duódecim signis, & omni milítiæ cœli. Et efferri fecit lucum de domo Dómini foras Jerúsalem in convalle Cedron, & combussit eum ibi: & redégit in púlverem, & projécit super sepulchra vulgi. Destruxit quoque ædículas effeminatórum quæ erant in domo Dómini, pro quibus mulíeres texébant quasi domúnculas luci.

℟. Concupívi. *pag.* 236.

LECTIO II. v. 8.

*Destruit idololatriam.*

COngregavitque omnes sacerdótes de civitátibus Juda: & contaminávit excelsa ubi sacrificábant sacerdótes, de Gábaa usque Bersábee; & destruxit aras portárũ in intróitu óstii Jósue príncipis civitátis, quod erat ad sinistram portæ civitátis. Verúmtamen non ascendébant sacerdótes excelsórum ad altáre Dómini in Jerúsalem: sed tantùm comedébant ázyma in médio fratrũ suórum. Contaminávit quoque Topheth, quod est in convalle filii Ennom: ut nemo consecráret filium suum aut filiam per ignẽ Moloch. Abstulit quoque equos quos déderant reges Juda Soli, in intróitu templi Dómini juxta éxedrã Nathánmelech eunúchi, qui erat in Pharúrim: currus autem Solis combussit igni. Altária quoque quæ erant super tecta cœnáculi Achaz, quæ fécerant reges Juda, & altária quæ fécerat Manasses in duóbus átriis templi Dómini, destruxit rex: & cucurrit inde, & dispersit cínerem eórum in torrentem Cedron. Excelsa quoque quæ erant in Jerúsalem ad déxteram partem montis offensiónis,

quæ ædificáverat Sálomon rex Israël Astaroth idólo Sidoniórũ, & Chamos offensióni Moab, & Melchom abominatióni filiórum Ammon, pólluit rex. Et contrívit státuas, & succídit lucos, replevitque loca eórum óssibus mortuórum.

℟. Bonitátem. 256.

LECTIO III. v. 15.

*Zelus Josiæ.*

INsuper & altáre quod erat in Bethel, & excelsum quod fécerat Jeróboam fílius Nabath, qui peccáre fecit Israël: & altáre illud & excelsum destruxit, atque combussit, & comminuit in púlverem, succenditque étiã lucum. Et conversus Josías, vidit ibi sepulchra quæ erant in monte: misitque & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altáre, & pólluit illud juxta verbum Dómini, quod locútus est vir Dei, qui prædíxerat verba hæc. Et ait: Quis est títulus ille quẽ vídeo? Responderuntque ei cives urbis illíus: Sepulchrum est hóminis Dei qui venit de Juda, & prædixit verba hæc quæ fecisti super altáre Bethel. Et ait: Dimitte eum; nemo commóveat ossa ejus. Et intacta mansérunt ossa illíus cum óssibus prophétæ qui vénerat de Samaría. Insuper & ómnia fana excelsórum quæ erant in civitátibus Samaríæ, quæ fécerant reges Israël ad irritandum Dóminum, ábstulit Josías; & fecit eis secundùm ómnia ópera quæ fécerat in Bethel. Et occídit universos sacerdótes excelsórum qui erant ibi super altária: & combussit ossa humána super ea; reversusque est Jerúsalem.

℟. Deo nostro. 257.

CANON.

Ex Concílio Remensi. *An.* 1583. *tit. de Curatis, num.* 1.

STatúimus ... ut Curáti obsérvent diligentíssimè .... quod dictum est de celebrandis divínis offíciis; certo pulsu statisque horis ita custódiant, nec pro cujusquam arbítrio mutent.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 23. v. 21.

*Laus Josiæ.*

PRæcépit Josías omni pópulo dicens: Fácite Phase Dómino Deo vestro, secundùm quod scriptum est in libro fœderis hujus. Nec enim factum est Phase tale à diébus júdicum qui judicavérunt Israël, & ómnium diérum regum Israël & regum Juda, sicut in oc-

távo décimo anno regis Josíæ factum est Phase istud Dómino in Jerúsalem. Sed & pythónes, & aríolos, & figúras idolórum, & immundítias, & abominatiónes quæ fúerant in terra Juda & Jerúsalem, ábstulit Josías: ut statúeret verba legis, quæ scripta sunt in Libro quem invénit Helcías sacerdos in templo Dómini. Símilis illi non fuit ante eum rex, qui reverterétur ad Dóminum in omni corde suo, & in tota ánima sua, & in univérsa virtúte sua, juxta omnem legem Móysi; neque post eum surrexit símilis illi.

℟. Dóminus scit. 257.

LECTIO II. v. 26.

*Mors Josiæ.*

VErúmtamen non est avérsus Dóminus ab ira furóris sui magni, quo irátus est furor ejus contra Judam propter irritatiónes quibus provocáverat eum Manasses. Dixit ítaque Dóminus: Etiam Judam áuferam à fácie mea sicut ábstuli Israël: & projíciam civitátem hanc, quam elégi, Jerúsalem, & domum de qua dixi: Erit nomen meum ibi. Réliqua autem sermónum Josíæ, & univérsa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verbórum diérum regum Juda? In diébus ejus ascéndit Phárao Néchao rex Ægypti contra regem Assyriórum, ad flumen Euphraten: & ábiit Josías rex in occúrsum ejus; & occísus est in Mageddo, cùm vidisset eum. Et portavérunt eum servi sui mórtuum de Mageddo: & pertulérunt in Jerúsalem, & sepeliérunt eum in sepulchro suo. Tulítque pópulus terræ Jóachaz fílium Josíæ: & unxérunt eum, & constituérunt eum regem pro patre suo.

℟. Aspice in me. 258.

LECTIO III. v. 31.

*Joachaz decimusseptimus rex Juda.*

VIginti trium annórum erat Jóachaz, cùm regnáre cœpisset; & tribus ménsibus regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Amital, fília Jeremíæ, de Lobna. Et fecit malum coram Dómino juxta ómnia quæ fécerant patres ejus. Vinxítque eũ Phárao Néchao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnáret in Jerúsalem: & impósuit mulctam terræ, centum taléntis argenti & talento auri. Regémque constítuit Phárao Néchao Elíacim filiũ Josíæ pro Josía patre ejus: vertítque nomen ejus Jóakim. Porrò Jóa-

& duxit in Æ-
& mórtuus est
ntum autem &
dit Jóakim Pha-
n indixísset ter-
gulos, ut con-
ata præceptum
:& unumquem-
vires suas exé-
rgentum quàm
pópulo terræ, ut
raóni Néchao.
um tuum. 259.
N O N.
ilio Remensi.
tit. de Curatis,
um. 8.
it. Párochi res
Ecclésiæ: mo-
Epíscopos, si
llíus vel fábri-
fúerit alienátū.
BATO.
quarto Regum.
I. c. 23. v. 36.
ecimus octavus
x Juda.
nti quinque an-
um erat Jóakim,
n regnáre cœ-
úndecim annis
n Jerúsalem: no-
ia, ejus Zébida,
aía, de Ruma.
malum coram
juxta ómnia quæ
patres ejus. In
s ascendit Na-
osor rex Baby-
actus est ei Jóa-
s tribus annis:
rebellávit con-
Immisítque ei

Dñs latrúnculos Chaldæórū, & latrúnculos Syriæ, & latrúnculos Moab, & latrúnculos filiórum Ammon: & immísit eos in Judam ut dispérderent eum, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat per servos suos prophétas. Factum est autem hoc per verbum Dómini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccáta Manasse universa quæ fecit, & propter sánguinem innóxium quem effúdit, & implévit Jerúsalē cruóre innocéntium: & ob hanc rem nóluit Dóminus propitiári. Et dormívit Jóakim cum pátribus suis: & regnávit Jóachin fílius ejus pro eo.

LECTIO II. c. 24. v. 8.

*Joachin decimus nonus rex Juda.*

DEcem & octo annórū erat Jóachin, cùm regnáre cœpisset; & tribus ménsibus regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Nohesta, fília Elnathan, de Jerúsalem. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat pater ejus. In témpore illo ascendérunt servi Nabuchodónosor regis Babylónis in Jerúsalem, & circúmdata est urbs munitiónibus. Venítque Nabuchodónosor rex Babylónis ad civitátem cum

servis suis ut oppugnárent eam. Egressúsque est Jóachin rex Juda ad regē Babylónis, ipse & mater ejus, & servi ejus, & príncipes ejus, & eunúchi ejus; & suscépit eum rex Babylónis anno octávo regni sui. Et prótulit inde omnes thesauros domûs Dómini & thesauros domûs régiæ: & concídit universa vasa áurea quæ fécerat Sálomon rex Israël in templo Dómini juxta verbum Dómini. Et tránstulit omnem Jerúsalem, & universos príncipes, & omnes fortes exércitûs, decem míllia, in captivitátem; & omnem artíficem & clusórē: nihilque relictum est, exceptis paupéribus pópuli terræ.

LECTIO III. v. 15.

*Sedecias vigesimus rex Juda.*

TRánstulit quoque Jóachin in Babylónem; & matrem regis, & uxóres regis, & eunúchos ejus, & júdices terræ duxit in captivitátem de Jerúsalem in Babylónem: Et omnes viros robustos, septem míllia, & artífices & clusóres mille, omnes viros fortes & bellatóres; duxitque eos rex Babylónis captívos in Babylónem. Et constítuit Matthaníam pátruum ejus pro eo: imposuitque nomen ei Sedéciam. ...simum & primum ... ætátis habébat Sed... cùm regnáre cœpis... úndecim annis re... in Jerúsalem: nom... tris ejus erat Ami... Jeremíæ, de Lob... fecit malum cora... mino, juxta ómni... fécerat Jóakim. Ira... tur enim Dóminu... tra Jerúsalem & ... Judam, donec pro... eos à fácie sua: re... que Sedécias à re... bylónis.

CANO...

Ex Concílio Narb...

*An.* 1609. *cap.*

PEr se ipsos ... sacramenta ... strent.... atque ... suárum Ecclesiáru... stent: neque ab ip... secundáriis, nisi ju... sâ detenti, fieri au... strári permittant.

*Ad* Magníficat, *A*... Irascebátur Dñs ... Jerúsalem & Juda... nec projíceret eos ... sua. 4. *Reg.* 24. ...

*Orat. ut infr. ad* ...

DOMINICA ...

post Pentecost...

*IN I. NOCTU*...

De libro quarto ...

LECTIO I. c. ...

*Obsidetur Jerus*...

FActum est ... anno nono re... déciæ, men...

[an]no, décimâ die mensis, venit Nabuchodónosor rex Babylónis, ipse & omnis exércitus ejus, in Jerúsalem; & circumdedérunt eam, & extruxérunt in circúitu ejus munitiónes. Et clausa est cívitas atque valláta usque ad undécimum annum regis Sedéciæ, nonâ die mensis: prævaluitque fames in civitáte, nec erat panis pópulo terræ. Et interrupta est cívitas: & omnes viri bellatóres nocte fugérunt per viam portæ quæ est inter dúplicem murum ad hortum regis; (porrò Chaldæi obsidébant in circúitu civitátē;) fugit ítaque Sedécias per viam quæ ducit ad campéstria solitúdinis. Et persecútus est exércitus Chaldæórum regem, comprehenditque eum in planítie Jéricho; & omnes bellatóres qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquérunt eum. Apprehensum ergo regem duxérunt ad regem Babylónis in Réblatha: qui locútus est cũ eo judícium. Fílios autem Sedéciæ occídit corã eo, & óculos ejus effódit; vinxitque eum caténis, & addúxit in Babylónem.

℟. 1. Exultent & læténtur in te, Dómine, omnes qui quærunt te; * Dicant semper, Magnificétur Dóminus. *Ps.* 69. 5. ℣. Qui flent tamquam non flentes, & qui gaudent tamquam non gaudentes. 1. *Cor.* 7. 30. * Dicant.

LECTIO II. v. 8.

*Transferuntur Israëlitæ.*

MEnse quinto, séptimâ die mensis, (ipse est annus nonus décimus regis Babylónis,) venit Nabuzardan princeps exércitûs, servus regis Babylónis, in Jerúsalem. Et succendit domum Dómini & domum regis & domos Jerúsalem, omnemque domum combussit igni. Et muros Jerúsalem in circúitu destrúxit omnis exércitus Chaldæórum qui erat cum príncipe mílitum. Réliquam autem pópuli partem quæ remánserat in civitáte, & pérfugas qui transfúgerant ad regem Babylónis, & réliquum vulgus tránstulit Nabuzardan princeps milítiæ: & de paupéribus terræ relíquit vinitóres & agrícolas. Columnas autem æreas quæ erant in templo Dómini, & bases, & mare æreum quod erat in domo Dñi confregérunt Chaldæi, & transtulérunt æs omne in Babylónem. Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & scyphos, &

mortariola, & ómnia vasa ærea in quibus ministrábant, tulérunt. Necnon & thuríbula, & phíalas; quæ áurea, áurea, & quæ argéntea, argéntea, tulit princeps milítiæ.

℟. II. Nunc, Dómine rex, Deus Abraham, miserére pópuli tui, quia volunt nos inimíci nostri pérdere: * Ne despícias partem tuam quam redemisti. ℣. Ut viventes laudémus nomen tuum, Dómine. *Esth.* 13. 15. 16. 17. * Ne.

LECTIO III. v. 18.

*Judas sublatus de terra sua.*

TUlit quoque princeps milítiæ Saráiam sacerdótem primum, & Sophóniam sacerdótem secundum, & tres janitóres: & de civitáte eunúchum unum, qui erat præfectus super bellatóres viros: & quinque viros de his qui stéterant coram rege, quos réperit in civitáte: & Sopher príncipem exércitûs, qui probábat tyrónes de pópulo terræ; & sexaginta viros è vulgo, qui inventi fúerant in civitáte. Quos tollens Nabuzardan princeps mílitum duxit ad regem Babylónis in Réblatha. Percussitque eos rex Babylónis, & interfécit eos in Réblatha in terra Emath: & translátus est Ju[...] terra sua. Pópulo [...] qui relictus erat in Juda, quem dimíser[...] buchodónosor rex [...] lónis, præfécit God[...] fílium Ahicã filii Sa[...]

℟. III. In die tri[...] tiónis meæ Deum [...] sívi, & non sum [...] tus: rénuit consolá[...] ma mea; * Mem[...] Dei, & delectátus [...] *Ps.* 76. 3. ℣. Ne tris[...] super tristítiam hab[...] *Phil.* 2. v. 27. * M[...] ℣. Glória. * Mem[...]

*IN II. NOCTU[...]*

Sermo Móysis pr[...] ad filios Israë[...]

LECT. IV. Deut. c. 29[...]

*Ejiciendi Israëlitæ* [...] *ram alienam.*

ET dicent omn[...] tes: Quare fi[...] Dóminus terræ hu[...] est hæc ira furóris e[...] mensa? Et respond[...] Quia dereliquéru[...] ctum Dómini quo[...] git cum pátribus e[...] quando eduxit eos [...] ra Ægypti; & ser[...] diis aliénis, & ad[...] runt eos quos nesci[...] & quibus non fúer[...] tribúti: idcircò irá[...] furor Dómini con[...] ram istam, ut inc[...] super eam ómnia [...] cta quæ in hoc vo[...] scripta sunt. Et ej[...] de terra sua in ira,

furóre, & in indignatióne máxima, projecitque in terram aliénam, sicut hódie comprobátur. Abscóndita Dómino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis & fíliis nostris usque in sempiternum, ut faciámus universa verba legis hujus.

℟. IV. In quacumque die invocávero te, * Ecce cognóvi quóniam Deus meus es. *Psal.* 55. *v.* 10. ℣. Pater, Dómine cœli & terræ. *Matth.* 14. *v.* 25. * Ecce.

LECTIO V. c. 30. v. 1.
*Reducenda captivitas.*

CUm ergo vénerint super te omnes sermónes isti, benedíctio sive maledíctio, quam propósui in conspéctu tuo: & ductus pœnitúdine cordis tui in universis géntibus, in quas dispérserit te Dóminus Deus tuus, & reversus fúeris ad eum, & obedíeris ejus impériis, sicut ego hódie præcípio tibi cum fíliis tuis, in toto corde tuo, & in tota ánima tua; redúcet Dóminus Deus tuus captivitátem tuam, ac miserébitur tuî, & rursùm congregábit te de cunctis pópulis, in quos te antè dispersit. Si ad cárdines cœli fúeris dissipátus, inde te rétrahet Dóminus Deus tuus: & assúmet, atque introdúcet in terram quam possedérunt patres tui, & obtinebis eam; & benedícens tibi, majóris número te esse fáciet quàm fuérunt patres tui. Circumcídet Dóminus Deus tuus cor tuum, & cor séminis tui: ut díligas Dóminum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota ánima tua, ut possis vívere.

℟. V. Miserére meî, Deus, miserére meî; * Quóniam in te confídit ánima mea, & in umbrâ alárum tuárum sperábo. *Ps.* 56. *v.* 1. ℣. Jesu filî David, miserére meî. *Marc.* 10. *v.* 47. * Quóniam.

LECTIO VI. v. 9.
*Si tamen observentur mandata.*

ET abundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in cunctis opéribus mánuum tuárum, in sóbole úteri tui, & in fructu jumentórum tuórum, in ubertáte terræ tuæ, & in rerum ómnium largitáte. Revertétur enim Dóminus, ut gáudeat super te in ómnibus bonis, sicut gavísus est in pátribus tuis. Si tamen audíeris vocem Dómini Dei tui, & custodíeris præcepta ejus & cæremónias, quæ in hac lege conscripta sunt: & revertáris ad

Dóminum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota ánima tua. Mandátum hoc quod ego præcípio tibi hódie, non supra te est, neque procul pósitum: ut díligas Dóminum Deum tuum, & ámbules in viis ejus, & custódias mandáta illíus ac cæremónias atque judícia; & vivas, atque multíplicet te.

℟. VI. Anima nostra sústinet Dóminum; * Quóniam adjútor & protector noster est: † Quia in eo lætabitur cor nostrum. *Psal.* 32. *v.* 20. 21. ℣. Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8. *v.* 31. * Quóniam. ℣. Glória. † Quia.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO VII. c. 3. v. 13.

*Judæorum sensus obtusi.*

NOn sicut Móyses ponébat velámen super fáciem suam, ut non inténderent filii Israel in fáciem ejus quod evacuátur; sed obtúsi sunt sensus eórum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velámen in lectióne véteris testamenti manet non revelátum, quóniam in Christo evacuátur; sed usque in hodiernum diem, cùm légitur Móyses, velámen p[...] est super cor eórum[...] autem conversus fú[...] Dóminum, auferét[...] lámen. Dóminus [...] Spíritus est: ubi [...] Spíritus Dómini, [...] bertas. Nos verò [...] revelátâ fácie, gl[...] Dómini speculante[...] eamdem imáginem fermámur à clarit[...] claritátem, tamqu[...] Dómini Spíritu.

℟. VII. Deus [...] refúgium & virtus, [...] jútor in tribulati[...] quæ invenérunt n[...] mis. *Ps.* 45. *v.* 2. ℣. [...] nos, Dómine, pe[...] *Mattth.* 8. *v.* 25. [...] jútor.

LECTIO VIII c. 4.

*Aliter patiuntur [...] stiani.*

QUi dixit de te[...] lucem splendé[...] ipse illuxit in có[...] nostris, ad illumi[...] nem sciéntiæ cla[...] Dei, in fácie Christ[...] Habémus autem t[...] rum istum in vasis [...] bus; ut sublímitas [...] tútis Dei, & non [...] bis. In ómnibus tr[...] tiónem pátimur, se[...] angustiámur: apori[...] sed non destitúimur [...] secutiónem pátimu[...] non derelínquimur [...] cimur, sed non per[...] Semper mortificati[...]

Jesu in córpore nostro circumferentes; ut & vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli.

℟. VIII. Benedictus Dóminus, quóniã exaudívit vocem deprecatiónis meæ; * In ipso sperávit cor meum, & adjútus sum. *Psal.* 27. *v.* 6. 7. ℣. Potens est, & eis qui tentantur, auxiliári. *Hebr.* 2. *v.* 18. * In ipso.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 22. 35.

*Primum mandatum dilectio Dei.*

IN illo témpore; Accessérunt ad Jesum Pharisæi: & interrogávit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandátum magnum in lege? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Epist.* 155. §. 15. & 16. *aliàs Epist.* 52. *ad Maced.*

CUm illâ dilectióne, quã divína lex ímperat, débeat homo dilígere Deum, & seipsum, & próximum; non tamen ex hoc tria præcepta data sunt, nec dictum est, In his tribus; sed, In his duóbus præceptis tota lex pendet & Prophétæ, id est, in dilectióne Dei ex toto corde, ex tota ánima, & ex tota mente, & próximi tamquam sui ipsíus: vidélicet ut intelligerétur nullam esse áliam dilectiónem quâ quisque díligit seipsum, nisi quòd díligit Deum. Qui enim áliter se díligit, pótiùs se odisse dicendus est...... Debet & próximum dilígere tamquam seipsum, ut quem potúerit hóminem, vel beneficéntiæ consolatióne, vel informatióne doctrínæ, vel disciplínæ coërcitióne addúcat ad colendum Deũ, sciens in his duóbus præceptis totam legem Prophetasque pendére. Hoc qui sóbriâ discretióne éligit, prudens est: qui nullâ hinc afflictióne avértitur, fortis est: qui nullâ áliâ delectatióne, témperans est: qui nullâ elatióne, justus est. His virtútibus divínitùs impertítis per grátiam Jesu Christi, & bona vita nunc ágitur, & pósteà præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beáta vita persólvitur. Hîc enim sunt eædem virtútes in actu; ibi in effectu: hîc in ópere, ibi in mercéde: hîc in officio, ibi in fine.

℟. IX. Bénedic, ánima

mea, Dómino, & noli oblivísci omnes retributiónes ejus; * Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, † Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102. *v.* 2. 3. ℣. Ipsi glória & impérium in sécula seculórum. *Apoc.* 1. *v.* 6. * Qui. ℣. Glória. † Qui sanat.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 4. f. In his duóbus mandátis univérsa Lex pendet & Prophétæ. *Mat.* 22. 40.

Orémus.

DA, quæsumus, Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia; & te solum Deum purâ mente sectári; Per.

*CANON.*

Ex Concílio Remensi. *An.* 1583. *tit. de diebus festivis. n.* 2. *&* 3.

DIébus domínicis ac festívis pópulus in suas Parœcias convéniat, & Missæ, conciόni, ac Véſperis intersit. Iisdem diébus nemo lúsibus aut choréis det óperam, máximè dum Divínum celebrátur Officium. Monebiturque ab Ordinário vel Párocho Magistrátus, ut id nequáquam fieri permittat.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 8. G. Nemo póterat ei respondére verbum; neque ausus fuit quisquam ex illa die eum ámplius interrogáre. *Matth.* 22. 46.

*Oratio ut suprà.*

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

LECTIO I. c. 25. v. 25.

*Godolias occiditur, sublevatur Joachin.*

FActum est autem in mense séptimo, venit Ismahel fílius Nathaníæ, filii Elísamæ de sémine régio, & decē viri cum eo: percusseruntque Godolíam, qui & mórtuus est; sed & Judæos & Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha. Consurgensque omnis pópulus à parvo usque ad magnū, & príncipes mílitum, venérunt in Ægyptum, timentes Chaldæos. Factū est verò in anno trigésimo séptimo transmigratiónis Jóachin regis Juda, mense duodécimo, vigésimâ séptimâ die mensis, sublevávit Evilmérodach rex Babylónis, anno quo regnáre cœperat, caput Jóachin regis Juda de cárcere. Et locútus est ei benignè; & pósuit thronum ejus super thronum regum qui erant cum eo in Babylóne. Et mutávit vestes ejus, quas habúerat in cárcere; & comedébat panem semper in conspectu ejus cunctis diébus vitæ suæ. Annónā quoque constítuit ei sine intermissióne, quæ & da-

bátur ei à rege per síngulos dies ómnibus diébus vitæ suæ.

℟. Exultent. p. 271.

De libro secundo Paralipómenon.

LECTIO II. c. 36. v. 14.

*Causa captivitatis.*

UNiversi príncipes sacerdótum, & pópulus, prævaricáti sunt iníquè juxta universas abominatiónes géntium, & polluérunt domum Dómini, quam sanctificáverat sibi in Jerúsalem. Mittébat autem Dóminus Deus patrum suórum ad illos per manum nuntiórum suórum, de nocte consurgens, & quotídie cómmonens; eò quòd párceret pópulo & habitáculo suo. At illi subsannábant núntios Dei, & parvipendébant sermónes ejus, illudebantque Prophétis, donec ascénderet furor Dómini in pópulum ejus, & esset nulla curátio. Adduxit enim super eos regem Chaldæórum, & interfécit júvenes eórū gládio in domo sanctuárii sui: non est misertus adolescentis, & vírginis, & senis, nec decrépiti quidem; sed omnes trádidit in mánibus ejus. Universaque vasa domûs Dómini, tam majóra, quàm minóra, & thesauros templi & regis & príncipum, tránstulit in Babylónem.

℟. Nunc, Dómine. 272.

LECTIO III. v. 19.

*Tempus captivitatis.*

INcendérunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Jerúsalem, universas turres combussérunt, & quidquid pretiósum fúerat, demolíti sunt. Si quis eváserat gládium, ductus in Babylónem, servívit regi & fíliis ejus, donec imperáret rex Persárum, & compleretur sermo Dómini ex ore Jeremíæ, & celebráret terra sábbata sua: cunctis enim diébus desolatiónis egit sábbatum, usque dum compleréntur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri regis Persárum, ad explendum sermónem Dómini, quem locútus fúerat per os Jeremíæ, suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis Persárum, qui jussit prædicári in universo regno suo, étiam per scriptúram, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persárum: Omnia regna terræ dedit mihi Dóminus Deus cœli, & ipse præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúsalem, quæ est in Judæa: quis ex vobis est in omni pópulo ejus? sit Dóminus Deus suus cum eo, & ascendat.

℟. In die. pag. 272.

CANON.

Ex Statútis Synodálibus Diœcesis Carcassonensis.

*An.* 1315. *cap.* 8.

Resídeant in Ecclésiis suis Rectóres; alióquin inténdimus suspéndere à benefíciis suis illos qui in Ecclésiis suis non fécerint, prout jure tenentur, residéntiam personálem.

FERIA TERTIA.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. c. 25. v. 8.

*Prædicta captivitas.*

PRo eo quòd non audístis verba mea, ecce ego mittam, & assúmam universas cognatiónes Aquilónis, ait Dóminus, & Nabuchodónosor regem Babylónis servum meum: & addúcam eos super terram istam, & super habitatóres ejus, & super omnes natiónes quæ in circúitu illíus sunt; & interfíciam eos, & ponam eos in stupórem & in síbilum, & in solitúdines sempitérnas. Perdamque ex eis vocem gáudii & vocem lætítiæ, vocem sponsi & vocem sponsæ, vocem molæ & lumen lucernæ. Et erit univérsa terra hæc in solitúdinem & in stupórem; & sérvient omnes gentes istæ regi Babylónis septuaginta annis. Cumque impléti fúerint septuaginta anni, visitábo super regem Babylónis & super gentem illam, dicit Dóminus, iniquitátem eórum, & super terram Chaldæórum: & ponam illam in solitúdines sempitérnas. Et addúcam super terram illam ómnia verba mea quæ locútus sum contra eam, omne quod scriptum est in libro isto, quæcumque prophetávit Jeremías advérsùm omnes gentes.

℟. In quacumque die, *pag.* 273.

LECTIO II. c. 29. v. 10.

*Prædicta reversio.*

HÆc dicit Dóminus: Cùm cœperint impléri in Babylóne septuaginta anni, visitábo vos: & suscitábo super vos verbum meum bonũ, ut redúcam vos ad locum istum. Ego enim scio cogitatiónes quas ego cógito super vos, ait Dóminus, cogitatiónes pacis, & non afflictiónis, ut dem vobis finem & patiéntiam. Et invocábitis me, & íbitis: & orábitis me, & ego exáudiã vos. Quærétis me, & inveniétis: cùm quæsiéritis me in toto corde vestro. Et invéniar à vobis, ait Dóminus: & redúcam captivitátem vestram, & congregábo vos de uni-

versis géntibus, & de cunctis locis ad quæ éxpuli vos, dicit Dóminus; & reverti vos fáciam de loco ad quem transmigráre vos feci.

℟. Miserére meî. 273.

LECTIO III. c. 40. v. 1.

*Jeremias liber.*

SErmo qui factus est ad Jeremíam à Dómino, postquam dimissus est à Nabuzardan magistro milítiæ de Rama, quando tulit eum vinctum caténis in médio ómnium, qui migrábant de Jerúsalem & Juda, & ducebantur in Babylónem. Tollens ergo princeps milítiæ Jeremíam, dixit ad eum: Dóminus Deus tuus locútus est malum hoc super locum istum, & adduxit; & fecit Dóminus sicut locútus est, quia peccastis Dómino, & non audistis vocem ejus, & factus est vobis sermo hic. Nunc ergo ecce solvi te hódie de caténis quæ sunt in mánibus tuis: si placet tibi ut vénias mecum in Babylónem, veni, & ponam óculos meos super te: si autem dísplicet tibi veníre mecum in Babylónem, réside: ecce omnis terra in conspectu tuo est; quod elégeris, & quò placúerit tibi ut vadas, illuc perge.

℟. Anima nostra. 274.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 23. de reform. cap. 1.*

CUm ómnia pastorália múnia nequáquã ab iis præstári & impléri possint, qui gregi suo non invígilant neque assistunt, sed mercenariórum more déserunt; sancta synodus eos ádmonet, & hortátur, ut divinórum præceptórum mémores, factíque forma gregis, in judício & veritáte pascant & regant.

FERIA QUARTA.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. c. 42. v. 1.

*Reliquiæ accedunt ad Jeremiam.*

ET accessérunt omnes príncipes bellatórũ, & Jóhanan fílius Cáree, & Jezonías fílius Osaíæ, & réliquum vulgus à parvo usque ad magnum: dixeruntque ad Jeremíam Prophétam: Cadat orátio nostra in conspectu tuo; & ora pro nobis ad Dóminum Deũ tuum, pro universis relíquiis istis: quia derelicti sumus pauci de plúribus, sicut óculi tui nos intuentur. Et annúntiet nobis Dóminus Deus tuus viam per quam pergámus, & verbum quod faciámus. Dixit autem ad eos Jeremías Prophéta: Audívi: ecce ego oro ad Dó-

minum Deum vestrum secundùm verba vestra: omne verbum, quodcumque respónderit mihi, indicábo vobis; nec celábo vos quidquam. Et illi dixérunt ad Jeremíam: Sit Dóminus inter nos testis veritátis & fídei, si non juxta omne verbum in quo míserit te Dóminus Deus tuus ad nos, sic faciémus.

℟. Deus noster. p. 274.

LECTIO II. v. 9.

*Responsio Jeremiæ.*

HÆc dicit Dóminus Deus Israël, ad quē misistis me, ut prostérnerem preces vestras in conspectu ejus. Si quiescentes manséritis in terra hac, ædificábo vos, & non déstruam; plantábo, & non evellam: jam enim placátus sum super malo quod feci vobis. Nolíte timére à fácie regis Babylónis, quem vos pávidi formidátis; nolíte metúere eum, dicit Dóminus: quia vobiscum sum ego, ut salvos vos fáciā, & éruā de manu ejus; & dabo vobis misericórdias, & miserébor vestrî, & habitáre vos fáciam in terra vestra.

℟. Benedictus Dñs. 275.

LECTIO III. v. 13.

*Prohibet ingressum Ægypti.*

SI autem dixéritis vos: Non habitábimus in terra ista, nec audiémus vocem Dómini Dei nostri, dicentes: Nequáquam; sed ad terram Ægypti pergémus, ubi non vidébimus bellum, & clangórem tubæ non audiémus, & famem non sustinébimus; & ibi habitábimus: propter hoc nunc audíte verbum Dómini relíquiæ Juda: Hæc dicit Dóminus exercítuū, Deus Israël: Si posuéritis fáciem vestram ut ingrediámini Ægyptum, & intravéritis ut ibi habitétis: gládius, quem vos formidátis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti; & fames, pro qua estis sollíciti, adhærébit vobis in Ægypto, & ibi moriémini. Omnésque viri qui posuérunt fáciem suam ut ingrediantur Ægyptum, ut hábitent ibi, morientur gládio & fame & peste: nullus de eis remanébit, nec effúgiet à fácie mali quod ego áfferam super eos. Quia hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israël: Sicut conflátus est furor meus, & indignátio mea super habitatóres Jerúsalem; sic conflábitur indignátio mea super vos, cùm ingressi fuéritis Ægyptum: & éritis in jusjurandum, & in stupórē, & in maledictum, & in oppróbrium; & nequá-

quam ultrà vidébitis locum istum.

℟. Bénedic, ánima. pag. 275.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. Sess. 23. de reform. cap. 1.

SAcrosancta Synodus decernit .... ut quandocumque Curátos abesse contígerit, Vicárium idóneum ab ipso Ordinário approbandum, cum débitâ mercédis assignatióne relinquant.

FERIA QUINTA.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. c. 43. v. 1.

*Adversantur Jeremiæ.*

FActum est autem, cùm complesset Jeremías loquens ad pópulum universos sermónes Dómini Dei eórum, pro quibus míserat eum Dóminus Deus eórum ad illos, ómnia verba hæc: dixit Azarías fílius Osaíæ, & Jóhanan fílius Cáree, & omnes viri supérbi, dicentes ad Jeremíam: Mendácium tu lóqueris; non misit te Dóminus Deus noster, dicens: Ne ingrediámini Ægyptum ut habitétis illic. Sed Baruch fílius Nériæ íncitat te adversùm nos, ut tradat nos in manus Chaldæórum ut interfíciat nos, & tradúci fáciat in Babylónem. Et non audívit Jóhanan fílius Cáree, & omnes príncipes bellatórum, & univérsus pópulus, vocem Dómini ut manérent in terra Juda. Sed tollens Jóhanan fílius Cáree, & universi príncipes bellatórum, universos reliquiárum Juda, qui reversi fúerant de cunctis géntibus ad quas fúerant antè dispersi, ut habitárent in terra Juda: viros, & mulíeres, & párvulos, & fílias regis, & omnem ánimam quam relíquerat Nabuzardan princeps milítiæ cum Godolía fílio Ahicam fílii Saphan, & Jeremíam prophétam, & Baruch fílium Nériæ. Et ingressi sunt terram Ægypti, quia non obediérunt voci Dómini: & venérunt usque ad Taphnis.

℟. Exultent. pag. 271.

LECTIO II. v. 8.

*Percutienda Ægyptus.*

ET factus est sermo Dómini ad Jeremíam in Taphnis, dicens: Sume lápides grandes in manu tua, & abscondes eos in crypta, quæ est sub muro latericio in porta domûs Pharaónis in Taphnis, cernéntibus viris Judæis: & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Israël: Ecce ego mittam, & assúmam Nabuchodónosor regem Babylónis servum meum,

& ponam thronum ejus super lápides istos quos abscondi, & státuet sólium suum super eos. Veniensque percútiet terram Ægypti: quos in mortem, in mortem; & quos in captivitátem, in captivitátem; & quos in gládium, in gládium. Et succendet ignem in delúbris deórum Ægypti, & combúret ea, & captívos ducet illos: & amiciétur terrâ Ægypti sicut amícitur pastor pállio suo; & egrediétur inde in pace. Et cónteret státuas domûs Solis, quæ sunt in terra Ægypti; & delúbra deórum Ægypti combúret igni.

℟. Nunc, Dómine. pag. 272.

LECTIO III. c. 44. v. 11.

*Jeremiæ reprehensio.*

HÆc dicit Dóminus exercítuum Deus Israël: Ecce ego ponam fáciem meam in vobis in malum; & disperdam omnem Judam. Et assúmam relíquias Judæ, qui posuérunt fácies suas ut ingrederentur terram Ægypti, & habitárent ibi; & consumentur omnes in terra Ægypti: cadent in gládio & in fame; & consumentur à mínimo usque ad máximum: in gládio & in fame morientur; & erunt in jusjurandum, & in miráculum, & in maledictiónem, & in opprobrium. Et visitábo habitatóres terræ Ægypti sicut visitávi super Jerusalem, in gládio, & fame, & peste. Et non erit qui effúgiat, & sit residuus de relíquiis Judæ qui vadunt ut peregrinentur in terra Ægypti, & revertantur in terram Juda, ad quam ipsi elevant ánimas suas ut revertantur & hábitent ibi: non revertentur nisi qui fugerint.

℟. In die. pag. 2

*CANON.*

Ex Concílio Trev... secundo.

*An. 1549. cap.*

QUi extra Choru... ras privátim le... ne somnolentè, aut ... cátis verbis, aut ... fauces compresso sp... preces demurmurár... deantur; sed artic... distinctè, disertè, & ... attentióne íntegrè ... pronúntient.

FERIA SEX...

Incipit Prophéta B...

LECTIO I. c. 1. v...

*Mittitur liber Baru... Babylone in Jerusa...*

ET hæc verba ... quæ scripsit B... fílius Nériæ ... Maásiæ, filii Sed... filii Sédei, filii Hélc... Babylónia, in anno

to, in séptimo die mensis, in témpore quo cœpérunt Chaldæi Jerúsalem, & succendérunt eam igni. Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechóniæ filii Jóakim regis Juda, & ad aures universi pópuli venientis ad librum, & ad aures poténtium filiórum regum, & ad aures presbyterórum; & ad aures pópuli, à mínimo usque ad máximum eórum ómnium habitántium in Babylónia, ad flumen Sodi. Qui audientes plorábant, & jejunábant, & orábant in conspectu Dómini. Et collegérunt pecúniam secundùm quod pótuit uniuscujusque manus; & misérunt in Jerúsalem ad Jóakim filium Hélciæ, filii Salom Sacerdótem, & ad Sacerdótes, & ad omnem pópulum qui inventi sunt cum eo in Jerúsalem.

℟. In quacumque. 273.

LECTIO II. v. 10.

*Postulant fieri holocausta.*

ET dixérunt: Ecce mísimus ad vos pecúnias, de quibus émite holocautómata, & thus, & fácite manna, & offerte pro peccáto ad aram Dómini Dei nostri: & oráte pro vita Nabuchodónosor regis Babylónis, & pro vita Balthassar filii ejus, ut sint dies eórum sicut dies cœli super terram; & ut det Dóminus virtútem nobis, & illúminet óculos nostros, ut vivámus sub umbra Nabuchodónosor regis Babylónis, & sub umbra Balthassar filii ejus, & serviámus eis multis diébus, & inveniámus grátiam in conspectu eórum. Et pro nobis ipsis oráte ad Dóminum Deum nostrum; quia peccávimus Dómino Deo nostro, & non est aversus furor ejus à nobis usque in hunc diem. Et légite librum istum, quem mísimus ad vos recitári in templo Dómini, in die solemni, & in die opportúno; & dicétis: Dómino Deo nostro justítia, nobis autem confúsio faciéi nostræ, sicut est dies hæc, omni Juda, & habitántibus in Jerúsalem: régibus nostris, & princípibus nostris, & Sacerdótibus nostris, & Prophétis nostris, & pátribus nostris.

℟. Miserére meî. p. 273.

LECTIO III. v. 17.

*Confitentur peccata.*

PEccávimus ante Dóminum Deum nostrũ, & non credídimus, diffidentes in eum; & non fúimus subjectíbiles illi, & non audívimus vocem Dómini Dei nostri, ut ambularémus in mandátis ejus, quæ dedit no-

bis. A die quâ eduxit patres nostros de terra Ægypti, usque ad diem hanc, erámus incredíbiles ad Dóminum Deum nostrum; & dissipáti recéssimus, ne audirémus vocem ipsíus: & adhæsérunt nobis multa mala, & maledictiónes, quæ constítuitDóminus Móysi servo suo: qui eduxit patres nostros de terra Ægypti, dare nobis terram fluentem lac & mel, sicut hodiernâ die. Et non audívimus vocem Dómini Dei nostri, secundùm ómnia verba Prophetárum quos misit ad nos: & abívimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, operári diis aliénis, facientes mala ante óculos Dómini Dei nostri.

℟. Anima nostra. *pag.* 274.

*CANON.*

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

*An.*1576.*part.*3.*cap.*2.

SAcerdos Clericusve sacris initiátus, aut benefícium ecclesiásticum óbtinens, horárum canonicárum cùm astrictus sit, .... si quando córporis infirmitáte affectus est, ipse pro sua consciéntia vídeat quid præstáre possit, ac ne omittendo gráviter peccet, & beneficii quod habet, fructus suos non fáciat.

SABBATO.

De Baruch prophéta.

LECTIO I. c. 4. v. 5.

*Exhortatio Jerusalem ad captivos Judæos.*

ANimæquior esto, pópulus Dei, memorábilis Israël: venúmdati estis géntibus non in perditiónem; sed propter quòd in ira ad iracúndiá provocastis Deum, tráditi estis adversáriis. Exacerbastis enim eum qui fecit vos, Deum ætérnum, immolantes dæmóniis, & non Deo. Oblíti enim estis Deum qui nutrívit vos, & contristastis nutrícem vestram Jerúsalem. Vidit enim iracúndiam à Deo venientem vobis, & dixit: Audíte, confínes Sion: adduxit enim mihi Deus luctum magnum. Vidi enim captivitátem pópuli mei, filiórum meórum & filiárum, quam superduxit illis Æternus. Nutrívi enim illos cum jucunditáte: dimísi autem illos cum fletu & luctu.

LECTIO II. v. 12.

*Planctus Jerusalem.*

NEmo gáudeat super me víduam & desolátam: à multis derelícta sum propter peccáta filiórum meórum, quia declinavérunt à lege Dei. Jus

autem ipsíus ne-
ur, nec ambulavé-
er vias mandatórũ
neque per sémitas
is ejus cum justítia
i sunt. Véniant con-
Sion, & memoren-
ptivitátem filiórum
rum meárum quam
uxit illis Ætérnus.
xit enim super illos
n de longinquo,
n ímprobam & al-
linguæ: qui non sunt
ti senem, neque pue-
miserti sunt; & ab-
unt dilectos víduæ,
iliis únicam desola-
t. Ego autem quid
n adjuváre vos? Qui
adduxit super vos
, ipse vos erípiet de
ous inimicórum ve-
m. Ambuláte, filii,
láte: ego enim de-
a sum sola. Exui me
pacis: índui autem
acco obsecratiónis,
mábo ad Altíssimũ
ébus meis.

CTIO III. v. 21.
iniet captivitas.

Nimæquióres estóte, filii, clamáte ad Dóm, & erípiet vos de principum inimicó- Ego enim sperávi in num salútem vestrã; nit mihi gáudium à to super misericórdia véniet vobis ab Æ- salutári nostro. Emí- im vos cum luctu & ploráti: redúcet autem vos mihi Dóminus cum gáudio & jucunditáte in sempiternum. Sicut enim vidérunt vicínæ Sion captivitátẽ vestram à Deo; sic vidébunt & in celeritáte salútem vestram à Deo, quæ supervéniet vobis cum honóre magno & splendóre ætérno. Filii, patiénter sustinéte iram quæ supervénit vobis: persecútus est enim te inimícus tuus, sed citò vidébis perditiónem ipsíus, & super cervíces ipsíus ascendes. Delicáti mei ambulavérunt vias ásperas: ducti sunt enim ut grex diréptus ab inimícis. Animæquióres estóte, filii, & proclamáte ad Dóminum: erit enim memória vestra ab eo qui duxit vos.

## CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An.* 816. *cap.* 132.

Cum timóre & veneratióne competenti cœleste compleámus officium: ne si, quod absit, id negligenter, aut inhonestè, vel tépidè explevérimus, & ad perficiendum pigri advenérimus, in senténtiam quâ dícitur: Maledictus qui opus Dei fécerit negligenter; miserabíliter labámur.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. 2.

Dániel in sua simplicitáte liberátus est de ore leónum. 1. *Mac.* 2. 60.

*Orat. ut inf. ad Laudes.*

DOMINICA XVIII. post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

Incipit Dániel prophéta.

LECTIO I. c. 1. v. 1.

*Israëlitarum captivitas.*

ANno tértio regni Jóakim regis Juda, venit Nabuchodónosor rex Babylónis in Jerúsalem, & obsédit eam: & trádidit Dóminus in manu ejus Jóakim regem Juda, & partem vasórum domûs Dei: & asportávit ea in terram Sénnaar in domum dei sui, & vasa íntulit in domum thesauri dei sui. Et ait rex Asphenez præpósito eunuchórum, ut introdúceret de filiis Israël, & de sémine régio & tyrannórum, púeros in quibus nulla esset mácula, decóros formâ, & erudítos omni sapiéntiâ, cautos omni sciéntiâ & doctos disciplínâ, & qui possent stare in palátio regis, ut docéret eos litteras & linguam Chaldæórum. Et constítuit eis rex annónam per síngulos dies de cibis suis, & de vino unde bibébat ipse, ut enutríti tribus annis pósteà starent in conspectu regis. Fuérunt ergo inter eos de filiis Juda, Dániel, Anánias, Mísaël & Azárias. Et impósuit eis præpósitus eunuchórum nómina, Daniéli Baltassar, Ananiæ Sidrach, Misaéli Misach, & Azáriæ Abdénago. Propósuit autem Dániel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potûs ejus: & rogávit eunuchórum præpósitum ne contaminarétur.

℟. 1. Nullus sperávit in Dómino, & confúsus est; * Quis enim permansit in mandátis ejus, & derelictus est? *Eccli.* 2. 11. 12. ℣. Deo & Patri nostro glória in sécula seculórum. *Phil.* 4. 20. * Quis.

LECTIO II. c. 3. v. 8.

*Tres pueri accusati.*

ACcedentes viri Chaldæi accusavérunt Judæos; dixeruntque Nabuchodónosor regi: Rex, in æternum vive: tu, rex, posuisti decrétum, ut omnis homo qui audíerit sónitum tubæ, fístulæ, & cítharæ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, & universi géneris musicórum, prosternat se, & adóret státuam áuream: si quis autem non prócidens adoráverit, mittátur in fornácem ignis ardentis. Sunt ergo viri Judæi quos constituisti super ópera regiónis Babylónis, Si-

Misach & Abdé-
viri isti contemp-
, rex ; decrétum
deos tuos non co-
t statuam áuream
erexisti non adó-
Tunc Nabuchodó-
n furóre & in ira
it, ut adduceren-
drach, Misach &
ago : qui conféstim
i sunt in conspectu

. Tua, Pater, pro-
a gubernat, * Os-
s quóniam potens
ómnibus salváre.
. 3. 4. ℣. Ne nos
s in tentatiónem,
era nos à malo.
. 6. 13. * Osténdens.
TIO III. v. 16.
tur in fornacem.
pondentes Sidrach,
Misach & Abdéna-
xérunt regi Nabu-
osor : Notum sit
ex, quia deos tuos
limus ; & státuam
a quam erexísti, non
mus. Tunc Nabu-
nosor replétus est
: & aspéctus faciéi
mmutátus est super
h, Misach & Abdé-
& præcépit ut suc-
étur fornax séptu-
quàm succendi con-
at. Et viris fortíssi-
: exércitu suo jussit,
tis pédibus Sidrach,
a & Abdénago, mít-
eos in fornácem

ignis ardentis. Et confe-
stim viri illi vincti, cum
braccis suis, & tiáris, &
calceamentis, & véstibus,
missi sunt in médium for-
nácis ignis ardentis ; nam
jússio regis urgébat : for-
nax autem succensa erat
nimis. Porrò viros illos,
qui míserant Sidrach, Mi-
sach & Abdénago, inter-
fécit flamma ignis.

℟. III. Confitébor tibi,
Dñe rex, & collaudábo te
* Deum salvatóré meum ;
† Confitébor nómini tuo.
*Eccli.* 51. 8. ℣. In médio
Ecclésiæ laudábo te. *Hebr.*
2. *v.* 12. * Deum. ℣. Gló-
ria. † Confitébor.

IN II. NOCTURNO.

Orátio Azáriæ in fornáce
Babylónis.

LECT. IV. Dan. c. 3. v. 26.

*Peccata confitetur.*

BEnedíctus es, Dómine Deus patrum
nostrórum, & lau-
dábile & gloriósum no-
men tuum in sécula : quia
justus es in ómnibus quæ
fecísti nobis, & universa
ópera tua vera, & viæ tuæ
rectæ, & ómnia judícia
tua vera. Judícia enim
vera fecísti juxta ómnia
quæ induxísti super nos,
& super civitátem sanctã
patrum nostrórum Jerú-
salem : quia in veritáte &
in judício induxísti óm-
nia hæc propter peccáta
nostra. Peccávimus enim,

& iníquè égimus recedentes à te, & delíquimus in ómnibus: & præcepta tua non audívimus; nec observávimus: nec fécimus sicut præcéperas nobis ut bene nobis esset. Omnia ergo quæ induxisti super nos, & universa quæ fecisti nobis, in vero judício fecisti: & tradidisti nos in mánibus inimicórum nostrórum iniquórũ, & pessimórum, prævaricatorũque, & regi injusto & péssimo ultra omnẽ terrã.

℟. IV. Da mihi, Deus, sédium tuárum assistrícẽ sapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis; * Quóniã servus tuus sum ego. *Sap.* 9. 4. 5. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. *Luc.* 18. 13. * Quóniã.

LECTIO V. v. 33.

*Captivitatis descriptio.*

ET nunc non póssumus aperíre os: confúsio & oppróbrium facti sumus servis tuis, & his qui colunt te. Ne, quæsumus, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum, & ne díssipes testamentum tuum: neque áuferas misericórdiam tuã à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israël sanctum tuum; quibus locútus es póllicens quòd multiplicáres semen eórum sicut stellas cœli, & sicut arénã quæ est in líttore maris: quia, Dómine, imminúti sumus plus quã omnes gentes, sumúsque húmiles in universa terra hódie propter peccáta nostra. Et non est in témpore hoc princeps, & dux, & prophéta, neque holocaustum, neque sacrifícium, neque oblátio, neque incensum, neque locus primitiárum coram te, ut possímus inveníre misericórdiam tuã; sed in ánimo contríto & spíritu humilitátis suscipiámur.

℟. V. Tu, Dómine, in ætérnum permanébis; * Sólium tuum in generatiónẽ & generatiónẽ. *Thr.* 5. 19. ℣. Tu idem ipse es, & anni tui non deficient. *Hebr.* 1. 12. * Sólium.

LECTIO VI. v. 40.

*Conversio ad Deum.*

SIcut in holocausto aríetum & taurórum, & sicut in míllibus agnórum pínguium; sic fiat sacrifícium nostrum in conspectu tuo hódie, ut pláceat tibi: quóniam non est confúsio confidéntibus in te. Et nunc séquimur te in toto corde, & timémus te, & quærimus fáciem tuam. Ne confundas nos; sed fac nobiscum juxta mansuetúdinẽ tuam & secundùm multitúdinẽ misericórdiæ tuæ. Et érue nos in mirabílibus tuis, & da

...in nómini tuo ,
...& confundan-
...r qui ostendunt
...s mala ; confun-
...a omni poténtia
...bur eórum con-
...: sciant quia tu es
...s solus, & glorió-
...orbem terrárum.
...Quia tu es Dó-
...eus noster,* Réf-
...ne , de domo
...nos ; & in-
...nam , † Et
... *Bar. 2. v. 16.*
...ciémus ut ope-
...Dei ? *Joan.*
...spice. ℣. Gló-
...undi.

*NOCTURNO.*

...la prima beáti
...i Apóstoli.
...VII. c. 1. v. 3.
...*tiones acquiri-*
...*salus.*
...edictus Deus &
...ter Dómini no-
Jesu Christi, qui
... misericórdiam
...gnam regenerá-
... spem vivam, per
...iónem Jesu Chri-
...tuis , in hæredi-
...corruptíbilem, &
...inátam , & im-
...bilem , conservá-
...elis in vobis, qui
: Dei custodími-
...em in salúte pa-
...eláti in témpore
... In quo exultá-
...ódicum nunc si
...contristári in vá-
...*onnalis Carc.*

riis tentatiónibus : ut probátio vestræ fidei multò pretiósior auro ( quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem , in revelatióne Jesu Christi : quē cùm non vidéritis, dilígitis : in quem nunc quoque non videntes créditis : credentes autem exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ : reportantes finem fidei vestræ salútem animárum.

℟. VII. Benedictus es, Dómine, * Deus patrum nostrórum, & laudábile & gloriósum nomen tuum in sǽcula. *Dan. 3. v. 26.* ℣. Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli & terræ. *Matth. 11. 25.* * Deus.

LECTIO VIII. v. 10.

*De salute locuti sunt Prophetæ.*

DE qua salúte exquisiérunt atque scrutáti sunt prophétæ, qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt : scrutantes in quod vel quale tempus significáret in eis Spíritus Christi, prænúntians eas quæ in Christo sunt passiónes, & posterióres glórias: quibus revelátum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrábant ea quæ nunc nuntiáta sunt vobis per eos qui evangelizavérunt vobis, Spíritu sancto misso de

cœlo, in quem desíderant ángeli prospícere. Propter quod succíncti lumbos mentis vestræ, sóbrii perfectè speráte in eam quæ offertur vobis, grátiam in revelatiónem Jesu Christi: quasi fílii obediéntiæ, non configuráti prióribus ignorántiæ vestræ desidériis: sed secundùm eum, qui vocávit vos, Sanctũ, & ipsi in omni conversatióne sancti sitis; quóniã scriptum est: Sancti éritis, quóniam ego sanctus sum.

℟. VIII. Non inférnus confitébitur tibi, Dómine, neque mors laudábit te; * Vivens, vivens, ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódie. *Isae.* 38. 18. 19. ℣. Confitébor tibi in géntibus, Dñe, & nómini tuo cantábo. *Rom.* 15. *v.* 9. * Vivens, vivens ipse confitébitur.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 9. v. 1.

*Paralyticus curatus.*

IN illo témpore: Ascendens Jesus in navículam, transfretávit, & venit in civitátem suam. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi. *Sermo* 50.

CHristum in humánis áctibus divína gessisse mystéria, & in rebus visibílibus invisibília exercuisse negótia, léct dierna monstrávit. A dit, inquit, in navi & transfretávit, & in civitátem suam. ne ipse est qui, fl flúctibus, maris p da nudávit, ut Isr cus pópulus inter st tes undas sicco ve velut móntium có pertransíret? Nonn est qui Petri pédibu rínos vórtices incli ut inter líquidum nis gréssibus sólidu béret obséquium? E est quòd ipse sibi si ris dénegat servitút brevíssimi laci trá sub mercéde p transfretáret? Asc inquit, in navícula transfretávit. Et qu rum, fratres? Chris nit suscípere infirm nostras, & suas nobi ferre virtútes; hu quærere, præstáre d accípere injúrias, re dignitátes; ferre referre sanitátes: qu dicus, qui non fer mitátes, curáre ne qui non fúerit cum mo infirmátus, i non potest confert tátem.

℟. IX. Dómine meus es tu: * Ex te, & confitébor r tuo, † Quóniam mirabília. *Is.* 25. 1.

in princípio, Dómine, terram fundaſti, & ópera mánuum tuárum ſunt cœli. *Hebr.* 1. 10. * Exaltábo. ℣. Glória. † Quóniam.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 1. G. Fílius hóminis habet poteſtátem in terra dimittendi peccáta. *Matt.* 9. 6.

Orémus.

DIrigat corda noſtra, quæſumus, Dómine, tuæ miſeratiónis operátio: quia tibi ſine te placére non póſſumus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

*C A N O N.*

Ex Concílio Bituricenſi. *An.* 1584. *tit.* 6. *can.* 4.

DOmínico die ceſſent ſeculária ópera, ſit ſacrum inſtitútum, ceſſent lictóres, síleat præcónis tuba; vecturæ, omnes negotiatiónes, contractus, notariórum inſtrumenta . . . ceſſent. Sit quies ánimi & córporis ſancta, & ad Deum leváta mens, & à terrénis abſtracta: ſatis ſint Chriſtiáno ópera charitátis, oratiónes piæ, pſalmi, hymni & cántica.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 8. G. Surrexit paralyticus, & ábiit in domum ſuam; videntes autem turbæ timuérunt, & glorificavérunt Deum, qui dedit poteſtátem talem homínibus. *Matth.* 9. 8.

*Oratio ut ſuprà.*

FERIA SECUNDA.

De Daniele propheta.

LECTIO I. c. 3. v. 91.

*Rex obſtupuit.*

TUnc Nabuchodónoſor rex obſtúpuit, & ſurrexit próperè, & ait optimátibus ſuis: Nonne tres viros miſimus in médium ignis compedítos? Qui respondentes regi dixérunt: Verè rex. Reſpondit & ait: Ecce ego video quátuor viros ſolútos, & ambulantes in médio ignis, & nihil corruptiónis in eis eſt, & ſpécies quarti símilis Fílio Dei. Tunc acceſſit Nabuchodónoſor ad óſtium fornácis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Miſach & Abdénago, ſervi Dei excelſi, egredímini & veníte. Statimque egreſſi ſunt Sidrach, Miſach & Abdénago de médio ignis. Et congregáti ſátrapæ, & magiſtrátus, & júdices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quóniam nihil poteſtátis habuiſſet ignis in corpóribus eórum, & capillus cápitis eórum non eſſet aduſtus, & ſarabala eórum non fuiſſent immutáta, & odor ignis non tranſiſſet per eos.

℟. Nullus. 286.

LECTIO II. v. 95.

*Regis decretum.*

ET erumpens Nabuchodónosor, ait: Benedíctus Deus eórum, Sidrach vidélicet, Misach & Abdénago, qui misit ángelum suum, & éruit servos suos qui crediderunt in eum, & verbum regis immutavérunt, & tradidérunt córpora sua ne servírent & ne adorárent omnem Deum, excepto Deo suo. A me ergo pósitum est hoc decrétum, ut omnis pópulus, tribus, & lingua quæcumque locúta fúerit blasphémiam contra Deum Sidrach, Misach & Abdénago, dispéreat, & domus ejus vastétur: neque enim est álius Deus qui possit ita salváre. Tunc rex promóvit Sidrach, Misach & Abdénago in província Babylónis. Nabuchodónosor rex, ómnibus pópulis, géntibus & linguis qui hábitant in univérsa terra, pax vobis multiplicétur. Signa & mirabília fecit apud me Deus excelsus. Plácuit ergo mihi prædicáre signa ejus, quia magna sunt; & mirabília ejus, quia fórtia: & regnum ejus regnum sempitérnum, & potestas ejus in generatiónem & generatiónem.

℟. Tua, Pater. 287.

LECTIO III. c. 4. v. 26.

*Superbus Nabuchodonosor punitur.*

REx in aula Babylónis deambulábat. Respondítque rex, & ait: Nonne hæc est Bábylon magna, quam ego ædificávi in domum regni, in róbore fortitúdinis meæ, & in glória decóris mei? Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dícitur, Nabuchodónosor rex: regnum tuum transíbit à te, & ab homínibus rejícient te, & cum béstiis & feris erit habitátio tua: fœnum quasi bos cómedes, & septem témpora mutabuntur super te, donec scias quòd dominétur Excelsus in regno hóminum, & cuicúmque volúerit, det illud. Eâdem horâ sermo complétus est super Nabuchodónosor, & ex homínibus abjectus est, & fœnum ut bos comédit, & rore cœli corpus ejus infectum est: donec capilli ejus in similitúdinem aquilárum créscerent, & ungues ejus quasi ávium.

℟. Confitébor. 287.

C A N O N.

Ex Concílio Lateranensi tértio œcuménico.

*An. 1179. cap. 8.*

NUlla ecclesiástica ministéria, seu étiam beneficia, vel Ecclésiæ

alicui tribuantur vel promittantur ántequàm vacent; ne desideráre quis mortem próximi videátur, in cujus locum & beneficium se credíderit successúrum.

FERIA TERTIA.

De Daniéle prophéta.

LECTIO I. c. 5. v. 1.

*Digiti in pariete scribentes.*

BAltassar rex fecit grande convívium optimátibus suis mille: & unusquisque secundùm suam bibébat ætátem. Præcépit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa áurea & argéntea, quæ asportáverat Nabuchodónosor pater ejus de templo quod fuit in Jerúsalem, ut bíberent in eis rex & optimátes ejus, uxorésque ejus & concubínæ. Tunc alláta sunt vasa áurea & argéntea, quæ asportáverat de templo quod fúerat in Jerúsalem: & bibérunt in eis rex & optimátes ejus, uxóres & concubínæ illíus. Bibébant vinum, & laudábant deos suos áureos & argénteos, æreos, férreos, ligneósque & lapídeos. In eádem hora apparuérunt dígiti quasi manûs hóminis scribentis contra candelábrum, in superfície paríetis aulæ régiæ: & rex aspiciébat artículos manûs scribentis. Tunc fácies regis commutáta est, & cogitatiónes ejus conturbábant eum: & compáges renum ejus solvebántur, & génua ejus ad se ínvicem collidebántur.

℟. Da mihi. 288.

LECTIO II. v. 13.

*Daniel introducitur.*

INtroductus est Dániel coram rege. Ad quem præfátus rex ait: Tu es, Dániel, de fíliis captivitátis Judæ, quem addúxit pater meus rex de Judæa? Audívi de te quóniã spíritum deórum hábeas; & sciéntia, intelligentiáque, ac sapiéntia amplióres inventæ sunt in te. Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scriptúram hanc légerent, & interpretatiónem ejus indicárent mihi: & nequivérunt sensum hujus sermónis edícere. Porrò ego audívi de te, quòd possis obscúra interpretári & ligáta dissólvere; si ergo vales scriptúram légere, & interpretatiónem ejus indicáre mihi, púrpurâ vestiéris, & torquem áureã circa collum tuum habébis, & tértius in regno meo princeps eris. Ad quæ respondens Dániel, ait coram rege: Múnera tua sint tibi, & dona domûs tuæ álteri da: scriptúram autem legam tibi,

rex, & interpretatiónem ejus ostendam tibi.

℟. Tu, Dómine. *pag.* 288.

LECTIO III. v. 25.

*Scripturam interpretatur.*

HÆc est autem scriptúra quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares; & hæc est interpretátio sermónis. Mane: numerávit Deus regnum tuum, & complévit illud. Thecel: appensus es in statéra, & inventus es minus habens. Phares: divísum est regnum tuum, & datum est Médis & Persis. Tunc jubente rege indútus est Dániel púrpurâ, & circúmdata est torques áurea collo ejus: & prædicátum est de eo quòd habéret potestátem tértius in regno suo. Eâdem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus. Et Dárius Medus succéssit in regnum annos natus sexagintaduos.

℟. Quia tu es. 289.

*C A N O N.*

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 24. de Reform. c. 1.*

SAncta Synodus omnes & síngulos, qui ad promotiónem præficiendórum quodcumque jus habent, hortátur & monet; ut imprímis memínerint nihil se ad Dei glóriam & populórum salútem utílius posse fácere, quàm si bonos pastóres & Ecclésiæ gubernandæ idóneos promovéri stúdeant.

FERIA QUARTA.

De Daniéle prophéta.

LECTIO I. c. 6. v. 1.

*Daniel super satrapas constituitur.*

PLácuit Dário, & constítuit super regnum sátrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo: & super eos príncipes tres, ex quibus Dániel unus erat; ut sátrapæ illis rédderent ratiónem, & rex non sustinéret moléstiam. Igitur Dániel superábat omnes príncipes & sátrapas; quia spíritus Dei ámplior erat in illo. Porrò rex cogitábat constitúere eum super omne regnum: unde príncipes & sátrapæ quærébant occasiónem ut invenírent Daniéli ex látere regis: nullamque causam & suspiciónem reperíre potuérunt, eò quòd fidélis esset, & omnis culpa & suspício non inveniréretur in eo. Dixérunt ergo viri illi: Non inveniémus Daniéli huic áliquam occasiónem, nisi fortè in lege Dei sui.

℟. Benedictus es. *pag.* 289.

LECTIO II. v. 9.

*Edictum non servat.*

POrrò rex Dárius propósuit edictum, & stá-

tuit : quod cùm Dániel compeńisset, id est, constitútam legem, ingressus est domum suam; & fenestris apertis in cœnáculo suo contra Jerúsalem tribus tempóribus in díe flectébat génua sua, & adorábat, confitebaturque corā Deo suo, sicut & antè fácere consuéverat. Viri ergo illi curiósiùs inquiréntes, invenérunt Daniélem orantē & obsecrantē Deum suum. Et accedentes locúti sunt regi super edicto : Rex, numquid non constituisti ut omnis homo qui rogáret quemquam de diis & homínibus usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitterétur in lacum leónum? Ad quos respondens rex, ait : Verus est sermo juxta decrétum Medórum atque Persárum, quod prævaricári non licet. Tunc respondentes dixérunt corā rege : Dániel de fíliis captivitátis Juda, non curávit de lege tua & de edicto quod constituisti; sed tribus tempóribus per diem orat obsecratióne suâ. Quod verbum cùm audisset rex, satis contristátus est : & pro Daniéle pósuit cor ut liberáret eū, & usque ad occásum solis laborábat ut erúeret illū.

℟. Non infernus. *pag.* 290.

LECTIO III. v. 16.

*A leonibus Daniel servatus.*

TUnc rex præcépit, & adduxérunt Daniélem, & misérunt eum in lacum leónum. Dixitque rex Daniéli : Deus tuus, quem colis semper, ipse liberábit te. Allatúsque est lapis unus, & pósitus est super os laci; quem obsignávit rex ánnulo suo & ánnulo optimátum suórum, ne quid fieret contra Daniélem. Et ábiit rex in domum suam, & dormívit incœnátus, cibíque non sunt alláti coram eo, ínsuper & somnus recessit ab eo. Tunc rex primo dilúculo consurgens, festínus ad lacum leónum perrexit : appropinquansque lácui, Daniélem voce lacrymábili inclamávit, & affátus est eum : Dániel serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper, putasne váluit te liberáre à leónibus? Et Dániel regi respondens ait : Rex, in æternum vive : Deus meus misit ángelum suum, & conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi : quia coram eo justítia inventa est in me : sed & coram te, rex, delictum non feci. Tunc vehementer rex gavísus est super eo, & Daniélem præcépit edúci de la-

cu : eductúsque est Dániel de lacu, & nulla læsio inventa est in eo, quia crédidit Deo suo.

℟. Dómine Deus. 290.

CANON.

Ex Concílio Lateranensi secundo œcuménico.

*Ann.* 1139. *cap.* 16.

INdubitátum est quóniam honóres ecclesiástici sánguinis non sunt, sed mériti : & Ecclésia Dei non hæreditário jure áliquem, neque secundùm carnem, successórem expectat ; sed ad sua regímina, & officiórum suórum dispensatiónes, honestas, sapientes & religiósas persónas exposcit.

FERIA QUINTA.

De Daniéle prophéta.

LECTIO I. c. 13. v. 1.

*Parentes & vir Susannæ.*

ET erat vir hábitans in Babylóne, & nomen ejus Jóakim : & accépit uxórem nómine Susannam, fíliam Helcíæ, pulchram nimis & timentem Deum : parentes enim illíus, cùm essent justi, erudiérunt fíliam suá secundùm legem Móysi. Erat autem Jóakim dives valdè, & erat ei pomárium vicínum dómui suæ : & ad ipsum confluébant Judæi, eò quòd esset honorabílior ómnium. Et constitúti sunt de pópulo duo senes júdices in illo anno, de quibus locútus est Dóminus : Quia egréssa est iníquitas de Babylóne à senióribus júdícibus, qui videbantur régere pópulum. Isti frequentábant domum Jóakim, & veniébant ad eos omnes qui habébant judícia. Cùm autem pópulus revertísset per merídiem, ingrediebátur Susanna, & deambulábat in pomário viri sui. Et vidébant eam senes quotídie ingrediéntem & deambulantem : & exarsérunt in concupiscéntiam ejus.

℟. Nullus. 286.

LECTIO II. v. 19.

*Susanna accusata.*

CUm autem egressæ essent puellæ, surrexérunt duo senes, & accurrérunt ad eam, & dixérunt : Ecce óstia pomárii clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in concupiscéntia tuî sumus : quam ob rem assentíre nobis, & commiscére nobiscum. Quod si nolúeris, dicémus contra te testimónium, quòd fúerit tecum júvenis, & ob hanc causam emíseris puellas à te. Ingémuit Susanna, & ait : Angústiæ sunt mihi úndique : si enim hoc égero, mors mihi est ; si autē hoc non égero, non effúgiá manus vestras. Sed mélius est mihi absque ópere in-

cídere in manus vestras, quàm peccáre in conspectu Dómini. Et exclamávit voce magnâ Susanna: exclamavérunt autem & senes adversùs eam.

℟. Tua, Pater. p. 287.

LECTIO III. v. 51.

*Convicti senes per Danielem.*

DIxit Dániel: Separáte illos ab ínvicem procul, & dijudicábo eos. Cùm ergo divísi essent alter ab áltero, vocávit unum de eis, & dixit ad eum: Inveteráte diérum malórum, nunc venérunt peccáta tua, quæ operabáris priùs; júdicans judícia injusta, innocentes ópprimens, & dimittens nóxios, dicente Dómino: Innocentem & justũ non interficies. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua árbore víderis eos colloquentes sibi. Qui ait: Sub schino. Dixit autem Dániel: Rectè mentítus es in caput tuum: ecce enim ángelus Dei, acceptâ senténtiâ ab eo, scindet te médium. Et amóto eo, jussit veníre álium, & dixit ei: Semen Chánaan, & non Juda, spécies decépit te, & concupiscéntia subvertit cor tuum: sic faciebátis filiábus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis: sed fília Juda non sustínuit iniquitátem vestram. Nunc ergo dic mihi sub qua árbore comprehénderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub prino. Dixit autem ei Dániel: Rectè mentítus es & tu in caput tuum: manet enim ángelus Dómini gládium habens, ut secet te médium & interficiat vos. Exclamávit ítaque omnis cœtus voce magnâ, & benedixérunt Deum qui salvat sperantes in se.

℟. Confitébor tibi. 287.

C A N O N.

Ex Concílio Albiensi. An. 1254. cap. 36.

PRæcípimus & mandámus ut ómnia ecclesiástica bona persónis idóneis, & statúto à Canónibus témpore, conferantur . . . . remótis omni condititióne & pacto.

FERIA SEXTA.

De Daniéle prophéta.

LECTIO I. c. 14. v. 1.

*Idolum Bel.*

ERat autem Dániel convíva regis, & honorátus super omnes amícos ejus. Erat quoque idólum apud Babylónios nómine Bel, & impendebantur in eo per dies síngulos símilæ ártabæ duódecim, & oves quadraginta, viníque ámphoræ sex. Rex quoque colébat eum, & ibat per síngulos dies adoráre eum: porrò Dániel adorábat

N v

Deum suum. Dixitque ei rex : Quare non adóras Bel ? Qui respondens ait ei : Quia non colo idóla manu facta, sed viventem Deum qui creávit cœlum & terram, & habet potestátem omnis carnis. Et dixit rex ad eum : Non vidétur tibi esse Bel vivens Deus? An non vides quanta cómedat & bibat quotídie ? Et ait Dániel arrídens : Ne erres, rex : iste enim intrínsecùs lúteus est, & forínsecùs æreus ; neque comédit aliquando.

℟. Da mihi. *p.* 288.

LECTIO II. v. 7.

*Fraudes Sacerdotum.*

ET irátus rex vocávit sacerdótes ejus, & ait eis: Nisi dixéritis mihi, quis est qui cómedat impensas has, moriémini. Si autem ostendéritis quóniam Bel cómedat hæc, moriétur Dániel, quia blasphemávit in Bel. Et dixit Dániel regi : Fiat juxta verbum tuum. Erant autem sacerdótes Bel septuaginta, exceptis uxóribus, & párvulis, & filiis. Et venit rex cum Daniéle in templum Bel. Et dixérunt sacerdótes Bel : Ecce nos egrédimur foras : & tu, rex, pone escas, & vinum misce, & claude óstium, & signa ánnulo tuo: & cùm ingressus fúeris manè, nisi invéneris ómnia comesta à Bel, morte moriémur, vel Dániel qui mentítus est adversū nos. Contemnébant autem, quia fécerant sub mensa abscónditum introitum, & per illū ingrediebantur semper, & devorábant ea.

℟. Tu, Dómine. 288.

LECTIO III. v. 13.

*Fraudes detectæ.*

FActum est ígitur postquàm egressi sunt illi, rex pósuit cibos ante Bel: præcépit Dániel púeris suis, & attulérunt cínerem, & cribrávit per totum templum coram rege: & egressi clausérunt óstium; & signantes ánnulo regis, abiérunt. Sacerdótes autem ingressi sunt nocte juxta consuetúdinem suam, & uxóres & filii eórum, & comedérunt ómnia & bibérunt. Surrexit autem rex primo dilúculo, & Dániel cum eo. Et ait rex : Salvane sunt signácula, Dániel ? Qui respondit : Salva, rex. Statimque cùm aperuisset óstium, intúitus rex mensam, exclamávit voce magnâ : Magnus es, Bel; & non est apud te dolus quisquam. Et risit Dániel : & ténuit regem ne ingrederétur intrò, & dixit : Ecce pavimentum, animadverte cujus vestígia sint hæc. Et dixit rex: Vídeo vestígia virórum,

& mulíerum, & infántium. Et irátus est rex. Tunc apprehendit sacerdótes, & uxóres, & filios eórum: & osténdérunt ei abscóndita ostíola per quæ ingrediebántur, & consumébant quæ erant super mensam. Occídit ergo illos rex, & trádidit Bel in potestátem Daniélis, qui subvertit eum & templum ejus.

℟. Quia tu es. p. 289.

CANON.

Ex Concílio Lateranensi primo œcuménico.

*An.* 1123. *can.* 8. & 10.

NUllus omníno Archidiáconus . . . aut Præpósitus vel Decánus, animárum curã, vel Præbendas Ecclésiæ, sine judício vel consensu Epíscopi, álicui tríbuat: cùm, sicut sanctis Canónibus constitútum est, cura & rerum ecclesiasticárum dispensátio in Epíscopi judício consistat.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio i. c. 14. v. 22.

*Draco diruptus.*

ET erat draco magnus in loco illo, & colébant eum Babylónii. Et dixit rex Daniéli: Ecce nunc non potes dícere quia iste non sit Deus vivens: adóra ergo eum. Dixitque Dániel: Dóminum Deum meum adóro, quia ipse est Deus vivens: iste autem non est Deus vivens. Tu autẽ, rex, da mihi potestátem, & interfíciam dracónem absque gládio & fuste. Et ait rex: Do tibi. Tulit ergo Dániel picem, & ádipem, & pilos, & coxit páriter: fecítque massas, & dedit in os dracónis, & diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebátis. Quod cùm audíssent Babylónii, indignáti sunt vehementer: & congregáti adversùm regem, dixérunt: Judæus factus est rex: Bel destruxit, dracónem interfécit, & sacerdótes occídit. Et dixérunt cùm venissent ad regem: Trade nobis Daniélem; alióquin interficiémus te, & domum tuam.

Lectio ii. v. 29.

*Daniel in lacu leonum.*

VIdit ergo rex quòd irrúerent in eum vehementer, & necessitáte compulsus trádidit eis Daniélem: qui misérunt eum in lacum leónum, & erat ibi diébus sex. Porrò in lacu erant leónes septem, & dabantur eis duo córpora quotídie, & duæ oves: & tunc non data sunt eis, ut devorárent Daniélem. Erat autem Hábacuc prophéta in Judæa, & ipse cóxerat pul-

mentum, & intríverat panes in alvéolo: & ibat in campum ut ferret messóribus. Dixitque Angelus Dómini ad Hábacuc: Fer prándium quod habes, in Babylónem Daniéli, qui est in lacu leónum. Et dixit Hábacuc: Dómine, Babylóné non vidi, & lacum néscio. Et apprehendit eum Angelus Dómini in vértice ejus, & portávit eum capillo cápitis sui, posuitque eũ in Babylóne supra lacũ in ímpetu spíritûs sui.

LECTIO III. v. 36.

*Daniel servatus.*

ET clamávit Hábacuc, dicens: Dániel serve Dei, tolle prándium quod misit tibi Deus. Et ait Dániel: Recordátus es meî, Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Dániel comédit. Porrò Angelus Dómini restítuit Hábacuc confestim in loco suo. Venit ergo rex die séptimo ut lugéret Daniélem, & venit ad lacum, & introspexit, & ecce Dániel sedens in médio leónum. Et exclamávit voce magnâ rex, dicens: Magnus es, Dómine Deus Daniélis. Et extraxit eum de lacu leónum. Porrò illos, qui perditiónis ejus causa fúerant, intromísit in lacum, & devoráti sunt in momento coram eo. Tunc rex ait: Páveant omnes habitantes in universa terra Deum Daniélis, quia ipse est salvátor, fáciens signa & mirabília in terra: qui liberávit Daniélem de lacu leónum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 24. de reform. cap. 17.*

QUóniam multi ímprobæ cupiditátis affectu seipsos, non Deũ, decipientes; ea quæ benè constitúta sunt, váriis ártibus elúdere, & plura simul beneficia obtinére non erubescunt: sancta Synodus débitam regendis Ecclésiis disciplínam restitúere cúpiens, præsenti decréto státuit, ut in pósterum unum tantum benefícium Ecclesiásticũ síngulis conferátur.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 3. g. Orante Esdrâ, & jacente ante templum Dei, flevit pópulus fletu magno. 1. *Esd.* 10. 1.

*Oratio infrà ad Laudes.*

DOMINICA XIX. post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

Incipit liber primus Esdræ.

LECTIO I. c. 1. 1.

*Jubet Cyrus restaurari templum Dei.*

IN anno primo Cyri regis Persárum, ut compleretur verbum

Dómini ex ore Jeremíæ, suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis Persárum: & traduxit vocem in omni regno suo, étiam per scriptúram, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persárum: Omnia regna terræ dedit mihi Dóminus Deus cœli, & ipse præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúsalem, quæ est in Judæa. Quis est in vobis de univérso pópulo ejus? Sit Deus illíus cum ipso. Ascendat in Jerúsalem, quæ est in Judæa, & ædíficet domum Dómini Dei Israël; ipse est Deus qui est in Jerúsalem. Et surrexérunt príncipes patrum de Juda & Bénjamin, & Sacerdótes, & Levítæ, & omnis cujus Deus suscitávit spíritum, ut ascénderent ad ædificandum templum Dómini, quod erat in Jerúsalem. Universíque qui erant in circúitu, adjuvérunt manus eórum in vasis argénteis & áureis, in substántia & jumentis, in supelléctili, exceptis his quæ sponte obtúlerant. Rex quoque Cyrus prótulit vasa templi Dómini, quæ túlerat Nabuchodónosor de Jerúsalem.

℟. I. Sperámus in Deū vivum, * Qui est salvátor ómnium hóminum, máximè fidélium. 1. *Tim.* 4. *v.* 10. ℣. Ipse salvábit nos propter misericórdiā suā. *Tob.* 13. *v.* 5. * Qui est.

LECTIO II. c. 3. 10.

*Templi fundamenta jaciuntur.*

FUndáto à cæmentáriis templo Dómini, stetérunt Sacerdótes in ornátu suo cum tubis: & Levítæ fílii Asaph in cymbalis, ut laudárent Deum per manus David regis Israël. Et concinébant in hymnis & confessióne Dómino: Quóniam bonus, quóniam in æternum misericórdia ejus super Israël. Omnis quoque pópulus vociferabátur clamóre magno in laudando Dóminum, eò quòd fundátum esset templum Dómini. Plúrimi étiam de Sacerdótibus & Levítis, & príncipes patrum, & senióres, qui víderant templum prius, cùm fundátum esset, & hoc templum in óculis eórum, flebant voce magnâ: & multi vociferantes in lætítia, elevábant vocem. Nec póterat quisquam agnóscere vocem clamóris lætántium, & vocem fletûs pópuli: commixtim enim pópulus vociferabátur clamóre magno, & vox audiebátur procul.

℟. II. Non sis mihi formídini, * Spes mea tu in die afflictiónis. *Jer.* 17.

17. ℣. Dóminus meus, & Deus meus. *Joan.* 20. *v.* 28. * Spes.

LECTIO III. c. 4. 1.
*Judæi à Samaritanis perturbati.*

AUdiérunt autem hostes Judæ & Bénjamin, quia filii captivitátis ædificárent templum Dómino Deo Israël; & accedentes ad Zoróbabel, & ad príncipes patrum, dixérunt eis: Ædificémus vobiscum, quia ita ut vos quærimus Deum vestrum: ecce nos immolávimus víctimas à diébus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc. Et dixit eis Zoróbabel, & Jósue, & réliqui príncipes patrum Israël: Non est vobis & nobis ut ædificémus domum Deo nostro; sed nos ipsi soli ædificábimus Dómino Deo nostro, sicut præcépit nobis Cyrus rex Persárum. Factum est ígitur, ut pópulus terræ impedíret manus pópuli Judæ, & turbáret eos in ædificando. Conduxérunt autem adversùs eos consiliatóres, ut destrúerent consílium eórũ ómnibus diébus Cyri regis Persárum, & usque ad regnum Dárii regis Persárum.

℟. III. Bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præséntes esse ad Dóminum; * Et ídeò conténdimus, sive abséntes sive præséntes, placére illi. 2. *Cor.* 5. 8. 9. ℣. Dóminus judicábit fines terræ. 1. *Reg.* 2. *v.* 10. * Et ídeò. ℣. Glória. * Et ídeò.

*IN II. NOCTURNO.*
Orátio Esdræ pro Israël à captivitáte educto.

LECT. IV. 1. Esd. c. 9. v. 6.
*Gratulatur de mansione in loco sancto.*

DEus meus, confúndor & erubésco leváre fáciem meam ad te; quóniam iniquitátes nostræ multiplicátæ sunt super caput nostrum, & delícta nostra crevérunt usque ad cœlum, à diébus patrum nostrórum: sed & nos ipsi peccávimus gráviter usque ad diem hanc, & in iniquitátibus nostris tráditi sumus ipsi, & reges nostri, & sacerdótes nostri, in manum regum terrárum, & in gládium, & in captivitátem, & in rapínam, & in confusiónem vultûs, sicut & die hac. Et nunc quasi parum & ad momentum facta est deprecátio nostra apud Dóminũ Deum nostrũ, ut dimitteréntur nobis relíquiæ, & darétur nobis paxillus in loco sancto ejus, & illumináret óculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam mó-

in servitúte nostra.
. Scimus quóniam
stris domus nostra
abitatiónis dissol-
quòd ædificatióne
habémus, * Do-
non manufactam,
m in cœlis. 2. Cor.
℣. Lætátus sum
quæ dicta sunt mihi:
num Dómini ibi-
s. 120. v. 1. * Do-

ECTIO V. v. 9.
no. Dei sublimata.
Quia servi sumus, &
servitúte nostra
reliquit nos Deus
sed inclinávit su-
misericórdiam co-
ege Persárum, ut
nobis vitam, & su-
ret domum Dei no-
extrúeret solitúdi-
us, & daret nobis
in Juda & Jerúsa-
Et nunc quid dicé-
Deus noster, post
quia derelíquimus
ita tua, quæ præce-
n manu servórum
n prophetárum,
: Terra ad quam
gredímini ut possi-
eam, terra immun-
, juxta immundítiá
rum, cæterarum-
rárum, abomina-
us eórum qui reple-
: eam ab ore usque
in coinquinatióne
Nunc ergo filias ve-
ne detis filiis eórum,
& filias eórum ne accipiá-
tis filiis vestris, & non
quærátis pacem eórum
& prosperitátem eórum
usque in æternum; ut
confortémini, & comedá-
tis quæ bona sunt terræ,
& herédes habeátis filios
vestros usque in séculum.

℟. v. Quando véniam
& apparébo ante fáciem
Dei? * Fuérunt mihi lá-
crymæ meæ panes die ac
nocte, dum dícitur mihi
quotídie: Ubi est Deus
tuus. Psal. 41. v. 4. 5.
℣. Dum sumus in cór-
pore peregrinámur à Dó-
mino. 2. Cor. 5. v. 6. *
Fuérunt.

LECTIO VI. v. 13.
*Populi peccata confitetur, & veniam postulat.*

Et post ómnia quæ venérunt super nos in opéribus nostris péssimis, & in delicto nostro magno, quia tu, Deus noster, liberasti nos de iniquitáte nostra, & dedisti nobis salútem sicut est hódie, ut non converterémur, & írrita facerémus mandáta tua, neque matrimónia jungerémus cum pópulis abominatiónum istárum. Numquid irátus es nobis usque ad consummatiónem ne dimítteres nobis relíquias ad salútem? Dómine Deus Israël, justus es tu; quóniam derelicti sumus, qui

salvarémur sicut die hac. Ecce coram te sumus in delicto nostro: non enim stari potest coram te super hoc.

℟. VI. Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei; * Tu es qui restítues hæreditátem meam mihi. *Ps.* 15. *v.* 5. ℣. Pater misericordiárum & Deus totíus consolatiónis. 2. *Cor.* 1. *v.* 3. * Tu es. ℣. Glória. * Tu es.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO VII. c. 4. v. 8.

*Quo animo afflictiones tolerandæ.*

IN ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur; aporiámur, sed non destitúimur; persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur; dejícimur, sed non perímus; semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris: semper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli.

℟. VII. Dóminus Deus verus est, ipse Deus vivens, & rex sempitérnus; * Ab indignatióne ejus commovébitur terra. *Jer.* 10. 10. ℣. Judicábit Deus occulta hóminum secundùm Evangélium. *Rom.* 2. *v.* 16. * Ab.

LECTIO VIII. v. 16.

*Spes futuræ mercedis.*

LIcet is, qui foris est, noster homo corrumpátur; tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est, momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis; non contemplántibus nobis quæ videntur; sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporália sunt; quæ autem non videntur, ætérna sunt. Scimus enim quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætérnam in cœlis.

℟. VIII. Omnia corda scrutátur Dóminus, * Et universas géntium cogitatiónes intélligit. 1. *Par.* 28. *v.* 9. ℣. Illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum. *Joan.* 1. *v.* 9. * Et universas.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 22. v. 1.

*Invitati ad nuptias.*

IN illo témpore; Respondens Jesus, dixit

iterùm in parábolis princípibus Sacerdótum & Pharisæis, dicens: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias filio suo; & misit servos suos vocáre invitátos ad núptias, & nolébant veníre. Et réliqua.

Homília sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris.

*Lib. 4. contra hæreses. c. 36. n. 5. 6. sec. 2.*

MAnifestè per hæc verba sua ostendit Dóminus quóniam ab inítio núptias præparávit Fílio suo, & propter immensam benignitátem per servos suos vocábat prióres ad convívium nuptiárum; & ubi illi noluérunt obedíre, rursùs álios servos misit cónvocans eos, neque sic obediérunt ei, sed & eos, qui vocatiónem annuntiábant, lapidavérunt & occidérunt: illos quidem pérdidit mittens exércitus suos, & civitátem illórum succendit. Ex ómnibus autem viis, id est, ex univérsis géntibus ad convívium nuptiárum Fílii sui convocávit. Qui ígitur nos per Apóstolos úndique vocávit Dóminus, hic per Prophétas vocábat eos, qui olim fuérunt. Alii quidem Dóminum annuntiábant, álii autem Patrem evangelizábant; & álii quidem adventum prænuntiábant Fílii Dei, álii verò præséntem eum, jam his qui longè erant, præconábant. Adhuc étiã manifestávit oportére nos cum vocatióne & justítiæ opéribus adornári, utì requiéscat super nos Spíritus Dei; hoc est enim indumentum nuptiárum.

℟. IX. Quómodò miserétur pater filiórum, misertus est Dóminus timéntibus se; * Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum. *Ps. 102. v. 13. 14.* ℣. Honor & virtus & fortitúdo Deo nostro. *Apoc. 7. 12.* * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam.

*Ad* Benedictus, *Ant. 1. f.* Núptiæ quidem parátæ sunt; sed qui invitáti erant, non fuérunt digni. *Matth. 22. v. 8. 9.*

Orémus.

OMnípotens & miséricors Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclude: ut mente & córpore páriter expedíti, quæ tua sunt, líberis méntibus exequámur; Per Dóminum.

*C A N O N.*

Ex Concílio Turonensi.

*An. 1583. tit. 11.*

DIébus domínicis præsertim & áliis festis, comessatiónes, convívia pública, tripúdia, saltatiónes, strépitus & chó-

reas fieri : venátu tempus térere : in hospítiis seu caupónis, áliis quàm peregrínis cibária & vinum ministrári : ludos . . máximè dum sacra conficiuntur, laudesque Deo decantantur, aperíri : comœdias . . . . & ália ejus géneris irreligiósa spectácula agi, sub anathematis pœnâ próhibet hæc sancta Synodus.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 8. G. Intrávit rex ut vidéret discumbentes, & vidit ibi hóminē non vestítum veste nuptiáli. *Matth.* 22. 11.

*Oratio ut suprà.*

FERIA SECUNDA.

De libro primo Esdræ.

LECTIO I. c. 4. v. 6.

*Judæi apud Artaxerxem accusati.*

IN regno Assuéri, in princípio regni ejus, scripsérunt accusatiónem adversùs habitatóres Judæ & Jerúsalem. Et in diébus Artaxerxis scripsit Béselam Mithrídates, & Thabéel, & réliqui qui erant in consílio eórum, ad Artaxerxem regē Persárum : epístola autem accusatiónis scripta erat Syriacè, & legebátur sermóne Syro. Hoc est exemplar epístolæ quam misérunt ad eum : Artaxerxi regi, servi tui, viri qui sunt trans flúvium, salútem dicunt. Notum sit regi, quia Judæi, qui ascendérunt à te ad nos, venérunt in Jerúsalem civitátem rebellem & péssimam, quam ædíficant, extruentes muros ejus, & paríetes componentes. Nunc ígitur notum sit regi, quia si cívitas illa ædificáta fúerit, & muri ejus instauráti, tribútum, & vectígal, & ánnuos réditus non dabunt, & usque ad reges hæc noxa pervéniet. Nos autem mémores salis quod in palátio comédimus, & quia læsiónes regis vidére nefas dúcimus, idcircò mísimus & nuntiávimus regi, ut recénseas in libris historiárum patrum tuórum, & invénies scriptum in commentáriis : & scies quóniam urbs illa urbs rebellis est, & nocens régibus & provínciis, & bella concitantur in ea ex diébus antíquis : quamobrem & cívitas ipsa destructa est. Nuntiámus nos regi, quóniam si cívitas illa ædificáta fúerit, & muri ipsíus instauráti, possessiónē trans flúvium non habébis.

℞. Sperámus. 301.

LECTIO II. v. 17.

*Edictum Artaxerxis.*

VErbum misit rex ad Reum Beélteem & Sámsaï scribam, & ad réliquos qui erant in consí-

lio eórum habitatóres Samaríæ, & cæteris trans flúvium, salútem dicens & pacem. Accusátio quam misistis ad nos, manifestè lecta est coram me. Nunc ergo audíte senténtiam: Prohibeátis viros illos, ut urbs illa non ædificétur, donec si fortè à me jussum fúerit. Vidéte ne negligenter hoc impleátis, & paulátim crescat malum contra reges. Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est cora Reum Beélteem & Sámsaï scriba, & consiliáriis eórum: & abiérunt festíni in Jerúsalem ad Judæos, & prohibuérunt eos in bráchio & róbore. Tunc intermissum est opus domûs Dómini in Jerúsalem, & non fiebat usque ad annum secundum regni Dárii regis Persárum.

℟. Non sis. 301.

LECTIO III. c. 5. v. 1.

*Darius monitus de ædificatione templi.*

PRophetavérunt autẽ Aggæus prophéta & Zacharías fílius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa & Jerúsalem, in nómine Dei Israël. Tunc surrexérunt Zoróbabel fílius Salathíel, & Jósue fílius Jósedec, & cœpérunt ædificáre templum Dei in Jerúsalem, & cum eis prophétæ Dei adjuvantes eos. Exemplar epístolæ quam misit Thathánaï dux regiónis trans flumen, & Stharbuzánaï, & consiliatóres ejus Arphasachæi, qui erant trans flumen, ad Dárium regem: Notum sit regi, isse nos ad Judæam províncium, ad domum Dei magni, quæ ædificátur lápide impolíto, & ligna ponuntur in paríetibus: opúsque illud diligenter extrúitur, & crescit in mánibus eórum. Interrogávimus ergo senes illos, & ita díximus eis: Quis dedit vobis potestátem ut domum hanc ædificarétis & muros hos instaurarétis? Hujuscémodi autem sermónem respondérunt nobis, dicentes: Anno primo Cyri regis Babylónis, Cyrus rex propósuit edictum ut domus Dei hæc ædificarétur. Nunc ergo, si vidétur regi bonum, recénseat in bibliothéca regis quæ est in Babylóne, utrumnam à Cyro rege jussum fúerit ut ædificarétur domus Dei in Jerúsalem, & voluntátem regis super hac re mittat ad nos.

℟. Bonam. 302.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *tit.* 36. *can.* 1.

CUm benefícium ecclesiásticum non o-

tiósis, sed officium suum exequéntibus, sit constitútum, & propter officium detur beneficium, denúnciat hæc Synodus ómnibus cujuscumque gradûs & conditiónis, qui benefícia ecclesiástica solíus temporális proventûs grátiâ suscípiunt, eos non fácere fructus suos, sed ad restitutiónem tenéri.

FERIA TERTIA.

De libro primo Esdræ.

LECTIO I. c. 6. v. 1.

*Reperímus edictum Cyri.*

TUnc Dárius rex præcépit; & recensuérunt in bibliothéca librórum qui erant repósiti in Babylóne, & inventum est in Ecbátanis, quod est castrum in Medéna província, volúmen unum, talisque scriptus erat in eo commentárius: Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decrévit ut domus Dei ædificarétur, quæ est in Jerúsalem, in loco ubi ímmolent hóstias, & ut ponant fundamenta supportántia altitúdinem cubitórum sexaginta, & latitúdinem cubitórum sexaginta, órdines de lapídibus impolítis tres, & sic órdines de lignis novis: sumptus autem de domo regis dabuntur. Sed & vasa templi Dei áurea & argéntea quæ Nabuchodónosor túlerat de templo Jerúsalem, & attúlerat ea in Babylónem, reddantur, & referantur in templum in Jerúsalem in locum suum, quæ & pósita sunt in templo Dei.

℟. Scimus quóniam. p. 303.

LECTIO II. v. 8.

*Darii decretum.*

SEd & à me præceptū est, quid opórteat fieri à presbyteris Judæórum illis, ut ædificétur domus Dei, scílicet ut de arca regis, id est, de tribútis quæ dantur de regióne trans flumen, studiósè sumptus dentur viris illis, ne impediátur opus. Quòd si necesse fúerit, & vítulos & agnos & hædos in holocaustū Deo cœli, frumentum, sal, vinum & óleum, secundùm ritum sacerdótum qui sunt in Jerúsalem, detur eis per síngulos dies, ne sit in áliquo querimónia. Et ófferant oblatiónes Deo cœli, orentque pro vita regis & filiórum ejus. A me ergo pósitum est decrétum, ut omnis homo qui hanc mutáverit jussiónē, tollátur lignum de domo ipsíus, & erigátur, & configátur in eo, domus autem ejus publicétur. Deus autem qui habitáre fecit nomen suum ibi, díssipet ómnia regna, & pópulum

qui extènderit manum suam ut repugnet, & dissipet domum Dei illam quæ est in Jerúsalem. Ego Dárius státui decrétum, quod studiòsè impleri volo.

℟. Quando véniam. p. 303.

LECTIO III. v. 14.

*Dedicatum templum.*

SEnióres autem Judæórum ædificábant, & prosperabantur juxta prophetíam Aggæi prophétæ & Zacharíæ fílii Addo: & ædificavérunt & construxérunt, jubente Deo Isráël, & jubente Cyro, & Dário, & Artaxerxe régibus Persárū: & complevérunt domum Dei istam usque ad diem tértium mensis Adar, qui est annus sextus regni Dárii regis. Fecérunt autem fílii Isráël, Sacerdótes & Levítæ, & reliqui filiórum transmigratiónis, dedicatiónem domûs Dei in gáudio. Et obtulérunt in dedicatiónem domûs Dei, vítulos centum, aríetes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprárum pro peccáto totíus Isráël duódecim, juxta númerum tribuum Isráël. Et statuérunt sacerdótes in ordínibus suis, & levítas in vícibus suis, super ópera Dei in Jerúsalem, sicut scriptum est in libro Móysi. Fecerunt autem fílii Isráël transmigratiónis, Pascha, quartâ décimâ die mensis primi.

℟. Dóminus pars. 304.

*C A N O N.*

Ex Concílio Narbonensi.

*An. 1551. cap. 36.*

RES Ecclésiæ .. vota sunt fidelium, prétia peccatórum, & patrimónia páuperum; quapropter vigilanti ac solertí curâ providendum est hìs qui ejus facultátes administrant, ne eas in suos solúmmodò usus convertant, sed magis Christo famulántium, imò eórum in quibus Christus páscitur & vestítur, curam gérere pénitùs non négligant.

FERIA QUARTA.

De libro primo Esdræ.

LECTIO I. c. 7. v. 1.

*Venit Esdras de Babylone.*

POst hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Persárum, Esdras ascendit de Babylóne, & ipse scriba velox in lege Móysi quá Dñs Deus dedit Isráël: & dedit ei rex secundùm manum Dómini Dei ejus super eum, omnem petitiónem ejus. Et ascendérunt de fíliis Isráël, & de fíliis Sacerdótum, & de fíliis Levitárum, & de cantóribus, & de ja-

nitóribus, & de Nathinæis in Jerúsalem, anno séptimo Artaxerxis regis. Et venérunt in Jerúsalem mense quinto, ipse est annus séptimus regis. Quia in primo díe mensis prími cœpit ascéndere de Babylóne, & in primo die mensis quinti venit in Jerúsalem, juxta manum Deí sui bona super se. Esdras enim parávit cor suũ ut investigáret legẽ Dñi, & fáceret & doceret in Israël præceptum & judícium.

℟. Dóminus Deus. 304.

LECTIO II. v. 11.

*Artaxerxis edictum.*

HOc est exemplar epístolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Esdræ sacerdóti, scribæ erudíto in sermónibus & præceptis Dómini, & cæremóniis ejus in Israël. Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdóti, scribæ legis Dei cœli doctíssimo, salútem. A me decrétum est, ut cuicumque placúerit in regno meo de pópulo Israël, & de sacerdótibus ejus, & de levítis, íre in Jerúsalem, tecum vadat. Et omne argentum & aurum quodcumque invéneris in univérsa província Babylónis, & pópulus offerre volúerit, & de sacerdótibus quæ sponte obtúlerint dómui Dei sui quæ est in Jerúsalem, líberè áccipe. Sed & cætera quibus opus fúerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est ut expendas, dábitur de thesauro & de fisco regis, & à me. Ego Artaxerxes rex státui atque decrévi ómnibus custódibus arcæ públicæ qui sunt trans flumen, ut quodcumque petíerit à vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cœli, absque mora detis, usque ad argenti talenta centum. Vobis quoque notum fácimus de univérsis sacerdótibus, & levítis, & cantóribus, & janitóribus, Nathinæis & minístris domûs Dei hujus, ut vectígal, & tribútum, & annónas non habeátis potestátem imponendi super eos. Tu autem, Esdra, secundùm sapiéntiã Dei tui quæ est in manu tua, constítue júdices & præsides, ut júdicent omni pópulo qui est trans flumen, his vidélicet qui novérunt legem Dei tui, sed & imperítos docéte líberè. Et omnis qui non fécerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, judícium erit de eo, sive in mortem, sive in exílium, sive in condemnatiónem substántiæ ejus, vel certè in cárcerem.

℟. Omnia corda. 304.

LECTIO III. v. 27.

*Esdras benedicit Deum.*

BEnedictus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dñi quæ est in Jerúsalé, & in me inclinávit misericórdia suá cora rege, & consiliatóribus ejus, & universis princípibus regis poténtibus: & ego confortátus manu Dñi Dei mei, quæ erat in me, congregávi de Israël príncipes qui ascénderent mecum.

℟. Quómodo, 305.

*CANON.*

Ex Concílio Moguntíno.

*An. 1549. cap. 72.*

CUm Apóstolus victu, ideóque ipsâ vitâ, indignos júdicet hómines otiósos qui panem, non labóre suo partum, cum gravámine aliórum edunt; quantò gravióri indignatióni divínæ eos subjacére putandum est, qui census Ecclésiæ, sanctórum mártyrum patrimónia, & donária piæ plebis, ad divíni ministérii sustentatiónem collάta, otiósè absúmunt.

FERIA QUINTA.

De libro primo Esdræ.

LECTIO I. c. 8. v. 1.

*Esdras congregat Israëlitas.*

PRíncipes familiárum qui ascendérunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylóne, congregávi eos ad flúviū qui decurrit ad Ahava, & mánsimus ibi tribus diébus; quæsivíque in pópulo & in sacerdótibus de fíliis Levi, & non invéni ibi. Itaque misi príncipes & sapiētes ad Eddo, qui est primus in Chasphíæ loco, & pósui in ore eórum verba quæ loquerentur ad Eddo & fratres ejus Nathinæos, in loco Chasphíæ, ut addúcerent nobis ministros domûs Dei nostri. Et adduxérunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, vírum doctíssimum de fíliis Móholi filii Levi filii Israël; & Sarabíam & fílios ejus & fratres ejus decem & octo; & Hasabíam, & cum eo Isaíam de fíliis Mérari, fratresque ejus & fílios ejus viginti; & de Nathinæis quos déderat David, & príncipes ad ministéria Levitárum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi suis nomínibus vocabantur.

℟. Sperámus. 301.

LECTIO II. v. 21.

*Jejunium ab Esdra indictum.*

PRædicávi jejúnium juxta flúvium Ahava, ut affligerémur coram Dómino Deo nostro, & peterémus ab eo viam rectam nobis & fíliis no-

stris, universæque substántiæ nostræ. Erúbui enim pétere à rege auxílium & équites, qui deféndérent nos ab inimíco in via; quia dixerámus regi: Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitáte: & impérium ejus, & fortitúdo ejus, & furor super omnes qui derelinquunt eum. Jejunávimus autem & rogávimus Deum nostrum per hoc: & evénit nobis prósperè.

℟. Non sis mihi. *pag.* 301.

LECTIO III. v. 24.

*Levitis Esdras deponit aurum, argentum & vasa.*

SEparávi de princípibus sacerdótum duódecim, Sarabíam, & Hasabíam, & cum eis de frátribus eórum decem. Appendíque eis argentum & aurum, & vasa consecráta domûs Dei nostri, quæ obtúlerat rex & consiliatóres ejus, & príncipes ejus, universúsque Israël eórum qui inventi fúerant. Et dixi eis: Vos sancti Dómini, & vasa sancta, & argentum & aurum quod sponte oblátum est Dómino Deo patrum nostrórum, vigiláte & custodíte, donec appendátis coram princípibus sacerdótum & levitárum, & dúcibus familiárum Israël in Jerúsalem, in thesaurum domûs Dómini. Suscepérunt autem sacerdótes & levítæ pondus argenti & auri, & vasórum, ut deferrent Jerúsalē in domum Dei nostri.

℟. Bonam. 302.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 25. de Reform. c. 1.*

OMnínò (Pastóribus sancta Synodus) interdícit, ne ex redítibus Ecclésiæ consanguíneos familiarésve suos augére stúdeant: sed si páuperes sint, iis ut paupéribus distríbuant, eas autem non distrahant nec díssipent eórum causâ.

FERIA SEXTA.

De libro primo Esdræ.

LECTIO I. c. 8. v. 31.

*Israëlitarum reditus in Jerusalem.*

PRomóvimus ergo à flúmine Ahava duodécimo die mensis primi, ut pergerémus Jerúsalem; & manus Dei nostri fuit super nos, & liberávit nos de manu inimíci & insidiatóris in via. Et vénimus Jerúsalem, & mánsimus ibi tribus diébus. Die autem quartâ appensum est argentum, & aurum, & vasa in domo Dei nostri, per manum Méremoth filii Uríæ sacerdótis, & cum eo Eleázar

fílius Phínees, cum-
s Józabed fílius Jó-
Noadaía fílius Bén-
ítæ, juxta númer-
pondus ómnium:
tumque est omne
s in témpore illo.
: qui vénerant de
táte fílii transmi-
iis, obtulérunt ho-
smata Deo Israel,
duódecim pro om-
ulo Israel, aríetes
inta sex, agnos sep-
ta septem, hircos
eccáto duódecim;
in holocaustū Dó-
Dedérunt autem e-
regis sátrapis, qui
de conspectu regis,
ibus trans flumen,
vavérunt pópulum
um Dei.
cimus. 303.
IO II. c. 9. v. 1.
r Esdræ de Judæo-
m infidelitate.
stquàm hæc com-
éta sunt, accessérunt
: príncipes, dicen-
on est separátus pó-
Israël, sacerdótes
tæ, à pópulis ter-
& abominatióni-
rum: tulérunt enim
ábus eórum sibi &
uis, & commiscué-
emen sanctum cum
is terrárum, manus
príncipum & ma-
uum fuit in transf-
óne hac prima. Cum-
udissem sermónem

istum, scidi pállium meū & túnicam, & evelli capillos cápitis mei & barbæ, & sedi mœrens. Convenérunt autem ad me omnes qui timébant verbum Dei Israël, pro transgressióne eórum qui de captivitáte vénerant, & ego sedébam tristis usque ad sacrificium vespertinū.

℟. Quando. 303.

LECTIO III. c. 10. v. 1.

*Judæorum pœnitentia & fletus.*

ORante Esdra, & implorante eo, & flente, & jacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israël cœtus grandis nimis virórum & mulíerum & puerórum, & flevit pópulus fletu multo. Et respondit Sechenías fílius Jehíel de filiis Elam; & dixit Esdræ: Nos prævaricáti sumus in Deū nostrum, & dúximus uxóres alienígenas de pópulis terræ: & nunc, si est pœniténtia in Israël super hoc, percutiámus fœdus cum Dómino Deo nostro, ut projiciámus univérsas uxóres, & eos qui de his nati sunt, juxta voluntátem Dómini, & eórum qui timent præceptum Dómini Dei nostri: secundùm legem fiat. Surge: tuum est decérnere; nosque érimus tecum: confortáre, & fac. Surre-

xit ergo Esdras, & adjurávit príncipes sacerdótũ & levitárum, & omnem Israël, ut fácerent secundùm verbum hoc, & juravérunt.

℟. Dóminus. 304.

*CANON.*

Ex Concílio Parisiensi.

*An. 829. lib. 1. can. 18.*

COnvenit Pastóribus res Ecclésiæ possidére, non ab his possidéri: &, ut Prosper aït, eas possidendo debent contémnere; & non sibi, sed áliis, possidére.

SABBATO.

De libro primo Esdræ.

LECTIO I. c. 10. v. 6.

*Esdras jubet reversos Judæos convenire in Jerusalem.*

SUrrexít Esdras ante domum Dei, & ábiit ad cubículum Jóhanan filii Elíasib, & ingressus est illuc, panem non comédit, & aquam non bibit: lugébat enim transgressióne eórum qui vénerant de captivitáte. Et missa est vox in Juda & in Jerúsalem, ómnibus filiis transmigratiónis, ut congregarentur in Jerúsalem: & omnis qui non vénerit in tribus diébus juxta consílium príncipum & seniórum, auferétur universa substántia ejus, & ipse abjiciétur de cœtu transmigratiónis. Convenérunt ígitur omnes viri Juda & Bénjamin in Jerúsalem tribus diébus, ipse est mensis nonus, vigésimo die mensis: & sedit omnis pópulus in platéa domûs Dei, trementes pro peccáto, & plúviis.

LECTIO II. v. 10.

*Alienigenæ mulieres.*

SUrrexit Esdras sacerdos, & dixit ad eos; Vos transgressi estis, & duxistis uxóres alienígenas, ut adderétis super delictum Israël. Et nunc date confessiónem Dómino Deo patrum vestrórũ, & fácite plácitum ejus, & separámini à pópulis terræ & ab uxóribus alienígenis. Et respondit universa multitúdo, dixitque voce magnâ: Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat. Verúmtamen quia pópulus multus est, & tempus plúviæ, & non sustinémus stare foris, & opus non est diéi uníus vel duórum, (vehementer quippe peccávimus in sermóne isto;) constituantur príncipes in universa multitúdine: & omnes in civitátibus nostris qui duxérunt uxóres alienígenas, véniant in tempóribus statútis, & cum his senióres per civitátem & civitátem, & júdices ejus, donec avertátur ira

tri à nobis super
hoc.
io III. c. 15.
mæ mulieres eji-
ciuntur.
r Jónathan filius
iel, & Jaasía fi-
cúe, steterunt su-
, & Mesollam, &
i levítes adjuvé-
. Feceruntque sic
nsmigratiónis. Et
t, Esdras sacerdos,
príncipes familiá-
n domos patrum
, & omnes per nó-
a, & sedérunt in
io mensis décimi
erent rem. Et con-
i sunt omnes viri
erant uxóres alie-
, usque ad diem
mensis primi. Et
sunt de filiis sacer-
qui dúxerant uxó-
ígenas. Et dedé-
inus suas ut ejíce-
óres suas, & pro
suo aríetem de ó-
fferrent. Et de fi-
tárum, & de cantó-
e de janitóribus, &
l : omnes hi accé-
uxóres alienígenas,
nt ex eis mulíeres
pérerant filios.

*A N O N.*
ncílio Bituricensi.
84. *tit.* 4. *de si-*
*uiacis, can.* 2.
eficia prétio ob-
ta, & in confi-
a seu custódiam
occultè aut apertè trádi-
ta, ipso jure vacent : qui
percípiunt eórum fructus,
suos non fáciant; sed ad
restitutiónem teneantur.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. A. Legérunt in volúmine legis Dómini Dei sui quater in die, & quater confitebantur & adorábant Dñm. 2. *Esdr.* 9. 3.

*Orat. infrà ad Laudes.*

## DOMINICA XX.
post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

Incipit liber Nehémiæ.

LECTIO I. c. 1. v. 1.

*Nehemias dolens de afflictione populi.*

FActum est in mense Casleu, anno vigésimo, & ego eram in Susis castro. Et venit Hánani unus de frátribus meis, ipse & viri ex Juda : & interrogávi eos de Judæis qui remánserant & supérerant de captivitáte, & Jerúsalem. Et dixérunt mihi : Qui remansérunt & relícti sunt de captivitáte ibi in província, in afflictióne magna sunt & in oppróbrio : & murus Jerúsalem dissipátus est, & portæ ejus combustæ sunt igni. Cumque audíssem verba hujuscémodi, sedi & flevi, & luxi diébus multis.

℟. 1. Intellexísti, Dómine, cogitatiónes meas de longè; sémitam meam

& funículum meum investigasti, & omnes vias meas prævidisti: * Ecce, Dómine, tu cognovisti ómnia. *Ps.* 138. 3. 4. 5.
℣. Nihil opertum est quod non revelétur, neque abscónditum quod non sciâtur. *Luc.* 12. 2. * Ecce.

LECTIO II. v. 4.
*Oratio Nehemiæ pro Israëlitis dispersis.*

JEjunábam & orábam ante fáciem Dei cœli, & dixi: Quæso, Dómine Deus cœli, fortis, magne atque terríbilis, fiant aures tuæ auscultantes: confiteor pro peccátis filiórum Israël, quibus peccavérunt tibi: ego & domus patris mei peccávimus: vanitáte seducti sumus. Memento verbi quod mandasti Móysi servo tuo, dicens: Cùm transgressi fuéritis, ego dispergam vos in pópulos: & si revertámini ad me, & custodiátis præcepta mea, & faciátis ea; etiamsi abducti fuéritis ad extréma cœli, inde congregábo vos, & redúcam in locum quem elégi ut habitáret nomen meũ ibi. Et ipsi servi tui, & pópulus tuus, quos redemisti in fortitúdine tua magna, & in manu tua válida. Obsecro, Dómine, sit auris tua atténdens ad oratiónem servórum tuórum qui volunt timére nomen tuum: & dírige servum tuum hódie, & da ei misericórdiam ante virum hunc: ego enim eram pincerna regis.

℟. II. Quò ibo à spíritu tuo, Dómine, & quo à fácie tua fúgiam? * Si ascéndero in cœlum, tu illic es; si descéndero in inférnum, ades. *Ps.* 138. 7. 8. ℣. Rex seculórum, quis non timébit te? *Apoc.* 15. 3. 4. * Si ascéndero.

LECTIO III. c. 2. v. 1.
*Nehemiæ iter in Jerusalem.*

FActum est autem in mense Nisan, anno vigésimo Artaxerxis regis: & vinum erat ante eum, & levávi vinum, & dedi regi: & eram quasi lánguidus ante fáciem ejus. Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est? pro qua re póstulas? Et dixi ad regem: Si vidé tur regi bonum, & si placet servus tuus ante fáciẽ tuam ut mittas me in Judæam, ad civitátem sepulchri patris mei, & ædificábo eam. Dixitque mihi rex, & regína quæ sedébat juxta eum: Usque ad quod tempus erit iter tuũ, & quando revertéris? Et plácuit ante vultum regis, & misit me, & constitui ei tempus. Et dixi regi: Si regi vidétur bonum, det mihi epístolam ad Asaph

custódem saltûs regis, ut det mihi ligna ut tégere possim portas turris domûs, & muros civitátis, & domum quam ingressus fúero. Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecùm. Et veni Jerúsalem, & eram ibi tribus diébus; & surrexi nocte ego, & viri pauci mecum. Magistrátus autem nesciébant quò abiissem, aut quid ego fácerem. Et indicávi eis manum Dei mei quòd esset bona mecum, & verba regis quæ locútus esset mihi; & aio: Surgámus, & ædificémus. Et confortátæ sunt manus eórũ in bono.

℟.III. Lucerna pédibus meis verbum tuum, Dómine, & lumen sémitis meis: * Jurávi & státui custodíre judícia justítiæ tuæ. *Psal.* 118. 105. 106. ℣. Hæc est enim cháritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus. 1. *Joan.* 5.3. * Jurávi. ℣. Glória. * Jurávi.

*IN II. NOCTURNO.*

Conféssio Levitárum, & reductæ captivitátis novum fœdus cum Deo.

LECTIO IV. 2. Esdræ, c. 9. v. 16.

*Recensentur Dei beneficia.*

DOmine, patres nostri superbè egérunt, & induravérunt cervíces suas, & non audiérunt mandáta tua. Et noluérunt audíre, & non sunt recordáti mirabílium tuórum quæ féceras eis. Et induravérunt cervíces suas, & dedérunt caput ut converterentur ad servitútem suam quasi per contentiónem. Tu autem, Deus propítius, clemens & miséricors, longánimis & multæ miseratiónis, non dereliquisti eos. Et quidem cùm fecissent sibi vítulum conflátilem, & dixissent: Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: feceruntque blasphémias magnas. Tu autem in misericórdiis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem, ut dúceret eos in viam, & columna ignis per noctẽ, ut osténderet eis iter per quod ingrederentur. Et spíritum tuum bonum dedisti qui docéret eos, & manna tuum non prohibuisti ab ore eórum, & aquam dedisti eis in siti. Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis défuit: vestimenta eórum non inveteravérunt, & pedes eórum non sunt attríti. Et dedisti eis regna & pópulos, & partítus es eis sortes; & possedérunt terrã Sehon, & terram regis Hésebon, & terram Og regis Basan.

Et multiplicasti filios eórum sicut stellas cœli, & adduxísti eos ad terram de qua díxeras pátribus eórum ut ingrederentur & possidérent. Et venérunt filii, & possedérunt terram, & humiliasti coram eis habitatóres terræ Chananæos, & dedisti eos in manu eórum, & reges eórum & pópulos terræ, ut fácerent eis sicut placébat illis. Cepérunt ítaque urbes munítas & humum pinguem, & possedérunt domos plenas cunctis bonis, cisternas ab áliis fabricátas, víneas & olivéta, & ligna pomífera multa: & comedérunt, & saturáti sunt, & impinguáti sunt, & abundavérunt delíciis in bonitáte tua magna.

℟. IV. Cùm ignorémus quid ágere debeámus, * Hoc solum habémus resídui, ut óculos nostros dirigámus ad te, Dómine. 2. *Paral.* 20. 12. ℣. Ipsi nos sedúcimus, & véritas in nobis non est. 1. *Joan.* 1. 8. * Hoc.

LECTIO V. v. 26.

*Peccata populi & punitio.*

PRovocavérunt autem te ad iracúndiam, & recessérunt à te, & projecérunt legem tuam post terga sua; & Prophétas tuos occidérunt, qui contestabantur eos ut rever-

terentur ad te : fe
que blasphémias g
Et dedisti eos in
hóstium suórum, 
xérunt eos. Et in t
tribulatiónis suæ
vérunt ad te, &
cœlo àudisti; &
dùm miseratióne
multas dedisti eis
tóres, qui salvárc
de manu hóstium s
Cumque requiev
reversi sunt ut f
malum in conspect
& dereliquisti eos
nu inimicórum su
& possedérunt eos
versíque sunt, &
vérunt ad te; tu
de cœlo exaudisti
berasti eos in mi
diis tuis, multis
ribus. Et contestá
eos, ut reverteren
legem tuam. Ipsi v
perbè egérunt, & 
diérunt mandáta t
in judíciis tuis pe
runt, quæ fáciet h
vivet in eis : & de
húmerum recedent
cervícem suam inc
runt, nec audiér
protraxisti super e
nos multos, & c
tus es eos in spíri
per manum Proph
tuórum : & non
runt, & tradidisti
manu populórum
rum. In misericórc
tem tuis plúrimis

tisti eos in consumptióne, nec dereliquisti eos; quóniamDeus miseratiónum, & clemens es tu.

℟. v. Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine, quis símilis tuî? * Magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília. *Exod.* 15. *v.* 11. ℣. Rex regum, & Dóminus dominántium *Apoc.* 19. *v.* 16. * Magníficus.

LECTIO VI. v. 32.

*In Dei bonitatem confidentia.*

NUnc ítaque, Deus noster, magne, fortis, & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam, ne avertas à fácie tua omnem labórem qui invénit nos, Reges nostros, & Príncipes nostros, & Sacerdótes nostros, & Prophétas nostros, & patres nostros, & omnem pópulum tuum à diébus regis Assur usque in diem hanc. Et tu justus es in ómnibus quæ venérunt super nos: quia veritátem fecisti; nos autem ímpiè égimus. Reges nostri, Príncipes nostri, Sacerdótes nostri, & patres nostri, non fecérunt legem tuam, & non attendérunt mandáta tua, & testimónia tua quæ testificátus es in eis. Et ipsi in regnis suis & in bonitáte tua multa quam déderas eis, & in terra latíssima & pingui quam tradíderas in conspectu eórum, non servierunt tibi, nec reversi sunt à stúdiis suis péssimis. Ecce nos ipsi hódie servi sumus, & terra quam dedisti pátribus nostris, ut coméderent panem ejus, & quæ bona sunt ejus; & nos ipsi servi sumus in ea. Et fruges ejus multiplicantur régibus quos posuisti super nos propter peccáta nostra, & corpóribus nostris dominantur, & jumentis nostris secundùm voluntátem suam, & in tribulatióne magna sumus. Super ómnibus ergo his nos ipsi percútimus fœdus, & scríbimus, & signant Príncipes nostri, Levítæ nostri, & Sacerdótes nostri.

℟. VI. Converti pedes meos in testimónia tua, Dómine; * Parátus sum & non sum turbátus, ut custódiam mandáta tua. *Ps.* 118. *v.* 59. 60. ℣. Magister bone, quid boni fáciã ut hábeam vitam ætérnã? *Mat.* 19. *v.* 16. * Parátus. ℣. Glória. * Parátus.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO VII. c. 10. 32.

*Confidentia non amittenda.*

REmemorámini prístinos dies, in quibus illumináti, ma-

gnum certámen sustinuístis passiónum : & in áltero quidem, oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum facti; in áltero autem, sócii táliter conversántium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepistis, cognoscentes vos habére meliórem & manentem substántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est : ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulùm, qui ventúrus est, véniet, & non tardábit.

℟. VII. Magnus consílio, & incomprehensíbilis cogitátu, cujus óculi aperti sunt super omnes vias filiórum Adam, * Ut reddas unicuíque secundùm fructum adinventiónum ejus. *Jer.* 32. *v.* 19. ℣. Dómine, Deus omnípotens, vera & justa judícia tua. *Apoc.* 16. *v.* 7. * Ut reddas.

LECTIO VIII. c. 13. 3.

*Afflictis compatiendum.*

MEmentóte vinctórum, tamquam simul vincti; & laborántium, tamquam & ipsi in córpore morantes. Sint mores sine avarítia, contenti præséntibus; ipse enim dixit : Non te déseram, neque derelinquá: ita ut confidenter dicámus : Dóminus mihi adjútor; non timébo quid fáciat mihi homo. Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuentes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri & hódiè : ipse & in sécula.

℟. VIII. Tu solus nosti, Dómine, corda filiórum hóminum; * Ut tímeant te & ámbulent in viis tuis, cunctis diébus, quibus vivunt super fáciem terræ. 2. *Paral.* 16. *v.* 30. 31. ℣. Statútum est homínibus semel mori. *Hebr.* 9. *v.* 27. * Ut tímeant.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO IX. c. 4. 46.

*Filius reguli.*

IN illo témpore; Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*Hom.* 28.

LEctio sancti Evangélii quam modò, fratres, audistis, expositióne non índiget : sed ne hanc táciti præteriisse videámur, exhortando pótiùs, quàm exponendo, in ea

aliquid loquámur. Hoc autem nobis solúmmodò de expositióne vídeo esse requirendum, cur is qui ad salútem filio petendam vénerat, audívit: Nisi signa & prodígia vidéritis, non créditis. Qui enim salútem quærébat filio, proculdúbio credébat: neque enim ab eo quæreret salútem, quem non créderet Salvatórem. Quare ergo ei dícitur: Nisi signa & prodígia vidéritis, non créditis: qui antè crédidit, quàm signa vidéret? Sed mementóte quid pétiit: & apertè cognoscétis, quia in fide dubitávit. Poposcit namque, ut descénderet, & sanáret filium ejus. Corporálem ergo Dómini præséntiam quærébat, qui per spíritum nusquàm déerat. Minùs itaque in illum crédidit, quem non putávit salútẽ posse dare, nisi præsens esset & córpore. Si enim perfectè credidisset, proculdúbio sciret, quia non esset locus ubi non esset Deus.

℟. IX. Dómine Deus Israël, * Non est símilis tuî Deus in cœlo & in terra, † Qui custódis pactum & misericórdiam tuam cum servis tuis. 2. *Paral.* 6. *v.* 14. ℣. Dómine, sanctus & verus. *Apoc.* 6. *v.* 10. * Non est. ℣. Glória. † Qui custódis.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 6. F. Crédidit homo sermóni quem dixit ei Jesus, & ibat. *Joan.* 4. *v.* 50.

Orémus.

Largíre, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus, & pacem: ut páriter ab ómnibus mundentur offensis, & secúrâ tibi mente desérviant; Per Dóminum nostrum.

*CANON.*

Ex Concílio Parisiensi sexto.

*An.* 829. *lib.* 1. *cap.* 50.

Ne in sancta venerábili die Domínica, mercátus, plácita, & rurália quæque ópera, necnon & quáslibet carrigatiónes ullíus conditiónis hómines fácere præsúmant; quóniam dum hæc agunt, & decus christianitátis offuscant, & nomen Christi blasphemántibus locum ámpliùs attríbuunt.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 3. à. Servi occurrérunt ei, dicentes: Quia heri horâ séptimâ relíquit eum febris. Cognóvit pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Fílius tuus vivit; & crédidit ipse, & domus ejus tota. *Joan.* 4. *v.* 51. 52. 53.

*Oratio, ut suprà.*

FERIA SECUNDA.

De libro Nehémiæ.

LECTIO I. c. 4. 1.

*Judæi anxii.*

FActum est cùm audisset Sanaballat quòd ædificarémus murum, irátus est valde; & motus nimis subsannávit Judæos. Audi, Deus noster, quia facti sumus despéctui; converte oppróbriũ super caput eórum, & da eos in despectiónem in terra captivitátis. Ne opérias iniquitátem eórum, & peccátum eórum coram fácie tua non deleátur, quia irrisérunt ædificantes. Itaque ædificávimus murum, & conjúnximus totum usque ad partem dimídiam: & provocátum est cor pópuli ad operandum. Factum est autem, cùm audisset Sanaballat, & Tobías, & Arabes, & Ammonítæ, & Azótii, quòd obducta esset cicátrix muri Jerúsalem, & quòd cœpissent interrupta conclúdi, iráti sunt nimis. Et congregáti sunt omnes páriter, ut veníren, & pugnárent contra Jerúsalem, & molirentur insídias.

℟. Intellexisti. *p.* 315.

LECTIO II. v. 9.

*Mira Nehemiæ agendi ratio.*

ORávimus Deum nostrum, & posuimus custódes super murum die ac nocte contra eos. Et dixérunt hostes nostri: Nésciant, & ignórent, donec veniámus. Factum est autem, veniéntibus Judæis, qui habitábant juxta eos, & dicéntibus nobis, státui in loco post murum per circúitum pópulum in órdinem cum gládiis suis, & lánceis, & árcubus. Factum est autem, cùm audissent inimíci nostri nuntiátum esse nobis, dissipávit Deus consílium eórum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum. Et factum est à die illa, média pars júvenum eórum faciébat opus, & média paráta erat ad bellum: ædificántium enim unusquisque gládio erat accinctus renes. Et ædificábant, & clangébant búccinâ juxta me. In témpore quoque illo dixi pópulo: Unusquisque cum púero suo máneat in médio Jerúsalem, & sint nobis vices per noctem & diem, ad operandum. Ego autem & fratres mei, & púeri mei, & custódes, qui erant post me, non deponebámus vestiménta nostra: unusquisque tantùm nudabátur ad baptismum.

℟. Quò ibo. *pag.* 316.

LECTIO III. c. 5. 1.

*Nehemiæ gratuitum ministerium.*

FActus est clamor pópuli & uxórum ejus magnus, adversùs fratres suos Judæos. Et irátus sum nimis cùm audiíssem clamórem eórum: cogitavitque cor meum mecum, & increpávi optimátes & magistrátus, & dixi eis: Usurásne singuli à frátribus vestris exigitis? Et congregávi adversùm eos conciónem magnam, & dixi eis: Nos, ut scitis, redémimus fratres nostros Judæos, qui vénditi fúerant géntibus, secundùm possibilitátem nostram: & vos ígitur vendétis fratres vestros, & redimémus eos? Et siluérunt, nec invenérunt quid respondérent. Dixítque ad eos: Réddite eis hódiè agros suos, & víneas suas, & olivéta sua; & domos suas; quin pótiùs & centésimam pecúniæ, frumenti, vini, & ólei, quam exígere solétis ab eis, date pro illis. Insuper excussi sinum meũ, & dixi: Sic excútiat Deus omnem virum qui non compléverit verbũ istud, de domo sua, & de labóribus suis: sic excutiátur, & vácuus fiat. Et dixit univérsa multitúdo: Amen. Et laudavérunt Deũ. Fecit ergo pópulus sicut erat dictum. Quin pótiùs in ópere muri ædificávi, & agrum non emi, & omnes púeri mei congregáti ad opus erant. Judæi quoque & magistrátus, centum quinquaginta viri, & qui veniébant ad nos de géntibus, quæ in circúitu nostro sunt, in mensa mea erant. Memento meî, Deus meus, in bonum, secundùm ómnia quæ feci pópulo huic.

℟. Lucerna. *pag.* 317.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess.* 27. *Can.* 13.

SI quis díxerit receptos & approbátos Ecclésiæ Cathólicæ ritus in solemni Sacramentórum administratióne adhibéri consuétos, aut contemni, aut sine peccáto à ministris pro líbito omitti, aut in novos álios per quemcumque Ecclésiæ pastórem mutári posse; anáthema sit.

FERIA TERTIA.

De libro Nehémiæ.

LECTIO I. c. 6. 1.

*Nehemiæ constantia.*

FActum est, cùm audísset Sanaballat, & Tobías, & Gossem Arabs, & cæteri inimíci nostri, quòd ædificássem ego murum, & non esset

in ipso resídua interrúptio, (usque ad tempus autem illud valvas non posúeram in portis ; ) misit ad me Sanaballat epístolam scriptam hoc modo : In géntibus audítum est, & Gossem dixit, quòd tu & Judæi cogitétis rebelláre, & proptéreà ædífices murum, & leváre te velis super eos regem. Et misi ad eos dicens : Non est factum secundùm verba hæc, quæ tu lóqueris : de corde enim tuo tu compónis hæc. Et ingressus sum domum Semaíæ filii Dalaíæ filii Metabéel secrétò. Qui ait : Tractémus nobiscum in domo Dei in médio templi, & claudámus portas ædis : quia ventúri sunt ut interfíciant te, & nocte ventúri sunt ad occidendum te. Et dixi : Num quisquam símilis meî fugit ? & quis ut ego, ingrediétur templum, & vivet ? non ingrediar. Et intellexi quòd Deus non misisset eum, sed quasi vatícinans locútus esset ad me, & Tobías & Sanaballat conduxissent eum. Accéperat enim prétium, ut térritus fácerem, & peccárem, & habérent malum, quod exprobrárent mihi.

℟. Cùm ignorémus. *p.* 318.

LECTIO II v. 14.

*Completur murus.*

MEmento meî, Dómine, pro Tobía & Sanaballat, juxta ópera eórum tália : sed & Noádiæ Prophétæ, & cæterórum Prophetárum qui terrébant me. Complétus est autem murus vigésimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duóbus diébus. Factum est ergo cùm audissent omnes inimíci nostri, ut timérent univérsæ gentes, quæ erant in circúitu nostro, & concíderent intra semetipsos, & scirent quòd à Deo factum esset opus hoc. Sed & in diébus illis multæ optimátum Judæórum epístolæ mittebantur ad Tobíam, & à Tobía veniébant ad eos. Multi enim erant in Judæa habentes júramentum ejus, quia gener erat Secheníæ filii Area, & Jóhanan filius ejus accéperat filiam Mosollam filii Barachíæ : sed & laudábant eum coram me, & verba mea nuntiábant ei : & Tobías mittébat epístolas, ut terréret me.

℟. Quis símilis. *p.* 319.

LECTIO III. c. 7. v. 1.

*Ponuntur custodes.*

POstquam autem ædificátus est murus, & pósui valvas, & recénsui janitóres & cantóres &

Levítas: præcépi Hánani fratri meo, & Hananíæ príncipi domûs de Jerúsalem; (ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus cæteris videbátur.) Et dixi eis: Non aperiantur portæ Jerúsalem usque ad calórem solis. Cumque adhuc assísterent, clausæ portæ sunt & oppilátæ: & pósui custódes de habitatóribus Jerúsalem, síngulos per vices suas, & unumquemque contra domum suam. Cívitas autem erat lata nimis & grandis, & pópulus parvus in médio ejus, & non erant domus ædificátæ. Deus autem dedit in corde meo, & congregávi optimátes & magistrátus, & vulgus, ut recensére eos: & invéni librum census eórum, qui ascénderant primùm.

℟. Converti. *pag.* 319.

*CANON.*

Ex Concílio Cameracensi. *An.* 1565. *cap.* 6.

CÆremóniæ omnes quæ signácula sunt pietátis & religiónis christiánæ, quasque vel ab Apóstolis vel ab Ecclésiæ Cathólicæ traditióne, quasi per manum accépimus, ut piè & sanctè sunt invectæ, sic religiósè serventur in Ecclésiis; novæ autem nullæ recipiantur sine Epíscopi judício.

FERIA QUARTA.

De libro Nehémiæ.

LECTIO I. c. 8. 1.

*Palam legitur Liber legis.*

VEnerat mensis séptimus; filii autem Israël erant in civitátibus suis. Congregatusque est omnis pópulus quasi vir unus, ad platéam quæ est ante portam aquárum: & dixérunt Esdræ scribæ ut afferret librum legis Móysi quam præcéperat Dóminus Israéli. Et apéruit Esdras librum coram omni pópulo; super universum quippe pópulum eminébat: & cùm aperuisset librum, stetit omnis pópulus. Et benedixit Esdras Dómino Deo magno, & respondit omnis pópulus: Amen, Amen, élevans manus suas: & incurváti sunt, & adoravérunt Deū proni in terram. Porrò Levítæ siléntium faciébant in pópulo ad audiendam legem: pópulus autem stabat in gradu suo. Et legérunt in libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum: & intellexérunt cùm legerétur. Dixit autem Nehémias, (ipse est Athersátha,) & Esdras Sacerdos & scriba, & Levítæ interpretantes universo pópulo: Dies sanctificátus est Dómino

Deo nostro; nolíte lugére, & nolíte flere. Flebat enim omnis pópulus cùm audíret verba legis.

℟. Magnus. *pag.* 320.

LECTIO II. V. 13.

*Solemnitas tabernaculorum.*

IN die secundo congregáti sunt príncipes familiárum universi pópuli, Sacerdótes & Levítæ, ad Esdram scribam, ut interpretarétur eis verba legis. Et invenérunt scriptum in lege, præcepisse Dóminū in manu Móysi, ut hábitent filii Israël in tabernáculis, in die solemni, mense séptimo: & ut prædicent, & divulgent vocem in universis úrbibus suis, & in Jerúsalem, dicentes: Egredímini in montem, & afferte frondes olívæ, & frondes ligni pulchérrimi, frondes myrti, & ramos palmárum, & frondes ligni nemorósi, ut fiant tabernácula, sicut scriptum est. Et egressus est pópulus, & attulérunt. Feceruntque sibi tabernácula unusquisque in dómate suo, & in átriis suis, & in átriis domûs Dei, & in platéa portæ aquárum, & in platéa portæ Ephraïm. Fecit ergo universa Ecclésia eórum qui redíerant de captivitáte, tabernácula, & habitavérunt in tabernáculis; non enim fécerant à diébus Jósue filii Nun táliter filii Israël usque ad diem illū. Et fuit lætítia magna nimis. Legit autem in libro legis Dei per dies síngulos, à die primo usque ad diem novíssimum, & fecérunt solemnitátem septem diébus, & in die octávo collectam juxta ritum.

℟. Tu solus. *pag.* 320.

LECTIO III. C. 9. 1.

*Populus pœnitens.*

IN die vigésimo quarto mensis séptimi, convenérunt filii Israël in jejúnio & in saccis, & humus super eos. Et separátum est semen filiórum Israël ab omni filio alienígena: & stetérunt, & confitebantur peccáta sua, & iniquitátes patrum suórum. Et consurrexérunt ad standum: & legérunt in volúmine legis Dómini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorábant Dóminum Deum suum.

℟. Dómine. *pag.* 321.

*CANON.*

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *part.* 9. *cap.* 16.

QUidquid in cæremóniis ad abúsum & superstitiónem spectat, & quò pópulus à Deo, ad collocandum in externis istis áliquam fidúciam, abdúci possit, prohibémus.

FERIA QUINTA.
De libro Nehémiæ.

LECTIO I. c. 10. 29.
*Renovantur statuta.*

OMnes qui póterant sápere spondentes pro frátribus suis, optimátes eórum, & qui veniébant ad pollicendũ & jurandum ut ambulárent in lege Dei, quam déderat in manu Móysi servi Dei, ut fácerent & custodírent universa mandáta Dómini Dei nostri, & judícia ejus, & cæremónias ejus; & ut non darémus filias nostras pópulo terræ, & filias eórum non acciperémus fíliis nostris. Pópuli quoque terræ, qui important venália, & ómnia ad usum per diem Sábbati ut vendant, non accipiémus ab eis in Sábbato, & in die sanctificáto. Et dimittémus annum séptimum, & exactiónem universæ manûs. Et statuémus super nos præcepta, ut demus tértiam partem sicli per annum ad opus domûs Dei nostri, ad panes propositiónis, & ad sacrifícium sempiternum, & in holocaustum sempiternum in Sábbatis, in calendis, in solemnitátibus, & in sanctificátis, & pro peccáto: ut exorétur pro Israël, & in omnem usum domûs Dei nostri.

℟. Intellexisti. *p.* 315.

LECTIO II. v. 15.
*Iterantur promissa Deo facta.*

SOrtes mísimus ut afferrémus primogénita terræ nostræ, & primitíva universi fructûs omnis ligni, ab anno in annum, in domo Dómini. Et primitíva filiórum nostrórum, & pécorum nostrórum, sicut scriptum est in lege, & primitíva boũ nostrórum, & óvium nostrárum, ut offerrentur in domo Dei nostri Sacerdótibus, qui ministrant in domo Dei nostri: & primítias cibórum nostrórum, & libáminum nostrórum, & poma omnis ligni, vindémiæ quoque & ólei, afferémus Sacerdótibus ad gazophyláciũ Dei nostri, & décimam partem terræ nostræ Levítis. Ipsi Levítæ décimas accípient ex ómnibus civitátibus óperum nostrórum. Erit autem Sacerdos fílius Aaron cum Levítis in décimis Levitárum, & Levítæ ófferent décimam partem décimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylácium in domum thesauri. Ad gazophylácium enim deportábunt fílii Israël, & fílii Levi, primítias frumenti, vini, & ólei: & ibi erunt vasa sanctificáta, & Sacerdó-

tes, & cantóres, & janitóres, & ministri, & non dimittémus domum Dei nostri.

℞. Quò ibo. *pag.* 316.

LECTIO III. c. 11. 1.

*Plebs habitationes suas sortitur.*

HAbitavérunt autem príncipes pópuli in Jerúsalem: réliqua verò plebs misit sortem, ut tóllerent unam partem de decem, qui habitatúri essent in Jerúsalem civitáte sancta, novem verò partes in civitátibus. Benedixit autē pópulus ómnibus viris qui se sponte obtúlerant ut habitárent in Jerúsalem. Omnes Levítæ in civitáte sancta ducenti octogínta quátuor. Et réliqui ex Israël Sacerdótes & Levítæ in universis civitátibus Juda, unusquisque in possessióne sua. Et de Levítis portiónes Judæ & Bénjamin.

℞. Lucerna. *pag.* 317.

*CANON.*

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *cap.* 17.

ORganórum usum Ecclésia à pátribus ad cultum servitiumque divínum recépit: nólumus itaque quòd orgánicis instrumentis résonet in Ecclésia impudíca aut lascíva melódia, sed sonus qui nihil præter hymnos divínos & cántica spirituália repræsentet.

FERIA SEXTA.

De libro Nehémiæ.

LECTIO I. c. 12. 27.

*Dedicatio murorum urbis.*

IN dedicatióne muri Jerúsalē, requisiérunt Levítas de ómnibus locis suis, ut addúcerent eos in Jerúsalem, & fácerent dedicatiónem & lætítiam in actióne gratiárum, & cántico, & in cymbalis, psaltériis, & cítharis. Et mundáti sunt Sacerdótes & Levítæ, & mundavérunt pópulum, & portas, & murum. Ascéndere autem feci príncipes Juda super murum, & státui duos magnos choros laudántium. Et iérunt ad déxteram super murum ad portam sterquilínii: & Esdras scriba ante eos in porta fontis: & stetérunt in porta custódiæ, steteruntque duo chori laudántium in domo Dei, & ego & dimídia pars magistrátuum mecum. Et claré cecinérunt cantóres.

℞. Cùm ignorémus. *p.* 318.

LECTIO II. v. 42.

*Exultatio in Jerusalem.*

IMmolavérunt in die illa víctimas magnas, & lætáti sunt: Deus enim lætificáverat eos lætítiâ magnâ: sed & uxóres eórum & líberi gavísi sunt,

& audíta est lætítia Jerúsalem procul. Recensuérunt quoque in die illa viros super gazophylácia thesauri ad libámina, & ad primítias, & ad décimas, ut introferrent per eos príncipes civitátis in decóre gratiárũ actiónis, Sacerdótes & Levítas: quia lætificátus est Juda in Sacerdótibus & Levítis astántibus. Et custodiérunt observatiónem Dei sui, & observatiónem expiatiónis; & cantóres, & janitóres juxta præceptum David, & Salomónis filii ejus: quia in diébus David & Asaph ab exórdio erant príncipes constitúti cantórum, in cármine laudántium & confiténtium Deo. Et omnis Israël, in diébus Zoróbabel, & in diébus Nehémiæ, dabant partes cantóribus & janitóribus, per dies síngulos, & sanctificábant Levítas, & Levítæ sanctificábant fílios Aaron.

℟. Quis símilis. p. 319.

LECTIO III. c. 13. v.

*Eliasib.*

IN die autem illo lectum est in volúmine Móysi, audiente pópulo: & inventum est scriptum in eo, quòd non débeant introíre Ammonítes & Moabítes in Ecclésiã Dei usque in æternum: eò quòd non occúrrerint fíliis Israël cum pane & aqua: & condúxerint adversùm eos Bálaam, ad maledícendum eis: & convertit Deus noster maledictiónem in benedictiónem. Factum est autem, cùm audissent legem, separavérunt omnem alienígenam ab Israël. Et super hoc erat Elíasib Sacerdos qui fúerat præpósitus in gazophylácio domûs Dei nostri, & próximus Tobíæ. Fecit ergo sibi gazophylácium grande, & ibi erant ante eum reponentes múnera, & thus, & vasa, & décimam frumenti, vini, & ólei, partes Levitárum, & cantórum, & janitórum, & primítias sacerdotáles.

℟. Converti. *pag.* 319.

*CANON.*

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *part.* 9. *cap.* 14.

BEnedicentur campánæ, ut sint tubæ Ecclésiæ militantis, quibus vocétur pópulus ad conveniendum in templum, & audiendum verbum Dei.

SABBATO.

De libro Nehémiæ.

LECTIO I. c. 13. v. 6.

*Multa inordinata absente Nehemia.*

ANno trigésimo secundo Artaxerxis regis Babylónis, ve-

ni ad regem, & in fine diérum rogávi regem. Et veni in Jerúsalem, & intellexi malum quod fécerat Elíasib Tobíæ, ut fáceret ei thesaurum in vestíbulis domûs Dei. Et malum mihi visum est valde. Et projéci vasa domûs Tobíæ foràs de gazophylácio: præcepíque, & emundavérunt gazophylácia: & rétuli ibi vasa domûs Dei, sacrifícium & thus. Et cognóvi quòd partes levitárum non fuissent datæ: & fugisset unusquisque in regiónem suam de levítis, & cantóribus, & de his qui ministrábant: & egi causam adversùs magistrátus, & dixi: Quare derelíquimus domum Dei? Et congregávi eos, & feci stare in statiónibus suis. Et omnis Juda apportábat décima frumenti, vini & ólei, in hórrea. Et constitúimus super hórrea Selemíam sacerdótem, & Sadoc scribam, & Phadaíam de levítis, & juxta eos Hanan fílium Zachur, fílium Mathaníæ: quóniam fidéles comprobáti sunt, & ipsis créditæ sunt partes fratrũ suórum. Memento meî, Deus meus, pro hoc; & ne déleas miseratiónes meas quas feci in domo Dei mei, & in cæremóniis ejus.

Lectio ii. v. 15.

*Sabbatum violatum.*

In diébus illis vidi in Juda calcantes torculária in Sábbato, portantes acervos, & onerantes super ásinos vinum, & uvas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Jerúsalem die Sábbati. Et contestátus sum ut in die quâ véndere licéret, vénderent. Et Tyrii habitavérunt in ea, inferentes pisces & ómnia venália: & vendébant in Sábbatis fíliis Juda in Jerúsalem: & objurgávi optimátes Juda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala quam vos fácitis, & prophanátis diem Sábbati? Numquíd non hæc fecérunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super civitátem hanc? Et vos ádditis iracúndiam super Israël violando Sábbatum. Factum est autem cùm quievissent portæ Jerúsalem in die Sábbati, dixi: & clausérunt jánuas, & præcépi ut non aperírent eas usque post Sábbatum: & de púeris meis constítui super portas ut nullus inferret onus in die Sábbati. Et mansérunt negotiatóres, & vendentes universa venália, foris Jerúsalem semel & bis. Et contestátus sum eos,

& dixi eis : Quare manétis ex adverso muri ? si secundò hoc fecéritis, manum mittam in vos. Itaque ex témpore illo non venérunt in Sábbato. Dixi quoque levítis ut mundarentur, & venírent ad custodiendas portas, & sanctificandam diē Sábbati. Et pro hoc ergo meménto meî, Deus meus ; & parce mihi secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum.

LECTIO III. v. 23.

*Matrimonium cum alienigenis.*

IN diébus illis vidi Judæos ducentes uxóres Azótidas, Ammonítidas & Moabítidas. Et filiie órū ex média parte loquebantur Azóticè, & nesciébant loqui Judáicè, & loquebantur juxta linguā pópuli & pópuli. Et objurgávi eos, & maledixi. Et cecídi ex eis viros, & decalvávi eos, & adjurávi in Deo, ut non darent filias suas filiis eórum, & non accíperent de filiábus eórum filiis suis & sibimetipsis, dicens : Numquid non hujúscemodi re peccávit Sálomon rex Israël ? & certè in géntibus multis non erat rex símilis ei, & diléctus Deo suo erat, & pósuit eum Deus regem super omnem Israël : & ipsum ergo duxérunt ad peccátum mulíeres alienígenæ. Numquid & nos inobedientes faciémus omne malum grande hoc, ut prævaricémur in Deo nostro, & ducámus uxóres peregrínas? De filiis autem Joíada filii Elíasib sacerdótis magni, gener erat Sanaballat Horonítes, quem fugávi à me. Recordáre, Dómine Deus meus, adversùm eos qui pólluunt sacerdótium, jusque sacerdotále & levíticum. Igitur mundávi eos ab ómnibus alienígenis, & constítui órdines sacerdótum & levitárum, unumquemque in ministério suo ; & in oblatióne lignórū in tempóribus constitútis, & in primitívis : meménto meî, Deus meus, in bonum : Amen.

*CANON.*

Ex Concílio Cameracensi.

*An. 1565. tit. 6. cap. 15.*

QUi tintinnábula & campánulas ad harmóniam quamdam pulsáre solent, cáveant omníno ne hujúsmodi pulsatióne cantiónes turpes, inhonestas, & vulgò jactátas imitentur : sed pótiùs hymnórum & canticórum Ecclésiæ modulatiónes.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 7. d. Regnávit Alexander annis duódecim, & mórtuus est ; & obtinué-

runt púeri ejus regnum. 1. Mach. 1. 8.

*Orat. infrà ad Laudes.*

# DOMINICA XXI. post Pentecosten.

## *IN I. NOCTURNO.*

Incípiunt libri Machabæórum.

LECTIO I. lib. 1. c. 1. v. 1.

*Alexander Philippi.*

ET factum est postquam percussit Alexander Philippi Mácedo, qui primus regnávit in Græcia, egressus de terra Cethim, Dárium regem Persárum & Medórũ: constítuit prælia multa, & obtínuit ómnium munitiónes, & interfécit reges terræ. Et pertránsiit usque ad fines terræ; & accépit spólia multitúdinis géntium, & síluit terra in conspectu ejus. Et congregávit virtútem & exércitum fortem nimis: & exaltátum est & elevátum est cor ejus: & obtínuit regiónes géntium & tyrannos, & facti sunt illi in tribútum. Et post hæc décidit in lectum, & cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros suos nóbiles qui secum erant nutríti à juventúte; & divísit illis regnum suum cùm adhuc víveret. Et regnávit Alexander annis duódecim, & mórtuus est.

℟. 1. Quómodò miserétur pater filiórum, * Misertus est Dóminus timéntibus se, quóniam ipse cognóvit figmentum nostrũ: recordátus est quóniam pulvis sumus. *Ps.* 102. 13. 14. ℣. Qui dives est in misericórdia. *Ephes.* 2. 4. * Misertus est.

LECTIO II. v. 9.

*Antiochus vexat Judæos.*

ET obtinuérunt púeri ejus regnum, unusquisque in loco suo. Et imposuérunt omnes sibi diádemata post mortem ejus; & filii eórum post eos annis multis, & multiplicáta sunt mala in terra. Et éxiit ex eis radix peccátrix, Antíochus illustris, filius Antíochi regis, qui fúerat Romæ obses; & regnávit in anno centésimo trigésimo séptimo regni Græcórum. In diébus illis exiérunt ex Israël filii iníqui, & suasérunt multis, dicentes: Eámus, & disponámus testamentum cũ géntibus quæ circa nos sunt: quia ex quo recéssimus ab eis, invenérunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in óculis eórum. Et destinavérunt áliqui de pópulo, & abiérunt ad regem: & dedit illis potestátẽ ut fácerent justítiam géntium. Et ædificavérunt gymnásium in Jerosólymis secundùm leges natiónum: & fecérunt sibi præpútia, & re-

nt à testamento
, & juncti sunt na-
us, & venúmdati
t fácerent malum.
1. In Deo laudábo
nes meos: * In Deo
i; non timébo quid
mihi caro. Ps. 55.
Caro & sanguis re-
Dei possidére non
t. 1. Cor. 15. 50. * In.
TIO III. v. 21.
ochus in Jerusalem.
' convertit Antío-
ius', postquam per-
Ægyptum in centé-
e quadragésimo tér-
no, & ascendit ad
Et ascendit Jero-
am in multitúdine
Et intrávit in san-
tiónem cum supér-
accépit altáre áureũ,
delábrum lúminis,
versa vasa ejus, &
m propositiónis, &
ria, & phíalas, &
ríola áurea, & ve-
& corónas, & orna-
im áureum, quod in
empli erat: & com-
t ómnia. Et accépit
tum, & aurum, &
oncupiscibília: & ac-
thesáuros occúltos
invénit: & sublátis
ous, ábiit in terram
Et fecit cædem hó-
n, & locútus est in
ia magna. Et factus
lanctus magnus in
& in omni loco eó-
e ingemuérunt prín-
cipes & senióres: vírgi-
nes & júvenes infirmáti
sunt: & speciósitas mulíe-
rum immutáta est. Omnis
marítus sumpsit lamen-
tum: & quæ sedébant in
thoro maritáli, lugébant:
& commóta est terra su-
per habitantes in ea, &
universa domus Jacob ín-
duit confusiónem.

℟. III. Rénuit consolá-
ri ánima mea: * Memor
fui Dei, & delectátus sum.
Ps. 76. 4. ℣. Pláceo mihi
in infirmitátibus meis. 2.
Cor. 12. 10. * Memor fui.
℣. Glória. * Memor.

*IN II. NOCTURNO.*

Exhortátio Mathathíæ ad
filios suos.

LECTIO IV. lib. 1. Mach.
c. 2. v. 7.

*Sancta desolata.*

Dixit Mathathías:
Væ mihi! ut quid
natus sum vidére
contritiónem pópuli mei,
& contritiónem civitátis
sanctæ, & sédere illic cùm
datur in mánibus inimi-
córum? Sancta in manu
extraneórum facta sunt;
templum ejus sicut homo
ignóbilis. Vasa glóriæ e-
jus captíva abducta sunt:
trucidáti sunt senes ejus in
platéis, & júvenes ejus
cecidérunt in gládio ini-
micórum. Quæ gens non
hæreditávit regnum ejus,
& non obtínuit spólia e-
jus? Omnis composítio

ejus abláta est. Quæ erat líbera, facta est ancilla. Et ecce sancta nostra, & pulchritúdo nostra, & cláritas nostra desoláta est, & coinquinavérunt ea gentes. Quò ergo nobis adhuc vívere?

℟. IV. Dilexi testimónia tua, Dómine: * Confige timóre tuo carnes meas; à judíciis enim tuis tímui. *Psal.* 118. *v.* 120. ℣. Scio quia non hábitat in me, hoc est in carne mea, bonum. *Rom.* 7. 18. * Confige.

LECTIO V. v. 49.

*Sanctorum exemplo hortatur.*

NUnc confortáta est supérbia, & castigátio, & tempus eversiónis, & ira indignatiónis. Nunc ergo, ô filii, æmulatóres estóte legis, & date ánimas vestras pro testamento patrum vestrórum, & mementóte óperum patrum quæ fecérunt in generatiónibus suis: & accipiétis glóriam magnam & nomen ætérnum. Abraham nonne in tentatióne inventus est fidélis: & reputátum est ei ad justítiam? Joseph in témpore angústiæ suæ custodívit mandátum, & factus est dóminus Ægypti. Phínees pater noster zelando zelum Dei accépit testaméntum sacerdótii ætérni. Jesus, dum implévit verbum, factus est dux in Israël. Caleb, dum testificátur in Ecclésia, accépit hæreditátem. David in sua misericórdia consecútus est sedem regni in sécula. Elías, dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. Anánias, & Azárias, & Mísael credentes, liberáti sunt de flamma. Dániel in sua simplicitáte liberátus est de ore leónum.

℟. V. Non secundùm peccáta nostra fecit nobis Dóminus; * Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terra corroborávit misericórdiam suam super timentes se. *Ps.* 102. 10. 11. ℣. Salus Deo nostro qui sedet super thronum. *Apoc.* 7. 10. * Quóniam.

LECTIO VI. v. 61.

*Optat agant viriliter.*

ET ita cogitáte per generatiónem & generatiónem: quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur. Et à verbis viri peccatóris ne timúeritis; quia glória ejus stercus & vermis est: hódie extóllitur, & cras non inveniétur; quia convérsus est in terram suam, & cogitátio ejus périit. Vos ergo, filii, confortámini, & viríliter ágite in lege, quia in ipsa gloriósi éritis. Et ecce Simon frater

scio quòd vir con-
ipsum audíte sem-
t ipse erit vobis pa-
: Judas Machabæus
víribus à juventúte
o vobis princeps mi-
& ipse aget bellum
. Et adducétis ad
nes factóres legis:
licáte vindíctâ pó-
stri. Retribúite re-
iónem géntibus, &
iee in præceptum

. Dómine Deus om-
us, justæ & veræ
iæ tuæ: * Quis non
it te, Dómine, &
ificábit nomen tuū?
15. 3. 4. ℣. Pleni-
sapiéntiæ est timére
, & plenitúdo à frú-
illíus. Eccli. 1. 20.
is non. ℣. Glória. *
non.

II. NOCTURNO.
Epístola beáti Pauli
stoli ad Romános.
IO VII. c. 8. v. 31.
aritate non deficien-
dum.

Deus pro nobis,
uis contra nos? Qui
tiam próprio Fílio
on pepercit, sed pro
ómnibus trádidit
: quómodò non étiā
illo ómnia nobis do-
? Quis accusábit ad-
us eléctos Dei? Deus
stíficat. Quis est qui
emnet? Christus Je-
ui mórtuus est, im-
mò qui & resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separábit à charitáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius?

℟. VII. Vidébo cœlos tuos, Dómine, ópera digitórum tuórum, lunam & stellas quæ tu fundasti; * Quid est homo, quòd memor es ejus? Ps. 8. 4. 5. ℣. Quæ est enim vita? vapor est ad módicum parens. Jacob. 4. 15. * Quid est.

LECTIO VIII. v. 36.
*Christiani ad mortem parati.*

SCriptum est: Quia propter te mortificámur totâ die; æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus, propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à charitáte Dei quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. VIII. Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * Omnis terra a-

dóret te & psallat tibi; psalmū dicat nómini tuo. *Ps. 65. 3. 4.* ℣. Pater noster qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum. *Matth. 6. 9.* * Omnis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 18: v. 23.

*Rex debitum dimittens.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Assimilátum est regnum cœlórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 3. in Matth.*

FAmiliáre est Syris, & máximè Palæstínis, ad omnem sermónem suum parábolas júngere, ut quod per simplex præceptum tenéri ab auditóribus non potest, per similitúdinem exemplaque teneátur. Præcépit itaque Dóminus Petro sub comparatióne regis & dómini, & servi qui débitor decem míllium talentórum, à dómino rogans véniam impetráverat, ut ipse quoque dimittat conservis suis minóra peccántibus. Si enim ille rex & dóminus servo suo debitóri decem míllia talentórum tam fácilè dimísit: quantò magis servi conservis suis debent minóra dimíttere? Quod ut maniféstius fáciat, dicámus sub exemplo. Si quis nostrûm commíserit adultérium, homicídium, sacrilégium, majóra crímina; decem míllia talentórum rogántibus dimittuntur, si & ipsi dimittant minóra peccántibus. Sin autem ob factam contumélium simus implacábiles, & propter amárius verbum pérpetes habeámus discórdias; nonne nobis vidémur rectè redigendi in cárcerem, & sub exemplo óperis nostri hoc ágere, ut majórum nobis delictórū vénia non relaxétur?

℟. IX. Quibus jurávit Deus non introíre in réquiem ipsíus, nisi illis qui incréduli fuérunt? * Timeámus ergo † Ne fortè relíctâ pollicitatióne introeundi in réquiem ejus, existimétur áliquis deesse. *Hebr. 3. 18.* ℣. In timóre Dómini fidúcia fortitúdinis; timor Dómini fons vitæ. *Pr. 14. 26. 27.* * Timeámus. ℣. Glória. † Ne.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 2. D. Prócidens servus ille orábat eum, dicens: Patiéntiam habe in me, & ómnia reddam tibi. *Matt. 18. 26.*

Orémus.

FAmíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínuâ pietáte custódi: ut

à

à cunctis adversitátibus, te protegente, sit líbera, & in bonis áctibus tuo nómini sit devóta; Per.

*CANON.*

Ex Concílio Frignigensi.

*An.* 1440. *cap.* 15.

VOlumus omnes Sacerdótes qui paróchiis præsunt, síngulis diébus Domínicis aquam & sal benedícere; ac eosdem unà cum Clero ad ipsas Ecclésias spectante, horis consuétis ante missárum solémnia processionáliter circumíre.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1.G. Irátus dñs ejus trádidit eum tortóribus, quoadusque rédderet universum débitum. *Matth.* 18. 34.

*Oratio ut suprà.*

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l.1.c.1.v.30.

*Mittitur princeps tributorum.*

POst duos annos diérum, misit rex príncipem tributórum in civitátes Juda, & venit Jerúsalem cum turba magna. Et locútus est ad eos verba pacífica in dolo: & credidérunt ei. Et írruit super civitátem repentè, & percussit eam plagâ magnâ, & pérdidit pópulum multum ex Israël. Et accépit spólia civitátis: & succendit eam igni, & destruxit domos ejus & muros ejus in circúitu: & captívas duxérunt mulíeres: & natos & pécora possedérunt. Et ædificavérunt civitátē David muro magno & firmo, & túrribus firmis, & facta est illis in arcem: & posuérunt illic gentem peccatrícem, viros iníquos, & convaluérunt in ea: & posuérunt arma & escas, & congregavérunt spólia Jerúsalē.

℟. Quómodò. 332.

LECTIO II. v. 37.

*Desolatio Jerusalem.*

ET reposuérunt illic, & facti sunt in láqueum magnum. Et factum est hoc ad insídias sanctificatióni, & in diábolum malum in Israël. Et effudérunt sánguinem innocentē per circúitum sanctificatiónis, & contaminavérunt sanctificatiónem. Et fugérunt habitatóres Jerúsalem propter eos, & facta est habitátio exterórum, & facta est éxtera sémini suo, & nati ejus reliquérunt eam. Sanctificátio ejus desoláta est sicut solitúdo; dies festi ejus conversi sunt in luctum, sábbata ejus in oppróbrium, honóres ejus in níhilum. Secundùm glóriam ejus multiplicáta est ignomínia ejus: & sublímitas ejus conversa est in luctum.

℟. In Deo. 332.

secundum verbum regis Antíochi : & multi ex Israël consensérunt servitúti ejus, & sacrificavérunt idólis, & coinquinavérunt sábbatum. Et misit Rex libros per manus nuntiórum in Jerúsalem & in omnes civitátes Juda : ut sequerentur leges géntium terræ. Et prohibérent holocausta & sacrifícia, & placatiónes fieri in templo Dei, & prohibérent celebrári sábbatum & dies solemnes.

℟. Rénuit. 333.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

*An. 1565. part. 2. tit. 5.*

ORatoriórum ædificatiónem aut usum, ne fácilè, sed magnâ de causâ permittant Epíscopi. . . .

stificatiónes Dei
cumque non fec
cundùm verbum r
tíochi, morerent
cundùm ómnia v
scripsit omni reg
& præpósuit prín
pulo, qui hæc fie
rent. Et jussérun
tibus Juda sacrifi

℟. Dílexi. 334

LECTIO II.

*Idolum super*

ET congrega
multi de pó
eos qui derelíqu
gem Dómini; &
mala super terra
fugavérunt pópul
in ábditis, & in
ditis fugitivórur
Die quintâ décin
sis Casleu, quint
dragésimo & c

runt igni, scindentes eos: & apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Dómini, & quicumque observábat legẽ Dómini, secundùm edictum regis trucidábant eum. In virtúte sua faciébant hæc pópulo Israël qui inveniebátur in omni mense & mense in civitátibus.

℟. Non secundùm. 334.

LECTIO III. v. 62.

*Mulieres trucidatæ.*

ET quintâ & vigésimâ die mensis sacrificábant super aram quæ erat contra altáre. Et mulíeres quæ circumcidébant fílios suos, trucidabantur secundùm jussum regis Antíochi. Et suspendébant púeros à cervícibus per univérsas domos eórum: & eos qui circumcíderant, illos trucidábant. Et multi de pópulo Israël definiérunt apud se, ut non manducárent immunda: & elegérunt magis mori, quàm cibis coinquinári immundis: & noluérunt infríngere legem Dei sanctam, & trucidáti sunt: & facta est ira magna super pópulum valdè.

℟. Dómine Deus. 335.

C A N O N.

Ex Statútis synodálibus diœcésis Carcassonensis.

*An.* 1272. *cap.* 11.

PRæcípimus ut vasa Ecclésiæ, & altáris linteámina, corporália, Ministrórum vestimenta, & cætera ornamenta, munda & nítida conserventur.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 2. c. 4. v. 1.

*Summi sacerdotes sacrilegi.*

SImon prædictus pecuniárum & pátriæ delátor, malè loquebátur de Onía, tamquam ipse Heliodórum instigasset, & ipse fuisset incentor malórum. Consíderans Onías periculũ contentiónis, & Apollónium insaníre, útpote ducem Cœlesyriæ & Phœnícis, ad augendam malítiam Simónis, ad regem se cóntulit. Vidébat enim sine regáli providéntia impossíbile esse pacem rebus dari, nec Simónem posse cessáre à stultítia sua. Sed post Seleuci vitæ excessũ, cùm suscepisset regnum Antíochus qui Nóbilis appellabátur, ambiébat Jason frater Oníæ summum sacerdótium: ádito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex redítibus áliis talenta octoginta. Quod cũ rex annuisset, & obtinuisset principátum, statim ad gentílem ritum contríbules suos transferre cœpit. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnásium

constitúere, & óptimos quosque ephebórum in lupanáribus pónere. Et post triénnii tempus misit Jason Meneláum portantem pecúnias regi: at ille commendátus regi, in semetipsum retorsit summum sacerdótium. Meneláus autem principátum quidem obtínuit: de pecúniis verò regi promissis nihil agébat. Et Meneláus amótus est à sacerdótio, succedente Lysímacho fratre suo.

℟. Vidébo. 335.

LECTIO II. v. 30.

*Mors Oniæ.*

CUm hæc agerentur, cóntigit Tharsenses & Mallótas seditiónem movére, eò quòd Antióchidi regis concubínæ dono essent dati. Festinanter ítaque rex venit sedáre illos, relicto suffecto uno ex comítibus suis Andrónico. Ratus autem Meneláus accepisse se tempus opportúnum, áurea quædam vasa è templo furátus, donávit Andrónico, & ália vendíderat Tyri & per vicínas civitátes. Quod cùm certíssimè cognovisset Onías, arguébat eum, ipse in loco tuto se cóntinens Antiochíæ secus Daphnem. Unde Meneláus accédens ad Andrónicum, rogábat ut Oníam interfíceret. Qui cùm venisset ad Oníam, & datis dextris cum jurejurando, (quamvis esset ei suspectus,) suasisset de asylo procédere, statim eum perémit, non véritus justítiam. Sed regressum regem de Cilíciæ locis adiérunt Judæi apud Antiochíam, simul & Græci, conquerentes de iníqua nece Oníæ. Contristátus ítaque ánimo Antíochus propter Oníam, accensísque ánimis, Andrónicum púrpurâ exútum per totam civitátem jubet circumdúci: & in eódem loco, in quo in Oníam impietátem commíserat, sacrílegum vitâ privári, Dómino illi condignam retribuente pœnam.

℟. Quàm terribília. 335.

LECTIO III. v. 39.

*Menelai seditio.*

MUltis autem sacrilégiis in templo à Lysímacho commissis Menelái consílio, & divulgátâ famâ, congregáta est multitúdo advérsùm Lysímachum, multo jam auro exportáto: ipsum etiam sacrílegum secùs ærárium interfecérunt. De his ergo cœpit judícium advérsùs Meneláum agitári. Et cùm superarétur Meneláus, promísit Ptolemæo multas pecúnias dare ad suadendum regi. Itaque Ptolemæus in quodam átrio

n quasi refrigerandi
regem ádiit, & de-
à senténtiæ: & Me-
a quidem universæ
e reum crimínibus
it: míseros autem,
iamsi apud Scythas
a dixissent, inno-
judicarentur, hos
damnávit. Mene-
utem, propter cú-
ii in poténtia erant,
am, permanébat
státe, crescens in
ı ad insídias cí-

Quibus. *pag.* 336.
*A N O N.*
atútis synodálibus
céfis Carcasso-
nensis.
1272. *Cap.* 11.
namenta Miníſtró-
um Ecclesiárum &
m; pallæ, corpo-
cruces, & cálices
t benedíci & confe-
er Epíscopum, án-
n divíno officio &
o deputentur.
IA QUINTA.
ris Machabæórum.
O I. *lib.* 2. c. 5. v. 1.
*e armati exercitus.*
Odem témpore, An-
íochus secundam
profectiónem pará-
Ægyptum. Cónti-
tem per universam
lymórum civitátem
diébus quadraginta
ra équites discur-
, aurátas stolas ha-
bentes, & hastis, quasi
cohortes, armátos; &
cursus equórum per órdi-
nes digestos, & congres-
siónes fíeri cóminùs, &
scutórum motus, & ga-
leatórum multitúdinem
gládiis distríctis, teló-
rum jactus, & aureórum
armórum splendórem,
omnisque géneris loricá-
rum. Quapropter omnes
rogábant in bonum mon-
stra converti. Sed cùm
falsus rumor exisset, tam-
quàm vitâ excessisset An-
tíochus, assumptis Jason
non minùs mille viris,
repentè aggressus est civi-
tátem: & cívibus ad mu-
rum convolántibus, ad
últimum apprehensâ civi-
táte, Meneláus fugit in
arcem.

℟. Quómodò. *pag.* 332.

LECTIO II. v. 6.

*Jason apud exteros mor-
tuus.*

JAson verò non parcé-
bat in cæde cívibus
suis, nec cogitábat pros-
peritátem adversùm co-
gnátos malum esse máxi-
mum, árbitrans hóstium,
& non cívium, se trophæa
captúrum. Et principátū
quidem non obtínuit, fi-
nem verò insidiárum suá-
rum confusiónem accé-
pit, & prófugus íterùm
ábiit in Ammaníten. Ad
últimum, in exítium suî
conclúsus ab Aréta Ara-

bum tyranno, fúgiens de civitáte in civitátem, ómnibus odiósus ut réfuga legum, & execrábilis ut pátriæ & cívium hostis, in Ægyptum extrúsus est: & qui multos de pátria sua expúlerat, péregrè périit; Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatióne ibi refúgium habitúrus: & qui insepultos multos abjécerat, ipse & illamentátus & insepultus abjícitur, sepultúrâ neque peregrínâ usus, neque pátrio sepulcro partícipans.

℟. In Deo. *pag.* 332.

LECTIO III. v. 11.

*Cædes in Jerusalem.*

HIs ítaque gestis, suspicátus est rex societátem desertúros Judæos: & ob hoc profectus ex Ægypto efferátis ánimis, civitátem quidem armis cepit. Jussit autem milítibus interfícere, nec párcere occursántibus, & per domos ascendentes trucidáre. Fiébant ergo cædes júvenum ac seniórum, & mulíerum, & natórum extermínia, virginumque & parvulórum neces. Erant autem toto tríduo octoginta míllia interfecti, quadraginta míllia vincti, non minùs autem venúmdati. Sed nec ista sufficiunt: ausus est étiam intráre templum universâ terrâ sánctius, Menelào ductóre, qui legum & pátriæ fuit próditor: & scelestis mánibus sumens sancta vasa, quæ ab áliis régibus & civitátibus erant pósita ad ornátum loci, & glóriam, contrectábat indignè, & contaminábat.

℟. Rénuit. *pag.* 333.

*CANON.*

Ex Concílio Tolosáno.

*An.* 1590. *c.* 1. *n.* 3.

QUæ sacris rerum divinárũ úsibus erunt comparáta, numquam prophánis úsibus inserviénda mútuò concedantur, nec promíscuâ seculárium attrectatióne polluantur.

FERIA SEXTA.

De libris Machabæórum.

LECT. I. *lib.* 2. c. 5. v. 22.

*Præpositorum ab Antiocho crudelitas.*

REliquit autem Antíochus & præpósitos ad affligendam gentem: Jerosólymis quidem Philippum génere Phrygem, móribus crudeliórem eo ipso, à quo constitútus est: in Garízim autem Andrónicum & Meneláum, qui gráviùs quàm cæteri imminébant cívibus. Cumque appósitus esset contra Judæos, misit odiósum príncipem Apollónium cum exércitu vìginti & duóbus míllibus

præcípiens ei om-
rfectæ ætátis inter-
, mulíeres ac júve-
éndere. Qui cùm
:t Jerosólymam ,
símulans , quiévit
ad diem sanctum
ti : & tunc feriátis
, arma cápere suis
iit. Omnésque qui
ctáculum procésse-
trucidávit : & civi-
cum armátis dis-
s , ingentem mul-
tem perémit.
Dílexi. *pag.* 334.
TIO II. c. 6. 1.
*m fœdissimè profa-
natum.*
On post multùm
émporis , misit rex
quemdam Antio-
n , qui compélleret
s , ut se transferrent
iis & Dei légibus :
nináre étiam quod
osólymis erat tem-
, & cognomináre
Olympii ; & in Ga-
, prout erant hi qui
inhabitábant , Jo-
lospitális. Péssima
& univérsis gravis
nalórum incúrsio :
emplum luxúriâ &
tatiónibus géntium
lenum ; & scortán-
:um meretrícibus ,
sque ædibus mulíe-
ultrò ingerébant ,
ferentes ea quæ
cébat. Altáre étiam
a erat illícitis ,
quæ légibus prohibeban-
tur.

℟. Non secundùm. *pag.* 334.

LECTIO III. v. 6.
*Inaudita crudelitas.*

NEque autem Sábbata custodiebantur , neque dies solemnes pátrii servabantur , nec simplíciter Judæum se esse quisquam confitebátur. Ducebantur autem cum amára necessitáte in die natális regis ad sacrifícia : & cùm Líberi sacra celebrarentur , cogebantur héderâ coronáti Líbero circuíre. Decrétum autem éxiit in próximas gentílium civitátes , suggeréntibus Ptolemæis , ut pari modo & ipsi adversùs Judæos ágerent , ut sacrificárent : eos autem qui nollent transíre ad instítúta géntium, interfícerent ; erat ergo vidére misériam. Duæ enim mulíeres delátæ sunt natos suos circumcidisse : quas infántibus ad úbera suspensis cùm públicè per civitátem circumduxissent , per muros præcipitavérunt. Alii verò , ad próximas coëuntes speluncas , & latenter Sábbati diem celebrantes , cùm indicáti essent Philippo , flammis succensi sunt , eò quòd vereban- tur, propter religiónem & observántiam , manu

sibimet auxílium ferre.

℟. Dómine Deus. *pag.* 335.

C A N O N.

Ex Concílio Avenionensi. *An.* 1594. *cap.* 24.

CAlices ad Missæ Sacrifícium non adhibeantur nisi argéntei, ab interióri parte inauráti.... Sint verò instructi paténâ inaurátâ ad dignoscendas partículas commodióre.

S A B B A T O.

De libris Machabæórum.

Lectio I. *lib.* 2. c. 6. 18.

*Generosus Eleazari animus.*

IGitur Eleázarus unus de primóribus scribárum, vir ætáte provectus, & vultu decórus, aperto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, voluntárie præíbat ad supplícium. Intuens autem quemádmodùm oportéret accédere; patienter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui astábant, iníquâ miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tollentes eum secrétò rogábant afferri carnes, quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducasse, sicut rex imperáverat, de sacrifícii cárnibus; ut, hoc facto, à morte liberarétur: & propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

Lectio. II. v. 23.

*Eleazarus de religione præclarè sentiens.*

AT ille cogitáre cœpit ætátis ac senectútis suæ eminéntiam dignam, & ingénitæ nobilitátis canítiem, atque à púero óptimæ conversatiónis actus: & secundùm sanctæ & à Deo cónditæ Legis constitúta, respondit citò, dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætáti nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescéntium, arbitrantes Eleázarum nonagínta annórum transisse ad vitam alienigenárum; & ipsi propter meam simulatiónem, & propter módicum corruptíbilis vitæ tempus, decipiantur; & per hoc máculam atque execratiónem meæ senectúti conquíra. Nam etsi in præsenti témpore supplíciis hóminum erípiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effúgiam. Quamóbrem fórtiter vitâ excedendo, senectúte quidē dignus apparébo: adolescéntibus autem exemplū

linquam, si promp-
no, ac fórtiter pro
mis ac sanctíssimis
honestâ morte per-
.
TIO III. v. 28.
ors Eleazari.
s dictis confestim
d supplícium trahe-
Hi autem qui eum
nt, & paulò antè
t mitióres, in iram
si sunt propter ser-
ab eo dictos, quos
r arrogántiam pro-
rbitrabantur. Sed,
lagis perimerétur,
uit, & dixit: Dó-
qui habes sanctam
am, manifestè tu
quia, cùm à morte
liberári, duros
is sustíneo dolóres:
lùm ánimam verò
r timórem tuum li-
hæc pátior. Et iste
n hoc modo vitâ
it, non solùm juvé-
, sed & universæ
memóriâ mortis
d exemplum virtú-
fortitúdinis derelin-
.
C A N O N.
ncílio Mediolanensi
quarto.
573. part. 2. tit. 4.
as píxides unaquæ-
que Parochiális Ec-
saltem hábeat: ál-
formâ majóri ad
sacræ Communió-
pulo in Ecclésia mi-
nistrandæ: álteram minóri, quâ sanctíssimum Sacramentum ad infirmos deferátur.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. D. Judas Machabæus secésserat in desertum locũ cum suis, ne partícipes essent coinquinatiónis. *Lib. 2. Mach. 5. 27.*

*Oratio, infra ad Laudes.*

DOMINICA XXII. post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

De libris Machabæórum.

LECT. I. *lib.* 2. c. 7. v. 1.

*Septem fratres cum matre.*

Contigit autem & septem fratres unà cum matre sua apprehensos, compelli à rege édere contra fas carnes porcínas, flagris & táureis cruciátos. Unus autẽ ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis díscere à nobis? paráti sumus mori magis, quàm pátrias Dei leges prævaricári. Irátus ítaque rex, jussit sartágines & ollas æneas succendi: quibus statim succensis, jussit ei qui prior fúerat locútus, amputári linguam; & cute cápitis abstractâ, summas quoque manus & pedes ei præscindi, cæteris ejus frátribus & matre inspiciéntibus. Et cùm jam per ómnia inútilis factus esset, jussit ignem

admovéri, & adhuc spirantem torréri in sartágine: in qua cùm diu cruciarétur, cæteri unà cum matre ínvicem se hortabantur mori fórtiter, dicentes: Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis, quemádmodum in protestatióne cántici declarávit Móyses: Et in servis suis consolábitur.

℟. I. Concupíscit, & déficit ánima mea in átria Dómini: * Cor meum & caro mea exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83. 3. ℣. Etiam, Dómine, tu scis, quia amo te. *Joan.* 21. 16. * Cor.

LECTIO II. v. 7.
*Tres moriuntur.*

MOrtuo ítaque illo primo, hoc modo sequentem deducébant ad illudendum: & cute cápitis ejus cum capillis abstractâ interrogábant, si manducáret priùs, quàm toto córpore per membra síngula punirétur. At ille respondens pátriâ voce, dixit: Non fáciam. Propter quod & iste, sequenti loco, primi tormenta suscépit. Et in último spíritu constitútus, sic ait: Tu quidem, scelestíssime, in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit. Post hunc tértius illúditur, & linguam postulátus citò prótulit, & manus constanter extendit: & cum fidúcia ait: E cœlo ista possídeo; sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero: ita ut rex, & qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis ánimum, quòd tamquam níhilum dúceret cruciátus.

℟. II. Duo rogávi te, Dómine, ne déneges mihi ántequam móriar: * Vanitátem & verba mendácia longè fac à me. *Prov.* 30. *v.* 7. 8. ℣. Dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino. 2. *Cor.* 5. 6. * Vanitátem.

LECTIO III. v. 13.
*Cæteri cum matre necantur.*

ET hoc ita defuncto, quartũ vexábant símiliter torquentes. Et cùm jam esset ad mortem, sic ait: Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, iterùm ab ipso resuscitandos: tibi enim resurréctio ad vitam non erit. Et cùm admovissent quintum, vexábant eum: at ille respíciens in eum dixit: Potestátem inter hómines habens, cùm sis corruptíbilis, facis quod vis: noli autem putáre

nostrum à Deo esse
tum. Tu autem pa-
stine, & vidébis
m potestátem ip-
uáliter te & semen
orquébit. Post hunc
it sextum, & is
ncípiens, sic ait:
ustra erráre: nos
propter nosmetip-
: pátimur, peccan-
Deum nostrum, &
admiratióne facta
n nobis; tu au-
exístimes tibi im-
turum, quòd con-
um pugnáre tentá-
supra modum auté
mirábilis, & bonó-
mória digna, quæ
tes septem filios
íus diéi témpore
iens, bono ánimo
, propter spem quã
um habébat: sin-
llórum hortabátur
átriâ fórtiter, re-
apiéntiâ, & femí-
gitatióni masculí-
imimum ínserens.
imè autem post fi-
mater consumpta.

ıv. Bonum facien-
r deficiámus; tém-
um suo metémus
ficientes: * Ergo
empus habémus,
émur bonum. Gal.
10. ℣. Breves dies
s sunt. Job. 14. v.
rgo. ℣. Glória. †
nus.

IN II. NOCTURNO.

Exhortátio matris ad filios, & adolescentióris respónsio.

LECTIO IV. l. 2. Mach. c. 7. v. 22

*Matris constantia.*

DIxit ad eos: Néscio quáliter in útero meo apparuístis: neque enim ego spíritum & ánimam donávi vobis & vitam, & singulórum membra non ego ipsa compégi: sed enim mundi Creator, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit oríginem, & spíritum vobis iterùm cum misericórdia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despícitis propter leges ejus. Inclináta ad adolescentiórē, irrídens crudélem tyrannum, ait pátriâ voce: Fili mi, miserére meî, quæ te in útero novem ménsibus portávi, & lac triénnio dedi & álui, & in ætátem istam perduxi.

℟. IV. Si spíritu vívimus, spíritu & ambulémus: * Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocantes, ínvicem invidentes. *Gal. 5. v. 25.* ℣. Mélior est pátiens viro forti; & qui dominátur ánimo suo, expugnatóre úrbium. *Prov. 16. v. 32.* * Non efficiámur.

LECTIO V. v. 28.
*Firmus adolescentioris animus.*

PEto, nate, ut aſpícias ad cœlum & terram, & ad ómnia quæ in eis ſunt, & intélligas, quia ex níhilo fecit illa Deus; & hóminum genus: ita fiet, ut non tímeas carníficem iſtum; ſed dignus frátribus tuis effectus párticeps, ſúſcipe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam. Cùm hæc illa adhuc díceret, ait adoleſcens: Quē ſuſtinétis? Non obédio præcepto regis; ſed præcepto legis quæ data eſt nobis per Móyſen. Tu verò qui inventor omnis malítiæ factus es in Hebræos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis noſtris hæc pátimur. Et ſi nobis propter increpatiónem & correptiónem Dóminus Deus noſter módicum irátus eſt: ſed íterùm reconciliábitur ſervis ſuis.

℟. V. Benedictus es, Dómine Deus Iſraël, patris noſtri: * Tua eſt, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória. 1. *Par.* 29. *v.* 10. ℣. Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. 1. *Cor.* 1. *v.* 31. * Tua eſt, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória.

LECTIO VI. v. 3
*Increpat tyrannum*

TU autem, ô ſcel & ómnium hóm flagitioſíſſime, noli ſtrà extolli vanis ſp in ſervos ejus inflam tus: nondum enim nipotentis Dei, & ó inſpicientis judíciu fugiſti. Nam fratres módico nunc dolór ſtentáto, ſub teſtam æternæ vitæ effecti ſ tu verò judício Dei j ſupérbiæ tuæ pœnas ves. Ego autem, ſic fratres mei, ániman corpus meum trado pátriis légibus, ínvo Deum matúriùs genti ſtræ propítium fieri, t cum tormentis & ver bus confitéri quòd eſt Deus ſolus. In verò & in frátribus déſinet Omnipotenti quæ ſuper omne g noſtrum juſtè ſuper eſt.

℟. VI. Bonitátem ſti cum ſervo tuo, mine, ſecundùm ver tuum: * Bonitáter diſciplínam, & ſcién doce me; † Quia n dátis tuis crédidi. *Pſ.* *v.* 65. ℣. Credo, mine; ádjuva incre tátem meam. *Marc.* 23. * Bonitátem. ℣. ria. † Quia mandátis crédidi.

IN III. NOCTURNO.
De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

LECTIO VII. c. 3. 1.
*Hominum corruptela.*

HOc scito, quòd in novíssimis diebus instábunt témpora periculósa: erunt hómines seipsos amantes, cúpidi, eláti, superbi, blasphémi, paréntibus non obedientes, ingráti, scelesti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinentes, immítes, sine benignitáte, proditóres, protervi, túmidi, & voluptátum amatóres magis quàm Dei. Sed ultrà non profícient.

℟. VII. Dómine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hóminis, quia réputas eum? * Homo vanitáti símilis factus est; dies ejus sicut umbra prætéreunt. *Ps.* 143. *v.* 3. 4. ℣. Quid est homo, Dómine, quòd memor es ejus? *Heb.* 2. 6. * Homo.

LECTIO VIII. v. 13.
*In doctrina sana perseverandum.*

MAli autem hómines, & seductóres profícient in pejus; errantes, & in errórem mittentes. Tu verò pérmane in iis quæ didicisti, & crédita sunt tibi: sciens à quo didíceris; & quia ab infántia sacras litteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divinitùs inspiráta, útilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justítia.

℣. VIII. Dómine Deus noster, * Possedérunt nos dómini absque te; tantùm in te recordémur nóminis tui. *Is.* 26. *v.* 13. ℣. Dómine, adauge nobis fidem. *Luc.* 17. 5. * Possedérunt.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 22. 15.
*Quæ Cæsaris, Cæsari; quæ Dei, Deo reddenda.*

IN illo témpore; Abeuntes Pharisæi, consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et réliqua.

Homília sancti Justíni Mártyris.
*Apologia 2. ad Imperat. Antoninum Senatumque Romanum, anno 150.*

TRibúta & census iis qui à vobis constitúti sunt, ubíque imprímis conámur péndere; quemádmodùm à Christo instituti sumus. Cùm enim quidam ad eum adissent, quærerentque num tribútum pendendum esset Cæsari, quæsivissetque eis vicissim, cujus imáginem

& simulácrum nummus habéret; ac respondissent, Cæsaris: rursùs eis respondit: Réddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo. Hunc Deum solum adorámus: vobis autem in áliis rebus servímus, regesque vos & príncipes hóminum esse profitémur, rogamusque, ut vos cum regáli potestáte sanam, bonamque mentem habére inveniámini. Quòd si nobis étiam precántibus & in lucem ómnia proferéntibus negligétis; nihil ex eo detrimenti capiémus, quòd credámus, atque adeò nobis persuasérimus, unumquemque pro dignitáte eórum quæ gésserit, pœnas ignis æterni datúrum esse, atque pro portióne eórum bonórum, quæ accéperit, ratiónem esse redditúrum.

℟. IX. Humílium & mansuetórum semper tibi plácuit deprecátio, Deus cœlórum, Creátor aquárum, & Dóminus totíus creatúræ: * Exaudi me deprecantem & de tuâ misericórdiâ præsumentem. *Judith.* 9. *v.* 16. 17. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. *Luc.* 18. *v.* 13. * Exaudi. ℣. Glória. * Exaudi.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 8. G. Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritáte doces. *Matth.* 22. 16.

Orémus.

Deus, refúgium nostrum, & virtus: adesto piis Ecclésiæ tuæ précibus, autor ipse pietátis; & præsta, ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur; Per Dóminum.

*C A N O N.*

Ex Concílio Moguntíno.

*An.* 1549. *capit.* 61.

Sanctórum celebritátes in diem domínicâ incidentes, censémus submovendas, & in fériam áliquam præcedentem vel sequentem transferendas, quò Sanctórum ómnium Dómino, sua conservétur solémnitas: exceptis beátæ Maríæ, Apostolórū, & áliis summis festivitátibus.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. D. Audientes miráti sunt, & relicto eo abiérunt. *Matth.* 22. 22.

*Oratio ut suprà.*

## FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

Lectio I. *lib.* 1. c. 2. v. 1.

*Planctus Mathathiæ.*

In diébus illis surrexit Mathathías filius Joánis, filii Simeónis, sacerdos ex fíliis Jóarib ab Jerúsalē, & consédit in monte Modin. Et habébat fílios quinque: Joannem, qui cognominabá-

tur Gaddis ; & Simeónem, qui cognominabátur Thasi ; & Judam, qui vocabátur Machabæus ; & Eleázarum, qui cognominabátur Abaron ; & Jónathan, qui cognominabátur Apphus. Hi vidérunt mala quæ fiébant in pópulo Juda, & in Jerúsalem : & scidit vestimenta sua Mathathías, & filii ejus ; & operuérunt se cilíciis, & planxérunt valdè.

℟. Concupiscit. *p.* 346.

LECTIO II. v. 15.

*Invitatur ad sacrificandum.*

ET venérunt qui missi erant à rege Antíocho, ut cógerent eos qui confúgerant in civitátem Modin, immoláre, & accéndere thura, & à lege Dei discédere ; & multi de pópulo Israël consentientes accessérunt ad eos : sed Mathathías, & filii ejus constanter stetérunt ; & respondentes qui missi erant ab Antíocho, dixérunt Mathathíæ : Princeps & claríssimus & magnus es in hac civitáte, & ornátus filiis & frátribus. Ergo accéde prior : & fac jussu regis, sicut fecérunt omnes Gentes, & viri Juda, & qui remansérunt in Jerúsalem : & eris tu, & filii tui, inter amícos regis, & amplificátus auro & argénto, & munéribus multis.

℟. Duo rogávi. *p.* 346.

LECTIO III. v. 19.

*Constantia Mathathiæ.*

ET respondit Mathathías, & dixit magnâ voce : Et si omnes Gentes regi Antíocho obédiunt, ut discédat unusquisque à servitúte legis patrum suórum, & conséntiat mandátis ejus : ego, & filii mei, & fratres mei, obediémus legi patrum nostrórum. Propítius sit nobis Deus : non est nobis útile relínquere legem & justítias Dei. Non audiémus verba regis Antíochi ; nec sacrificábimus, transgredientes legis nostræ mandáta, ut eámus álterâ viâ. Et ut cessávit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in ómnium óculis sacrificáre idólis super aram in civitáte Modin, secundùm jussum regis : & vidit Mathathías, & dóluit, & contremuérunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundùm judícium legis, & insíliens trucidávit eum super aram : sed & virum quem rex Antíochus míserat, qui cogébat immoláre, occídit in ipso témpore, & aram destruxit, & zelátus est legem, sicut fecit Phínees Zamri fílio Salómi.

℟. Bonum. *page* 347.

*CANON.*

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

*An.* 1576. *part.* 1. *n.* 14.

CŒmetéria, ut muro, vel áliàs tutè úndique sepiantur, & eórum ingressus béstiis occludátur, curet Epíscopus diligenter. In eórum médio crux firmíter erecta sit.

FERIA TERTIA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. c. 2. v. 27.

*Fugiunt in montes.*

EXclamávit Mathathías voce magnâ in civitáte, dicens: Omnis qui zelum habet legis státuens testamentum, éxeat post me. Et fugit ipse, & filii ejus in montes, & reliquérunt quæcumque habébant in civitáte. Tunc descendérunt multi quærentes judícium & justítiam, in desertum: & sedérunt ibi ipsi, & filii eórum, & mulíeres eórum, & pécora eórum: quóniam inundavérunt super eos mala. Et renunciátum est viris regis, & exercítui qui erat in Jerúsalem civitáte David, quóniam discessíssent viri quidam, qui dissipavérunt mandátum regis, in loca occulta in deserto, & abiíssent post illos multi. Et statim perrexérunt ad eos, & constituérunt adversùs eos prælium in die sabbatórũ. Et dixérunt ad eos: Resístitis & nunc adhuc? exíte, & fácite secundùm verbum regis Antíochi, & vivétis.

℟. Si spíritu. *pag.* 347.

LECTIO II. v. 34.

*Judæi Sabbato cæsi.*

DIxérunt: Non exíbimus, neque faciémus verbum regis, ut polluámus diem sabbatórum. Et concitavérunt adversùs eos prælium. Et non respondérunt eis, nec lápidem misérunt in eos, nec oppilavérunt loca occulta, dicentes: Moriámur omnes in simplicitáte nostra: & testes erunt super nos cœlum & terra, quòd injustè pérditis nos. Et intulérunt illis bellum sábbatis: & mórtui sunt ipsi, & uxóres eórum, & filii eórũ, & pécora eórum, usque ad mille ánimas hóminũ. Et cognóvit Mathathías, & amíci ejus, & luctũ habuérunt super eos valdè. Et dixit vir próximo suo: Si omnes fecérimus sicut fratres nostri fecérunt, & non pugnavérimus adversùs gentes pro animábus nostris, & justificatiónibus nostris: nunc cítiùs disperdent nos à terra. Et cogitavérunt in die illa, dicentes: Omnis homo quicumque vénerit ad nos in bello die sabba-

i, pugnémus adver-
m : & non morié-
mnes, ficut mórtui
ratres noſtri in oc-

Benedictus es. pag.

TIO III. v. 42.
*ers Mathathiæ.*

Hinc congregáta eſt
d eos Synagóga
eórum fortis víribus
aël, omnis voluntá-
i lege : & omnes qui
ant à malis áddíti
d eos, & facti ſunt
d firmamentum. Et
érunt exércitum, &
ſérunt peccatóres in
, & viros iníquos in
natióne ſua : & cæ-
gérunt ad natiónes,
derent. Et circuívit
ithías, & amíci ejus,
truxérunt aras, &
cidérunt púeros in-
ncíſos quotquot in-
ant in fínibus Iſraël,
fortitúdine ; & per-
ſunt fílios ſupérbiæ,
oſperátum eſt opus
ánibus eórum : &
ıérunt legem de má-
géntium, & de má-
regum : & non de-
t cornu peccatóri.
appropinquavérunt
Mathathíæ morien-
defunctus eſt anno
imo & quadragéſi-
xto : & ſepultus eſt
s ſuis in ſepulchris
n ſuórum in Modin ;

& planxérunt eum omnis Iſraël planctu magno.

℟. Bonitátem. *pag.* 348.

*CANON.*

Ex Concílio Narbonenſi. *An.* 1509. *cap.* 24.

INtra Eccléſiam, & máximè prope altáre, non ita fácilè admittantur ſepeliendi, ſed illi tantùm quos aut dígnitas Eccleſiáſtica, aut nóbilis proſápia, aut virtútis laudábilis ſplendor, commendárint : quòd ſi ſepulcra intra Eccléſiam conſtrúxerint, ſuper ſóli planíſtiem non attollantur.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. c. 3. v. 1.

*Judas Machabæus.*

SUrrexit Judas, qui vocabátur Machabæus, fílius ejus pro eo : & adjuvábant eum omnes fratres ejus, & univerſi qui ſe conjúnxerant patri ejus, & præliabantur prælium Iſraël cum lætítia. Et dilatávit glóriam pópulo ſuo, & induit ſe lorícam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma béllica ſua in præliis, & protegébat caſtra gládio ſuo. Similis factus eſt leóni in opéribus ſuis, & ſicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et perſecútus eſt iníquos, perſcrútans eos : & qui conturbábant pópulum ſuum, eos ſuccendit

flammis. Et repulsi sunt inimíci ejus præ timóre ejus, & omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt: & directa est salus in manu ejus.

℟. Dómine, quid est. pag. 349.

LECTIO II. v. 10.

*Apollonius occisus.*

CОngregávit Apollónius Gentes, & à Samaría virtútem multam & magnam, ad bellandum contra Israël. Et cognóvit Judas, & exiit óbviam illi; & percussit, & occídit illum: & cecidérunt vulneráti multi, & réliqui fugérunt. Et accépit spólia eórum: & gládium Apollónii ábstulit Judas, & erat pugnans in eo ómnibus diébus. Et audívit Seron princeps exércitûs Syriæ, quòd congregávit Judas congregatiónem fidélium & Ecclésiam secum; & ait: Fáciam mihi nomen, & glorificábor in regno, & debellábo Judam, & eos qui cum ipso sunt, qui spernébant verbum regis. Et præparávit se: & ascendérunt cum eo castra impiórum, fortes auxiliárii, ut fácerent vindíctam in filios Israël. Et appropinquavérunt usque ad Béthoron: & exívit Judas óbviam illi cum paucis.

℟. Dómine Deus. 349.

LECTIO III. v. 23.

*Contritus Seron.*

INsíluit in eos súbitò: & contrítus est Seron & exércitus ejus in conspectu ipsíus: & persecútus est eum in descensu Béthoron usque in campum, & cecidérunt ex eis octingenti viri, réliqui autem fugérunt in terram Philísthiim. Et cécidit timor Judæ, ac fratrum ejus, & formido super omnes gentes in circúitu eórum. Et pervénit ad regem nomen ejus, & de prǽliis Judæ narrábant omnes gentes. Ut audívit autem rex Antíochus sermónes istos, irátus est ánimo: & misit, & congregávit exércitum universi regni sui, castra fórtia valdè: & apéruit ærárium suum, & dedit stipéndia exercítui in annum: & mandávit illis ut essent paráti ad ómnia.

℟. Humílium. pag. 350.

CANON.

Ex Concílio Remensi. *An. 1583. tit. de sepult. n. 6. & 7.*

OMnes christiáni præsertim Láici .... in Cœmetériis, non autem in Ecclésiis, sepeliantur, nisi fortè de consensu superiórum. Superióres autem non passim ómnibus id privilégii concédant; sed in hujúsmodi

iónibus delectum
t personárum.

A QUINTA.

is Machabæórum.
p.1. L. 1. c. 3. v. 31.
chus consternatus.

Onsternátus erat
nimo valdè, &
ogitávit ire in Pér-
& accípere tribúta
um, & congregáre
um multum. Et re-
Lysiam hóminem
n de génere regá-
t negótia régia, à
s Euphráte usque
em Ægypti; & ut
t Antíochum fíliū
donec redíret: &
t ei médium exér-
; & elephantos: &
vit ei de ómnibus
lébat, & de inha-
bus Judæam & Je-
1; & ut mítteret ad
ercitum, ad conte-
1 & extirpandam
m Isráël, & relí-
erúsalem, & aufe-
a memóriam eó-
loco; & ut consti-
habitatóres fílios
enas in ómnibus
eórum, & sorte
íeret terram eó-

oncupiscit. 346.

TIO II. v. 37.

venit Emmaum.

x assumpsit partem
ércitûs resídui, &
ab Antiochía civi-
gni sui, anno cen-
tésimo & quadragésimo
séptimo: & transfretávit
Euphráten flumen, & per-
ambulábat superióres re-
giónes. Et elégit Lysias
Ptolemæum filium Dory-
mini, & Nicánorem, &
Górgiam, viros potentes
ex amícis regis. Et misit
cum eis, quadraginta míl-
lia virórum, & septem míl-
lia équitum, ut veníreut
in terram Juda, & dispér-
derent eam secundùm
verbum regis. Et proces-
sérunt cum universa vir-
túte sua, & venérunt, &
applicuérunt Emmaum in
terra campestri. Et audié-
runt mercatóres regió-
num nomen eórum: &
accepérunt argentum &
aurum multùm valdè, &
púeros: & venérunt in
castra, ut accíperent fí-
lios Israël in servos: &
ádditi sunt ad eos exérci-
tus Syriæ, & terræ alieni-
genárum.

℟. Duo rogávi. p. 346.

LECTIO III. v. 55.

*Judas disponit exercitum.*

C Onstítuit Judas du-
ces pópuli, tribúnos,
& centuriónes, & penta-
contarchos, & decurió-
nes. Et dixit his qui ædi-
ficábant domos, & spon-
sábant uxóres, & plantá-
bant víneas, & formido-
lósis, ut redírent unus-
quisque in domum suam
secundùm legem. Et mo-

vérunt castra, & collocavérunt ad austrum Emmaum. Et ait Judas: Accingímini, & estóte filii potentes; & estóte parári in manè, ut pugnétis adversùs natiónes has, quæ convenérunt adversùs nos, dispérdere nos & sancta nostra: quóniam mélius est nos mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ, & sanctórum: sicut autem fúerit voluntas in cœlo, sic fiat.

℟. Bonum. *pag.* 247.

*CANON.*

Ex Concílio Mediolanensi primo.

*An.* 1565. *part.* 2. *cap.* 60.

Ante solis ortum & post occásum, mórtuum & efferri, & ad sepultúram récipi prohibémus.

FERIA SEXTA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 1. c. 4. v. 1.

*Lysiæ exercitus cæsus.*

Assumpsit Górgias quinque míllia virórum, & mille équites electos: & movérunt castra nocte, ut applicárent ad castra Judæórum, & percúterent eos súbitò: & filii, qui erant ex arce, erant illis duces. Et audívit Judas, & surrexit ipse & potentes, percútere virtútem exercítuum regis, qui erant in Emmaum. Et cùm dies factus esset, appáruit Judas in campo cum tribus míllibus virórum tantùm, qui tegumenta & gládios non habébant. Et ait Judas viris qui secum erant: Clamémus in cœlum; & miserébitur nostri Dóminus: & scient omnes Gentes, quia est qui rédimat & líberet Israël. Et elevavérunt alienígenæ óculos suos, & vidérunt eos venientes ex adverso. Et exiérunt de castris in prælium, & tubâ cecinérunt hi qui erant cum Juda. Et congressi sunt: & contrítæ sunt Gentes, & fugérunt in campum. Novíssimi autem omnes cecidérunt in gládio, & persecúti sunt eos usque Gézeron, & usque in campos Idumææ, & Azóti, & Jámniæ: & cecidérunt ex illis usque ad tria míllia virórum.

℟. Si spíritu. *pag.* 347.

LECTIO II. v. 16.

*Gorgias victus.*

Reversus est Judas, & exércitus ejus, sequens eum; dixitque ad pópulum: Non concupiscátis spólia; quia bellum contra nos est, & Górgias & exércitus ejus prope nos in monte: sed state nunc contra inimícos nostros, & expugnáte eos, & sumétis pósteà spólia

secúri. Et adhuc loquente Judâ hæc, ecce appáruit pars quædam prospíciens de monte. Et vidit Górgias quòd in fugam conversi sunt sui, & succendérunt castra. Fumus enim qui videbátur, declarábat quod factum est. Quibus illi conspectis timuérunt valdè, aspicientes simul & Judam, & exércitum in campo parátum ad prælium. Et fugérunt omnes in campum alienigenárum: & Judas reversus est ad spólia castrórũ; & accepérunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & púrpuram marínam, & opes magnas. Et conversi, hymnum canébant, & benedicébant Deum in cœlum, quóniam bonus est, quóniam in séculum misericórdia ejus. Et facta est salus magna in Israël in die illa.

℟. Benedictus. 348.

LECTIO III. v. 28.

*Iterum victo Lysiâ, templum renovatur.*

SEquenti anno congregávit Lysias virórum electórum sexaginta míllia, & équitum quinque míllia, ut debelláret eos. Et venérunt in Judæam, & castra posuérunt in Béthoron, & occurrit illis Judas cum decem míllibus viris. Et commisérunt prælium: & cecidérunt de exercitu Lysiæ quinque míllia virórum. Videns autem Lysias fugam suórum, & Judæórum audáciam, & quòd paráti sunt aut vívere, aut mori fórtiter, ábiit Antiochíam, & elégit mílites, ut multiplicáti rursùs veníreni in Judæam. Dixit autem Judas, & fratres ejus: Ecce contríti sunt inimíci nostri: ascendámus nunc mundáre Sancta, & renováre. Et ascendérunt in montem Sion: & ædificavérunt Sancta, & quæ intra domum erant intrínsecùs: & ædem, & átria sanctificavérunt. Et ædificavérunt in témpore illo montem Sion, & per circúitum muros altos, & turres firmas, nequando venírent Gentes, & conculcárent eum sicut ánteà fecérunt. Et collocávit illic exércitum, ut serváreat eum, & munívit eum ad custodiendam Bethsúram, ut habéret pópulus munitiónem contra fáciem Idumææ.

℟. Bonitátem. pag. 348.

CANON.

Ex Concílio Remensi, *An. 1583. tit. de sepult. n. 1. & 2.*

PArœci in hanc officii sui partem diligenter incumbant, ut piórum

fúnera Christiánæ simplicitátis ac modéstiæ límites non excédant. Id autem fiet, si ipsi primùm mercéde consuétâ & honestâ contenti; deinde supérfluas expensas, quæ propter ambitiónem & fastum fiunt, vel hærédibus relinqui, vel paupéribus erogári suádeant.

SABBATO.

*Si Dominica sequens sit ultima post Pentecosten, hodie ponitur Officium de Dominica XXIII. nisi contigerit Festum semiduplex aut suprà; tunc Homilia Dominicæ legitur post ultimum Responsorium, & fiet ad Laudes Commemoratio Dominicæ.*

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 1. c. 5. 1.

*Judæi hinc & inde oppugnati.*

FActum est, ut audiérunt Gentes in circúitu, quia ædificátum est altáre, & Sanctuárium sicut priùs, irátæ sunt valdè. Et debellábat Judas filios Esaü in Idumæa, & eos qui erant in Acrabatháne, quia circumsedébant Israëlitas, & percussit eos plagâ magnâ. Et transívit ad filios Ammon, & invénit manum fortem, & pópulum copiósum, & Timótheum ducem ipsórum: & commísit cum eis prælia multa, & contríti sunt in conspéctu eórum, & percussit eos. Et congregátæ sunt Gentes quæ sunt in Gálaad adversùs Israëlitas, qui erant in fínibus eórũ, ut tóllerent eos: & fugérunt in Dathéman munitiónem, & misérunt litteras ad Judam & fratres ejus. Et adhuc epístolæ legebantur, & ecce álii núntii venérunt de Galilæa conscissis túnicis, nuntiantes secundùm verba hæc. Dixitque Judas Simóni fratri suo: Élige tibi viros, & vade, & líbera fratres tuos in Galilæa: ego autem & frater meus Jónathas íbimus in Galaadítim. Et partíti sunt Simóni viri tria míllia, ut iret in Galilæam: Judæ autem octo míllia in Galaadítim.

LECTIO II. v. 21.

*Simon in Galilæa victor, Judas in Galaad.*

ABiit Simon in Galilæam, & commísit prælia multa cum Géntibus: & contrítæ sunt Gentes à fácie ejus, & persecútus est eos usque ad portam Ptolemáïdis, & cecidérunt de Géntibus ferè tria míllia virórum, & accépit spólia eórum. Et Judas Machabæus & Jónathas frater ejus transiérunt Jordánem, & a-

æ viam trium dié-
æ desertum. Et con-
Judas & exercitus
viam in desertum
repentè, & occu-
civitátem: & occí-
mnem másculum in
lídii, & accépit óm-
polia eórum, & suc-
eam igni. Et diver-
las in Maspha, &
návit, & cepit eam:
idit omnem máscu-
ea, & sumpsit spó-
s, & succendit eam
Inde perrexit, &
Casbon, & Mageth,
or, & réliquas civi-
Galaadítidis.

LECTIO III. v. 37.

*Machabæi victoria.*

Post hæc autem verba
ongregávit Timó-
exércitum álium, &
pósuit contra Ra-
trans torrentem. Ut
appropinquávit Ju-
d torrentem aquæ,
Scribas pópuli se-
orrentem, & man-
eis, dicens: Némi-
hóminum reliquéri-
d véniant omnes in
m. Et transfretávit
os prior, & omnis
us post eum; & con-
sunt omnes Gentes
e eórum, & proje-
t arma sua, & fugé-
d fanum, quod erat
árnaïm. Et exívit
, & fratres ejus, &
nábant filios Esaü,
in terra quæ ad austrum
est, & percussit Chebron
& filias ejus: & muros e-
jus & turres succendit igni
in circúitu. Et movit ca-
stra ut iret in terram alie-
nigenárum, & perambu-
lábat Samaríam. In die
illa cecidérunt Sacerdótes
in bello, dum volunt fór-
titer fácere, dum sine con-
sílio éxeunt in prælium.
Et declinávit Judas in A-
zótum in terram alieni-
genárum, & díruit aras
eorum, & sculptília deó-
rum ipsórum succendit i-
gni: & cepit spólia cività-
tátum, & reversus est in
terram Juda.

CANON.

Ex Concílio Rhemensi.

*An. 1583. num. 3.*

Pauperes quibus ádeò
ténues fuére facultá-
tes, ut própriis impensis
humári néqueant, gratis,
ac honestè tamen, sepé-
liant (Parœci,) alióqui
pœnas arbitrárias exsolu-
túri.

*Ad* Magníficat, *Ant.*
3. a. Benedíctus es, Salvá-
tor Israël, qui contrivisti
ímpetum potentis in ma-
nu servi tui David: déjí-
ce illos gládio diligén-
tium te; & collaudent te
omnes qui novérunt no-
men tuum. 1. *Machab.* 4.
*v.* 30. 33.

*Oratio, infrà ad Laudes.*

DOMINICA XXIII. post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 1. c. 6. v. 1.

*Antiochus in Perside audit gesta Judæorum.*

REx Antíochus perambulábat superióres regiónes, & audívit esse civitátem Elymáidem in Perside nobilíssimam, & copiósam in argento & auro, templúmque in ea lócuples valdè: & illic velámina áurea, & lorícæ, & scuta, quæ relíquit Alexander Philippi rex Mácedo, qui regnávit primus in Græcia. Et venit, & quærébat cápere civitátem & deprædári eam, & non pótuit, quóniam innótuit sermo his qui erant in civitáte; & insurrexérunt in prælium, & fugit inde, & ábiit cum tristítia magna, & reversus est in Babylóniam. Et venit qui nuntiáret ei in Pérside, quia fugáta sunt castra quæ erant in terra Juda: & quia ábiit Lysias, cum virtúte forti in primis, & fugátus est à fácie Judæórum, & invaluérunt armis, & víribus, & spóliis multis, quæ cepérunt de castris quæ excidérunt: & quia diruérunt abominatiónẽ, quam ædificáverat super altáre quod erat in Jerúsalem, & sanctificatiónẽ, sicut priùs, circumdedérunt muris excelsis, sed & Bethsúram civitátẽ suã.

℟. 1. Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, & sémitas tuas édoce me; * Dírige me in veritáte tua. *Psal.* 24. 4. 5. ℣. Sermo tuus véritas est. *Joan.* 17. 17. * Dírige.

LECTIO II. v. 8.

*Antiochus morti proximus; memor malorum Jerusalem.*

FActum est ut audívit rex sermónes istos, expávit & commótus est valdè: & decidit in lectum, & íncidit in languórem præ tristítia, quia non factum est ei sicut cogitábat. Et vocávit omnes amícos suos, & dixit illis: Recessit somnus ab óculis meis, & cóncidi, & córrui corde præ sollicitúdine. Nunc verò reminíscor malórum quæ feci in Jerúsalem, unde & ábstuli ómnia spólia áurea & argéntea quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Judæam sine causa. Cognóvi ergo quia proptéreà invenérunt me mala ista: & ecce péreo tristítiâ magnâ in terra aliena. Et vocávit Philippum, unum de amícis suis, & præpósuit eum super universum regnum suum: & dedit ei diadéma, & stolam

m suam, & ánnulũ,
addúceret Antíochum
m suum, & nutríret
, & regnáret.
. II. Dómine, ad te
úgi: * Doce me fáce-
oluntátem tuam, quia
s meus es tu. *Ps.* 142.
. Pater, non mea vo-
as, sed tua fiat. *Luc.*
42. * Doce.
TIO III. l.2.c.9.v.8.
*Mors Antiochi.*
ique qui sibi videbá-
ur étiam flúctibus ma-
imperáre, supra hu-
num modum supérbiâ
létus, & móntium al-
idines in statéra appén-
e, nunc humiliátus ad
ram in gestatório por-
átur, manifestam Dei
útem in semetipso con-
tans; ita ut de córpore
pii vermes scaturírent,
viventis in dolóribus
nes ejus efflúerent, o-
re étiam illíus & fœtó-
exércitus gravarétur;
qui paulò antè sídera
li contíngere se arbitra-
tur, eum nemo póterat
pter intolerántiam fœ-
is portáre. Et cùm nec
e jam fœtórem suum
re posset, ita ait: Ju-
m est súbditum esse
eo, & mortálem non
ria Deo sentíre. Orá-
t autem hic scelestus
óminum, à quo non es-
: misericórdiam conse-
túrus. Igitur homicída

& blasphémus péssimè per-
cussus, & ut ipse álios tra-
ctáverat, péregrè in món-
tibus miserábili óbitu vi-
tá functus est.

℟. III. Deus cœlórum, creátor aquárum, & dóminus totíus creatúræ; * Da verbum in ore meo, & in corde meo † Consíliũ corróbora. *Judith.* 9. 17. 18. ℣. Magister bone, quid fáciam ut vitam ætérnam percípiam? *Marc.* 10. 17. * Da verbum. ℣. Glória. † Consílium.

IN II. NOCTURNO.

Admonítio Authóris libri secundi Machabæórũ.

LECTIO IV. c. 5. v. 17. & c. 6. v. 12.

*Causa malorum sub Antiocho. Impios aliter & aliter pios plectit Deus.*

ALienátus mente Antíochus, non considerábat quòd propter peccáta habitántium civitátem, módicùm Deus fúerat irátus; propter quod & áccidit circa locum despéctio: alióquin nisi contigisset eos multis peccátis esse involútos, sicut Heliodórus, qui missus est à Seleuco rege ad expoliandum ærárium, étiam hic statim advéniens flagellátus & repulsus útique fuisset ab audácia. Verùm non propter locum gentem, sed propter gentem locum

Deus elégit. Ideóque & ipse locus párticeps factus est pópuli malórum: póstea autem fiet sócius bonórum, & qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, íterùm in magni Dómini reconciliatióne cum summa glória exaltábitur. Obsecro autem eos qui hunc librum lectúri sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed réputent ea quæ accidérunt, non ad intéritum, sed ad correptiónem esse géneris nostri. Etenim multo témpore non sínere peccatóribus ex senténtia ágere, sed statim ultiónes adhibére, magni beneficii est indícium. Non enim sicut in áliis natiónibus Dóminus patienter expectat, ut eas, cùm judícii dies advénerit, in plenitúdine peccatórum púniat; ita & in nobis státuit, ut peccátis nostris in finem devolútis, ita demum in nos vindicet. Propter quod numquam quidem à nobis misericórdiam suam ámovet; corrípiens verò in adversis, pópulum suum non derelinquit. Sed hæc nobis ad commonitiónẽ legéntiũ dicta sint paucis.

℞. IV. Omnia mandáta tua æquitas, Dómine: * Fiat manus tua ut salvet me; quóniam mandáta *tua elegi. Ps.* 118. *v.* 172. ℞. Quid me oportet fácere ut salvus fiam? *Act.* 16. 30. * Fiat.

De libro Sapiéntiæ.

LECTIO V. c. 5. v. 1.

*Vanæ impiorum in judicio pœnitentiæ.*

STabunt justi in magna constántia advérsùs eos qui se angustiavérunt, & qui abstulérunt labóres eórum. Videntes turbabuntur timóre horríbili, & mirabuntur in subitatióne inspeátæ salútis, dicentes intra se, pœniténtiam agentes, & præ angústia spíritûs geméntes: Hi sunt quos habúimus aliquando in derísum & in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, & finem illórum sine honóre: ecce quómodò computáti sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illórum est. Ergo errávimus à via veritátis, & justítiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligéntiæ non est ortus nobis. Lassáti sumus in via iniquitátis & perditiónis, & ambulávimus vias difficiles, viam autẽ Dómini ignorávimus.

℞. V. Manus tuæ, Dómine, fecérunt me & plasmavérunt me; * Da mihi intellectum, & discam mandáta tua. *Psal.* 118. 73. ℣. Jesu Fili David,

miserére meî. *Luc.* 18. *v.* 38. * Da mihi.

Lectio VI. v. 8.

*Præsentis vitæ momentanea felicitas.*

QUid nobis prófuit supérbia? aut divitiárum jactántia quid cóntulit nobis? Transiérunt ómnia illa tamquam umbra, & tamquam núntius percurrens, & tamquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam; cujus, cùm præteríerit, non est vestígium inveníre, neque sémitam carínæ illíus in flúctibus: aut tamquam avis quæ tránsvolat in áëre, cujus nullum inveníturargumentum itíneris, sed tantùm sónitus alárũ vérberans levem ventum, & scindens per vim itíneris áërem: commótis alis transvolávit, & post hoc nullum signum invenítur itíneris illíus: aut tamquam sagitta emissa in locum destinátum; divísus aër contínuò in se reclúsus est, ut ignorétur tránsitus illíus. Sic & nos nati contínuò desívimus esse: & virtútis quidem nullum signum valúimus osténdere: in malignitáte autem nostra consúmpti sumus. Tália dixérunt in inferno hi qui peccavérunt: quóniam spes ímpii tamquam lanúgo est, quæ à vento tóllitur; & tamquam spuma grácil's quæ à procella dispergitur; & tamqua fumus qui à vento diffúsus est; & tamquã memória hóspitis uníus diei prætereuntis.

℟. VI. Ecce concupívi mandáta tua, Dómine; * In æquitáte tua vivífica me: † Et véniat super me misericórdia tua. *Ps.* 118. 40. ℣. Dómine, jube me ad te veníre; Dómine, salvum me fac. *Matth.* 14. *v.* 28. 30. * In æquitáte. ℣. Glória. † Et véniat.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

Lectio VII. c. 5. v. 1.

*Dies Domini ut fur.*

DE tempóribus & moméntis, fratres, non indigétis ut scribámus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Dómini sicut fur in nocte ita véniet. Cùm enim díxerint, pax & secúritas; tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habentis, & non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa tamqua fur comprehendat: omnes enim vos fílii lucis estis & fílii diei. Non sumus noctis neque tenebrárum.

℟. VII. Signátum est super nos lumen vultûs

tuí, Dómine: * Dedisti lætítiam in corde meo. *Ps.* 4. 7. ℣. Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea. *Act.* 2. 26. * Dedisti.

LECTIO VIII. *v.* 6.

*Paratos judicium non opprimet.*

IGitur non dormiámus sicut & cæteri, sed vigilémus & sóbrii simus. Qui enim dórmiunt, nocte dórmiunt; & qui ébrii sunt, nocte ébrii sunt. Nos autem qui diéi sumus, sóbrii simus, indúti lorícam fídei & charitátis, & gáleam spem salútis: quóniam non pósuit nos Deus in iram, sed in acquisitióne salútis per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui mórtuus est pro nobis, ut, sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum illo vivámus.

℟. VIII. Magnus es tu & fáciens mirabília, tu es Deus solus; * Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua. *Ps.* 85. 10. 11. ℣. Ego ipse mente sérvio legi Dei, carne autem legi peccáti. *Rom.* 7. 25. * Deduc.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. *c.* 9. *v.* 18.

*Princeps Synagogæ & Hæmorrhoïssa.*

IN illo témpore: Loquente Jesu ad discípulos Joannis, ecce ceps únus accessit, dorábat eum, dicens mine, filia mea mo functa est. Et réliq

Homília sancti Joa Chrysóstomi.

*Hom.* 32. *in Matth*

OPus jam sermó adjúngitur, & risæi magis confun tur: nam & qui acc synagógæ princeps & luctu magno pre tur. Unica enim erat; quamobrem mè confestim eam suscitári. Eunte verò stum sequebantur m tum ut magnum vid miráculum, tum pr dignitátem persónæ, filia laborábat. Et múlier quæ sánguini xum patiebátur duód annis, accessit retrò. obrem non líberè apertè ad Jesum acc propter ægrotatióni nus immundam se bat, ac ídeò erubesc proptéreà ergo abdit que occultat, quia túdo hæc secundùm magna immundíties cabátur. Occultè cum vestem ipsíus tétigit dúbitans sanitátem hujúsmodi tactu con túram, accessit. Di enim in seipsa: Si tetígero vestimentu jus, salvábor. Quid

ns? Non passus est
térre; sed produxit
lium, & ómnibus
cit manifestâ, non
óne, sed ut fidem
anifestam fáceret,
possint eam imitári.
Ɽ. Vivífica me, Dó-
& custódiam ser-
tuos; * Revéla ó-
meos, † Et consi-
t mirabília de lege
Psal. 118. v. 17. 18.
mine, quid me vis
Act. 9. 6. * Re-
. Glória. † Et con-
ro.
Benedíctus, Ant.
tum ejecta esset túr-
ávit Jesús, & ténuit
n puellæ, & surre-
atth. 9. 25.
Orémus.
solve, quæsumus,
Dómine, tuórum de-
opulórum: ut à pec-
m néxibus, quæ pro
fragilitáte contrá-
, tuâ benignitáte li-
ur; Per Dñm.
C A N O N.
oncílio Aquensi.
1585. tit. de Fest.
cultu.
m festi dies potíss-
mùm ad celebran-
i & Sanctórũ lau-
itáriter fúerint in-
curandum est di-
r. ut piè sanctéque
nibus observentur,
a ipsis hómines ad
n offensiónem &

animárum perníciem a-
butantur.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. D. Dicébat múlier intra se: Si tetígero tantùm vestiméntum ejus, salva ero. *Matth.* 9. 21. 22.

*Oratio ut suprà.*

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 2. c. 10. v. 1.

*Templum à Machabæo purificatum.*

MAchabæus autem, & qui cum eo erant, Dómino se protegente, templum quidem & civitátem recépit: aras autem quas alienígenæ per platéas extrúxerant, itemque delúbra demolítus est. Et purgáto templo, áliud altáre fecérunt: & de ignítis lapídibus igne concepto, sacrifícia obtulérunt post biénnium, & incénsum, & lucernas, & panes propositiónis posuérunt. Quibus gestis, rogábant Dóminum prostráti in terrâ, ne ámpliùs tálibus malis incíderent: sed &, si quando peccassent, ut ab ipso mítiùs corriperentur, & nõ bárbaris ac blasphémis homínibus traderentur.

℟. Vias tuas. 360.

LECTIO II. v. 5.

*Solemnitas hujus purificationis.*

QUâ die autem templum ab alienígenis

pollútum fúerat, cóntigit eâdem die purificatiónem fieri, vigésimâ quintâ mensis qui fuit Casleu. Et cum lætítia diébus octo egérunt in modum tabernaculórum, recordantes quòd ante módicum témporis diem solemnem tabernaculórum in móntibus & in speluncis more bestiárū égerant. Propter quod thyrsos & ramos vírides, & palmas præferébant ei qui prosperávit mundári locum suū. Et decrevérunt commúni præcepto & decréto, universæ genti Judæórum, ómnibus annis ágere dies istos.

℟. Dómine, ad te. 361.

LECTIO III. v. 9.

*Eupator succedit Antiocho.*

ANtíochi quidem qui appellátus est Nóbilis, vitæ excessus ita se hábuit. Nunc autem de Eupátore Antíochi ímpii fílio, quæ gesta sunt narrábimus, breviantes mala quæ in bellis gesta sunt. Hic enim suscepto regno, constítuit super negótia regni Lysia quemda, Phœnicis & Syriæ milítiæ príncipem. Nam Ptolemæus, qui dicebátur Macer, justi tenax erga Judæos esse const'tuit, & præcípuè propter iniquitátem quæ facta erat in eos, & pacíficè ágere cum eis. Sed ob hoc accusátus ab amícis apud Eupátorem; cùm frequenter próditor audíret eò quòd Cyprū créditam sibi à Philométore deseruisset, & ad Antíochum Nóbilem translátus étiam ab eo recessisset, venéno vitam finívit.

℟. Deus cœlórum. 361.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 25. Decret. de invocat. Sanct.*

OMnis superstítio in Sanctórum invocatióne, reliquiárum veneratióne, & imáginum sacro usu tollátur: omnis turpis quæstus eliminétur, omnis dénique lascívia vitétur: ita ut procáci venustáte imágines non pingantur nec ornentur.

FERIA TERTIA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 2. c. 10. v. 14.

*Idumæorum munitiones expugnatæ.*

GOrgias cùm esset dux locórum, assumptis ádvenis, frequenter Judæos debellábat. Judæi verò qui tenébant opportúnas munitiónes, fugátos ab Jerosólymis suscipiébant & belláre tentábant. Hi verò qui erant cum Machabæo, per oratiónes Dóminum rogantes ut esset sibi adjútor, ímpetum fecérunt in munitiónes I-

... Multáque vi
... loca obtinué-
... occurrentes intere-
... & omnes simul
... viginti míllia
... dérunt.
... nia. 362.
... O II. v. 18.
... ores puniti.
... dam autem cùm
... fugissent in duas
... valdè munítas, om-
... parátum ad repu-
... habentes, Ma-
... ad eórum expu-
... relicto Simó-
... pho, item Za-
... eísque qui cum ip-
... satis multis, ipse
... quæ ámpliùs per-
... pugnas conver-
... Hi verò qui cum
... erant, cupiditáte
... à quibusdam qui
... tribus erant, suási
... ecúnià; & septua-
... míllibus didrachmis
... dimisérunt quos-
... fúgere. Cùm autem
... bæo nuntiátum es-
... factum est, prin-
... pópuli congregá-
... cusávit quòd pecú-
... vendidissent,
... eórum dimisi-
... ígitur proditóres
... interfécit, & con-
... duas turres occu-
... Armis autem ac
... ómnia prósperè;
... in duábus mu-
... plus quàm vi-
... míllia perémit.

℟. Manus tuæ. 362.

LECTIO III. v. 24.

*Timotheus fugatus.*

AT Timótheus qui priùs à Judæis fúerat superátus, convocáto exércitu peregrínæ multitúdinis, & congregáto equitátu Asiáno, advénit quasi armis Judæam captúrus. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, post oratióne, sumptis armis, lóngiùs de civitáte procedentes, & próximi hóstibus effecti, resedérunt. Sed cùm véhemens pugna esset, apparuérunt adversáriis de cœlo viri quinque in equis, frænis áureis decóri, ducátum Judæis præstantes: ex quibus duo Machabæũ médium habentes armis suis circumseptum incólumem conservábant: in adversários autem tela & fúlmina jaciébant, ex quo & cæcitáte confúsi & repléti perturbatióne cadébant. Interfecti sunt autem viginti míllia quingenti, & équites sexcenti. Timótheus verò confúgit in Gázaram præsídiũ munítũ cui præerat Chæreas.

℟. Ecce concupívi. 363.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 25. Decret. de invocat. Sanct.*

STátuit sancta Synodus némini licére ullo

in loco, vel Ecclésiâ étiá quomodólibet exemptâ, ullam insólitam pónere, vel ponendam curáre imáginem, nisi ab Epíscopo approbáta fúerit.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l.2.c.10.v.33.

*Gazara capta.*

MAchabæus autem, & qui cum eo erant, lætantes obsedérunt præsídium diébus quátuor. At hi qui intùs erant, loci firmitáte confísi, supra modum maledicebant, & sermónes nefandos jactábant. Sed cùm dies quinta illucésceret, viginti júvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi nimis propter blasphémiam, viríliter accessérunt ad murum, & feróci ánimo incedentes ascendébant: sed & álii simíliter ascendentes, turres portasque succéndere aggressi sunt, atque ipsos malédicos vivos concremáre. Per contínuum autem bíduum præsídio vastáto, Timótheum occultantem se in quodam repertũ loco peremérunt: & fratrem illíus Chæream & Apollóphanem occidérunt. Quibus gestis, in hymnis & confessiónibus benedicébant Dóminum, qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis.

℟. Signátum est. 363.

LECTIO II. c. 11. v. 1.

*Vana Lysiæ consilia.*

PArvo post témpore Lysias procurátor regis, & propinquus ac negotiórum præpósitus, gráviter ferens de his quæ accíderant, congregátis octoginta míllibus & equitátu universo, veniébat adversùs Judæos, exístimans se civitátem quidem captam géntibus habitáculum factúrum, templum verò in pecúniæ quæstum, sicut cætera delúbra géntium, habitúrum, & per síngulos annos venále sacerdótium: nusquam recógitans Dei potestátem, sed mente effrænátus in multitúdine péditum, & in míllibus équitum, & in octoginta elephantis confidébat.

℟. Magnus es. 364.

LECTIO III. v. 5.

*Apparitio equitis in armis aureis.*

INgressus autem Judæam, & appróPians Bethsúræ, quæ erat in angusto loco, ab Jerosólyma intervallo quinque stadiórum, illud præsídium expugnábat. Ut autẽ Machabæus, & qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præsídia, cum fletu & lácrymis rogábant Dóminum, & omnis turba simul, ut bonum An-

gelum mítteret ad salútẽ Israël. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, cæteros adhortátus est simul secum perículum subíre, & ferre auxílium frátribus suis: cùmque páriter prompto ánimo procéderent, Jerosólymis appáruit præcédens eos eques in veste cándida armis áureis hasta vibrans. Tunc omnes simul benedixérunt misericordem Dóminum, & convaluérunt ánimis; non solùm hómines, sed & béstias ferocíssimas & muros férreos paráti penetráre.

℟. Vivífica me. 365.

*CANON.*

Ex Concílio Ravennensi.

*An.* 1311. *can.* 5.

SAnctórum Relíquiæ de quibus nulla certitúdo potest habéri, in altáribus vel álibi, sicut visum fúerit, recondantur, nec de cætero pópulis exponantur.

FERIA QUINTA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l.2.c.11.v.10.

*Victus Lysias pacem rogat.*

IBant prompti de cœlo habentes adjutórem & miserantem super eos Dóminum. Leónum autem more ímpetu irruentes in hostes, prostravérunt ex eis úndecim míllia péditum & équitũ mille sexcentos: univérsos autem in fugam vertérunt; plures autem ex eis vulneráti nudi evasérunt. Sed & ipse Lysias túrpiter fúgiens evásit. Et quia non insensátus erat, secum ipse réputans factam erga se diminutiónem, & intélligens invictos esse Hebræos omnipotentis Dei auxílio innitentes, misit ad eos: promisítque se consensúrum ómnibus quæ justa sunt, & regem compulsúrum amícũ fíeri. Annuit autem Machabæus précibus Lysiæ, in ómnibus utilitáti consulens: & quæcumque Machabæus scripsit Lysiæ de Judæis, ea rex concessit.

℟. Vias tuas. 360.

LECTIO II. v. 16.

*Epistola Lysiæ ad Judæos.*

ERant scriptæ Judæis epístolæ à Lysia quidem hunc modum continentes: Lysias pópulo Judæórum salútem. Joannes & Abésalom, qui missi fúerant à vobis tradentes scripta, postulábant ut ea quæ per illos significabantur, implérem. Quæcumque ígitur regi potuérunt perferri, expósui: & quæ res permittebat, concessit. Si ígitur in negótiis fidem conservavéritis, & deinceps bonórũ vobis causa esse tẽtábo. De cæteris autẽ per síngula verbo mandávi, & istis, & his qui à

me missi sunt, cólloqui vobiscū. Benè valéte. Anno centésimo quadragésimo octávo, mensis Dióscori die vigésimâ & quartâ.

℟. Dómine, ad te. 361.

LECTIO III. v. 22.

*Epistola Antiochi ad Lysiam.*

REgis autem epístola ista continébat: Rex Antíochus Lysiæ fratri salútem. Patre nostro inter Deos transláto, nos volentes eos qui sunt in regno nostro, sine tumultu ágere, & rebus suis adhibére diligéntiam: audívimus Judæos non consensisse patri meo ut transferrentur ad ritum Græcōrum, sed tenére velle suum institútum, ac proptéreà postuláre à nobis concédi sibi legítima sua. Volentes ígitur hanc quoque gentem quiétam esse, statuentes judicávimus templum restítui illis, ut ágerent secundùm suórū majórum consuetúdinem. Bene ígitur féceris, si míseris ad eos, & déxteram déderis: ut cógnitâ nostrâ voluntáte bono ánimo sint, & utilitátibus própriis desérviant.

℟. Deus cœlórum. 361.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno, *Sess. 23. Decr. de inv. Sanct.*

STátuit sancta Synodus nulla admittenda esse nova mirácula, nec novas Relíquias recipiendas, nisi recognoscente & approbante Epíscopo.

FERIA SEXTA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 2. c. 12. v. 1.

*Joppitarum perfidia.*

HIs factis pactiónibus, Lysias pergébat ad regem, Judæi autem agricultúræ óperam dabant. Sed hi qui resséderant, Timótheus & Apollónius Gennæi filius, sed & Hierónymus, & Démophon super hos, & Nicánor Cypriarches, non sinébant eos in siléntio ágere & quiéte. Joppítæ verò tale quoddam flagítium perpetrárunt: rogavérunt Judæos, cum quibus habitábant, ascéndere scaphas quas paráverant, cum uxóribus & fíliis, quasi nullis inimicítiis inter eos subjacéntibus. Secundùm commúne ítaque decrétum civitátis, & ipsis acquiescéntibus, pacísque causâ nihil suspectum habéntibus: cùm in altū processíssent, submersérunt non minùs ducentos.

℟. Omnia mandáta. p. 362.

LECTIO II. v. 5.

*Joppe & Jamnia incensæ.*

QUam crudelitátem Judas in suæ gentis hómines factam ut co-

...cépit viris qui ... ipso; & invo... júdice Deo, ve... interfectóres ... portum qui... succendit, sca... eos autem ... igne refúgerant, perémit. Et cùm ... egisset, discessit ... rùm reversúrus, & ... Joppítas eradi... Sed cùm cogno... qui erant Jám... pari modo fá... bitántibus secum, Jamnítis quoque ... pervénit, & por... návibus succen... lumen ignis ap... Jerosólymis à stá... quadragínta.
... tuæ. 362.
... III. v. 10.
... victi, Casphin capta.

... cùm jam abiissent ... stádiis, & iter ... ad Timótheum. ... sérunt cum eo Ara... que míllia viri & ... quingenti. Cum... válida fíeret ... Dei próspere ... résidui Arabes ... tébant à Juda dex... dari, promitten... datúros, & ... profutúros. Ju... arbitrátus verè ... eos útiles, pro... acem: dextrísque ... discessére ad tabernácula sua. Aggressus est autem & civitátem quamdam firmam, póntibus murísque circumseptâ, & quæ à turbis habitabátur géntium promiscuárum, cui nomen Casphin. Hi verò qui intùs erant, confidentes in stabilitáte murórum & apparátu alimoniárum, remíssiùs agébant, maledíctis lacesséntes Judam, & blasphemántes ac loquentes quæ fas non est. Machabæus autẽ, invocáto mundi Príncipe, qui sine ariétibus & máchinis tempóribus Jesu præcipitávit Jéricho, írruit ferócitez muris; & captâ civitáte per Dómini voluntátem, innumerábiles cædes fecit, ita ut adjacens stagnum stadiórum duórum latitúdinis, sánguine interfectórum flúere viderétur.

℟. Ecce concupívi. p. 363.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 25. Decret. de indulgentiis.*

SAcrosancta Synodus indulgentiárum usum, Christiáno pópulo máximè salutárem, & sacrórũ Conciliórum autoritáte probátum, in Ecclésia retinendum esse docet & præcipit... In iis tamen concedendis moderatiónem juxta véterem & pro-

bátam in Ecclésia consuetúdinem adhibéri cupit.

SABBATO.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l.2.c.12.v.17.

*Timothei milites in Characa cæsi.*

INde discessérunt stádia septingenta quinquaginta, & venérunt in Cháraca ad eos qui dicuntur Tubianæi, Judæos: & Timótheum quidem in illis locis non comprehendérunt, nullóque negótio perfecto regressus est, relicto in quodam loco firmíssimo præsídio. Dosítheus autem & Sosípater, qui erant duces cum Machabæo, peremérunt à Timótheo relictos in præsídio decẽ míllia viros. At Machabæus, ordinátis circum se sex míllibus & constitútis per cohortes, adversùs Timótheum procéssit, habentem secum centum viginti míllia péditum, equitumque duo míllia quingentos.

LECTIO II. v. 21.

*Timotheus captus, illæsus dimittitur.*

COgnito autem Judæ adventu, Timótheus præmísit mulíeres & filios, & réliquum apparátum, in præsídium quod Cárnion dícitur: erat enim inexpugnábile & accessu difficile propter locórum angústias. Cumque cohors Judæ prima apparuisset, timor hóstibus incussus est ex præséntia Dei qui univérsa cónspicit, & in fugam versi sunt álius ab álio, ita ut magis à suis dejicerentur, & gladiórum suórum íctibus debilitarentur. Judas autem vehementer instábat púniens profános, & prostrávit ex eis triginta míllia virórum. Ipse verò Timótheus íncidit in partes Dosíthei & Sosípatris: & multis précibus postulábat ut vivus dimitterétur, eò quòd multórum ex Judæis parentes habéret, ac fratres quos morte ejus décipi eveníret. Et cùm fidem dedisset restitutúrũ se eos secundùm constitútum, illæsum eum dimisérunt propter fratrum salútem. Judas autem egressus est ad Cárnion, interfectis viginti quinque míllibus.

LECTIO III. v. 27.

*Ephron capta. Scythopolis benignè habita.*

POst horum fugam & necem, movit exércitum ad Ephron civitátem munítam, in qua multitúdo diversárum géntium habitábat: & robusti júvenes pro muris consisténtes fórtiter repugnábant: in hac autem máchinæ multæ, & telórum erat apparátus. Sed, cùm

ipotentem invocas-
qui potestáte suâ vi-
ßtium confringit, ce-
it civitátem; & ex eis
ntùs erant, viginti
que míllia prostra-
it. Inde ad civitátem
árum abiérunt, quæ
erosólymis sexcentis
is aberat. Contestán-
autem his qui apud
opolítas erant Ju-
, quòd benignè ab eis
rentur, étiam tem-
us infelicitátis quòd
estè secum égerint:
as agentes ei, & ex-
iti étiam de cætero
genus suum benignos
venérunt Jerosóly-
i die solemni septi-
árum instante.

*CANON.*

Concílio Camera-
censi.

*n. 1565. cap. 22.*

Uia per indiscrétas
& supérfluas indul-
ias claves Ecclésiæ
emnuntur, & pœni-
iális satisfáctio ener-
r, ídeò próhibet san-
Synodus, ne quis ul-
ovas aut ignótas in-
éntias pópulo com-
det & promerendas
at, nisi priùs ab Or-
rio visitátæ fúerint
obátæ.

*unica contingat Do-
ica inter XXIII. & ul-
im post Pentecosten, po-
r in ea Officium Domi-
nicæ XXVII. post Pente-
costen. Si duæ, ponitur Of-
fic. Dominicarum XXVI.
& XXVII. Si tres, poni-
tur Officium Dominicar.
XXV. XXVI. & XXVII.
Si quatuor, ponitur Offic.
Dominicar. XXIV. XXV.
XXVI. & XXVII. ita ut
Dominica vigesima octa-
va sit semper ultima.*

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. *D.* Sancta & salúbris est co-
gitátio pro defunctis exo-
ráre, ut à peccátis sol-
vantur. 2. *Mach.* 12. 46.

*Oratio, infrà ad Laudes.*

DOMINICA XXIV.
post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 2. c. 12. v. 32.

*Judas precatur & vincit.*

POst Pentecosten a-
biéruntJudæi contra
Górgiam præpósitũ
Idumææ. Exívit autẽ cũ pe-
dítibus tribus míllibus &
equítibus quadringentis.
Quibus congressis, cónti-
git paucos rúere Judæó-
rum. Dosítheus verò qui-
dam de Bacénoris eques
vir fortis, Górgiam tené-
bat: & cùm vellet illum
cápere vivum, eques qui-
dam de Thrácibus írruit
in eum, humerumque e-
jus amputávit: atque ita
Górgias effúgit in Máre-
sa. At illis qui cum Es-
drin erant, diútiùs pu-
gnántibus & fatigátis, in-

vocávit Judas Dóminum adjutórem & ducem belli fieri: incípiens voce pátriâ, & cum hymnis clamórem extollens, fugam Górgiæ milítibus incussit. Judas autem collecto exércitu venit in civitátem Odollam: &, cùm séptima dies superveníret, secundùm consuetúdinem purificáti, in eódem loco sábbatum egérunt.

℟. I. Date magnificéntiam Deo nostro: * Dei perfecta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia. *Deut.* 32. ℣. Deo & Patri nostro glória in sécula seculórum. *Phil.* 4. *v.* 20. * Dei.

LECTIO II. v. 39.

*Plures corruerunt ob peccatum.*

SEquenti die venit cum suis Judas, ut córpora prostratórum tólleret, & cum paréntibus póneret in sepulchris paternis. Invenérunt autem sub túnicis interfectórum de donáriis idolórum, quæ apud Jámniam fuérunt, à quibus lex próhibet Judæos: ómnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. Omnes ítaque benedixérunt justum judícium Dómini, qui occulta fécerat manifesta. Atque ita ad preces conversi, rogavérunt, ut id quod factum erat delictum oblivióni traderétur.

℟. II. Tu es Deus meus: * Aperiantur, quæso, óculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad oratiónem, quæ fit in loco isto. 2. *Par.* 6. *v.* 40. ℣. Ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cum judicáris. *Rom.* 3. *v.* 4. * Aperiantur.

LECTIO III. v. 42.

*Sacrificium pro peccatis mortuorum.*

AT verò fortíssimus Judas hortabátur pópulum conserváre se sine peccáto, sub óculis videntes quæ facta sunt pro peccátis eórum qui prostráti sunt. Et factâ collatióne, duódecim míllia drachmas argenti misit Jerosólymam offerri pro peccátis mortuórum sacrifícium, benè & religiósè de resurrectióne cógitans: (nisi enim eos qui cecíderant, resurrectúros speráret, supérfluum viderétur & vanum oráre pro mórtuis:) & quia considerábat quòd hi qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repósitam grátiam. Sancta ergo & salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur.

℟. III. Nos pópulus tuus, Dómine, & oves

páscuæ tuæ: * Confitébimur tibi in séculum; † In generatiónem & generatiónem annuntiábimus laudem tuam. *Psal.* 78. 13. ℣. Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi. 2. *Cor.* 1. *v.* 2. * Confitébimur. ℣. Glória. † In generatiónem.

*IN II. NOCTURNO.*

Judæ Machabæi exhortátio ad suos, & orátio ad Deum.

LECTIO IV. 1. Mac. 3. & 4

*Victoria à Deo.*

ACcingímini, & estóte filii potentes, & estóte paráti in manè, ut pugnétis advérsùs natiónes has, quæ convenérunt adversùs nos, dispérdere nos & sancta nostra; quóniam mélius est nos mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ, & sanctórum: sicut autem fúerit voluntas in cœlo, sic fiat. Benedictus es, Salvátor Israël, qui contrivisti ímpetum potentis in manu servi tui David, & tradidisti castra alienigenórum, in manu Jónathæ filii Saül, & armígeri ejus. Conclúde exércitum istum in manu pópuli tui Israël, & confundantur in exércitu suo & equítibus. Da illis formídinem, & tábefac audáciam virtútis eórum, & commoveantur contritióne sua. Déjice illos gládio diligéntium te, & collaudent te omnes qui novérunt nomen tuum in hymnis.

℟. IV. Quis, Dómine, dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra judícium tuum? * Cùm ergo sis justus, justè ómnia dispónis. *Sap.* 12. *v.* 12. 15. ℣. Justus es, Dómine, qui es & qui eras, sanctus. *Apoc.* 16. *v.* 15. * Cùm ergo.

De libro Ecclesiástici.

LECTIO V. c. 5. v. 1.

*Deus est patiens redditor pro peccatis.*

NOli atténdere ad possessiónes iníquas, & ne díxeris: Est mihi sufficiens vita; nihil enim próderit in témpore vindictæ & obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui: & ne díxeris: Quómodo pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris: Peccávi, & quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu; neque adjícias peccátum super peccátum. Et ne dicas: Miserátio Dñi magna est; multitúdinis peccatórum meórum miserébitur.

Misericórdia enim & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réspicit ira illíus. Non tardes convertī ad Dóminum, & ne dífferas de die in diem. Súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ dispérdet te. Nolī ánxius esse in divítiis injustis; non enim próderunt tibi in die obductiónis & vindíctæ. Non véntiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccátor probátur in dúplici linguâ. Esto firmus in via Dómini, & in veritáte sensûs tui & sciéntia, & prosequátur te verbum pacis & justítiæ.

℟. V. Virtus tua, Dómine, justítiæ inítium est; * Et ob hoc quòd ómnium Dóminus es, ómnibus te párcere facis. *Sap.* 12. *v.* 16. ℣. Accepisti virtútem tuam magnam, & regnasti. *Apoc.* 11. *v.* 17. * Et ob hoc.

LECTIO VI. c. 5. v. 12.

*Purganda peccata, mortuo non prohibenda gratia.*

HOnóra Deum ex tota ánima tua, & honorífica sacerdótes, & propurga te cum bráchiis. Da illis partem, sicut mandátum est tibi, primitiárum & purgatiónis: & de negligéntia tua purga te cum paucis. Datum brachiórum tuórum & sacrifícium sanctificatiónis ófferes Dómino, & inítia sanctórum: & páuperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio & benedíctio tua. Grátia datī in conspectu omnis viventis, & mórtuo non prohíbeas grátiam. Non desis plorántibus in consolatióne, & cum lugéntibus ámbula. Non te pígeat visitáre infirmum: ex his enim in dilectióne firmáberis. In ómnibus opéribus tuis memoráre novíssima tua, & in æternum non peccábis.

℟. VI. Qui facis misericórdiam tuam in míllibus, * Fortíssime, magne, & potens, † Dóminus exercítuum nomen tibi. *Jer.* 32. *v.* 18. ℣. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? *Apoc.* 16. *v.* 4. * Fortíssime. ℣. Glória. † Dóminus.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO VII. c. 3. v. 10.

*Cujusque opus igne probabitur.*

SEcundùm grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architectus fundamentum pó-

ti : álius autem superæ-lificat. Unusquísque au-tem vídeat quómodo su-peræ dificet. Fundamen-tum enim áliud nemo po-est pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundamentum hoc, au-rum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam; uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Dómini decla-rábit, quia in igne reve-lábitur: & uniuscujusque opus quale sit, ignis pro-bábit. Si cujus opus mán-serit quod superædificá-vit, mercédem accípiet. Si cujus opus árserit, de-trimentum patiétur: ipse autem salvus erit; sic ta-men quasi per ignem.

℟. VII. Qui te odérunt, extulérunt caput: erubes-cant & conturbentur, & cognoscant quia nomen tibi Dóminus; * Tu solus altíssimus in omni terrâ. *Psal.* 82. *v.* 3. 10. 19. ℣. Justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculórum. *Apoc.* 15. 3. * Tu solus.

LECTIO VIII. v. 16.

*Novit Deus cogitationes hominum.*

NEscítis quia templũ Dei estis, & Spíri-tus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, disperdet illum Deus. Templum e-nim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se sedúcat: si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc século, stultus fiat ut sit sápiens. Sapiéntia e-nim hujus mundi, stultítia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehen-dam sapientes in astútia eórum. Et íterùm: Dó-minus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam va-næ sunt. Nemo ítaque gloriétur in homínibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mun-dus, sive vita, sive mors, sive præséntia, sive futú-ra: ómnia enim vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei.

℟. VIII. Quàm bonus Israël Deus, * His qui re-cto sunt corde! *Psal.* 72. *v.* 1. ℣. Voluntas Dei bo-na, & beneplacens & per-fecta. *Rom.* 12. *v.* 2. * His qui.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 8. v. 1.

*Leprosus mundatus.*

IN illo témpore; Cùm descendisset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: & ecce le-prósus véniens, adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

*Epist. 3. ad Rogatianum, sec. 3.*

DOminus noster ipse Jesus Christus, Rex & Judex & Deus noster, usque ad passiónis diem servávit honórem Pontifícibus, & Sacerdótibus, quamvis illi nec timórem Dei, nec agnitiónem Christi servassent. Nam cùm leprósum emundasset, dixit illi: Vade, & monstra te Sacerdóti, & offer donum. Humilitáte eâ quâ nos quoque esse húmiles dócuit, Sacerdótem adhuc appellábat, quem sciébat esse sacrílegum: item sub ictu passiónis cum álapam accepisset, & ei dicerétur: Sic respondes Pontífici? Nihil ille contumeliósè locútus est in persónam Pontíficis. Quæ ómnia, ab eo ídeò facta sunt humíliter atque patienter, ut nos humilitátis ac patiéntiæ haberémus exemplum. Dócuit enim Sacerdótes veros legítimè & plenè honorári, dum circa falsos Sacerdótes ipse talis éxtitit.

℟. IX. Ei qui potens est ómnia fácere superabundánter quàm pétimus aut intellígimus: * Ipsi glória in Ecclésiâ, & in Christo Jesu, † In omnes generatiónes. *Eph. 3. v. 20. 21.* ℣. Potestas ejus, potestas sempiterna, & regnum ejus in generatiónem & generatiónem. *Dan. 4. v. 31.* * Ipsi. ℣. Glória. † In omnes.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 6. F. Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. *Matt. 8. v. 8.*

Orémus.

OMnípotens, sempitérne Deus, infirmitátẽ nostra propítius réspice; atque ad protegendum nos, déxtera tuæ majestátis extende; Per Dóminũ.

C A N O N.

Ex Concílio Burdigalensi secundo.

*An. 1583. tit. 6. de festis.*

OMnibus provínciæ nostræ Párochis indícimus; pópulum suum frequenter & sériò commonefáciant, ut diébus festis, non solùm à quibúslibet prohíbitis opéribus sese contíneant, verùm étiam sacris ómnibus Ecclésiæ mystériis, & divíni verbi prædicatióni, quantùm fíeri possit, ex ánimo & religiósè intersint: nec pietátis ópera ítidem prætermittant, in paupéribus reficiendis, afflictis consolandis, aliísque piis rebus gerendis; in quibus Christiána proféssio & cháritas máximè clarescit.

*Ad* Magníficat, *Ant.* . D. Multi ab oriente & ccidente vénient, & reumbent cum Abraham. *Matth.* 8. *v.* 11.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 2. c. 13. v. 1.

*Mors Menelai.*

ANno centésimo quadragésimo nono, conóvit Judas Antíochum upátorem veníre cum ultitúdine adversùs Juæam, & cum eo Lysiam rocuratórem & præpósiım negotiórum, secum abentem péditum cenım decem míllia, & éuitum quinque míllia, & lephantos viginti duos, urrus cum fálcibus treentos. Commíscuit auem se illis & Meneláus: t cum multa fallácia derecabátur Antíochum, on pro pátriæ salúte, sed perans se constítui in rincipátum. Sed Rex reum suscitávit ánimos Antíochi in peccatórem: t suggerente Lysiâ hunc sse causam ómnium maórum, jussit (ut eis est onsuetúdo) apprehenım in eódem loco necári. Erat autem in eódem oco turris quinquaginta ubitórum, aggestum únlique habens cíneris: hæc rospectum habébat in præceps. Inde in cínerem deíici jussit sacrílegum, ómnibus eum propelléntibus ad intéritum.

℟. Date. *pag.* 374.

LECTIO II. v. 9.

*Judas fugat hostes.*

REx mente effrænátus veniebat, nequiórem se patre suo Judæis ostensúrus. Quibus Judas cógnitis, præcépit pópulo ut die ac nocte Dóminum invocárent, quò, sicut semper, & nunc adjuváret eos. Ipse verò cum senióribus cogitávit, priùs quàm rex admovéret exércitum ad Judæam, & obtinéret civitátem, exíre: & Dómini judício commíttere éxitum rei. Dans ítaque potestátem ómnium Deo mundi creatóri, & exhortátus suos ut fórtiter dimicárent, & usque ad mortem pro légibus, templo, civitáte, pátria, & cívibus starent, circa Modin, exércitum constítuit. Et dato signo suis Dei victóriæ, juvénibus fortíssimis electis, nocte aggressus aulam régiam, in castris interfécit viros quátuor míllia, & máximum elephantórum cum his qui superpósiti fúerant: summóque metu ac perturbatióne hóstium castra replentes, rebus próspere gestis, abiérunt. Hoc autem factum

est die illucescente, adjuvante eum Dómini protectióne.

℟. Tu es Deus. *pag.* 374.

LECTIO III. v. 18.

*Bethsura ab Antiocho obsessa.*

SEd rex, accepto gustu audáciæ Judæórum, arte difficultátem locórũ tentábat: & Bethsúræ, quæ erat Judæórum præsídium munítum, castra admovébat: sed fugabátur, impingébat, minorabátur. His autem qui intùs erant, Judas necessária mittébat. Enuntiávit autem mystéria hóstibus Rhódocus quidam de Judáico exércitu, qui requisítus comprehensus est, & conclúsus. Iterùm rex sermónem hábuit ad eos qui erant in Bethsúris: dextram dedit, accépit, ábiit. Commísit cum Juda, superátus est.

℟. Nos pópulus. *p.* 374.

*CANON.*

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *cap.* 4.

IN conversatióne cum láïcis ita se hábeant Clérici, ut neque ex nímiâ familiaritáte, aut conversatióne æquáli, reddátur contemptus dignitátis; neque ex nímia austeritáte, fastu, aut pompâ, superbi, aut plus æquo eláti judicentur.

FERIA TERTIA.

De libris Machabæórum.

LECT. I. *lib.* 2. c. 14. v. 3.

*Alcimus.*

ALcimus autem quidam, qui summus Sacerdos fúerat, venit ad regem Demétrium, ófferens ei corónam áuream, & palmam, super hæc & thallos, qui templi esse videbantur: & ipsâ quidem die síluit. Tempus autem opportúnum deméntiæ suæ nactus, convocátus à Demétrio ad consílium, & interrogátus quibus rebus & consíliis Judæi niterentur, respondit: Ipsi qui dicuntur Assidæi Judæórum, quibus præest Judas Machabæus, bella nútriunt & seditiónes movent, nec patiuntur regnum esse quiétum. Nam quándiu súperest Judas, impossíbile est pacem esse negótiis. Tálibus autem ab hoc dictis, & cæteri amíci hostíliter se habentes adversùs Judam, inflammavérunt Demétriũ. Qui statim Nicánorem præpósitum elephantórũ, ducem misit in Judæam: datis mandátis, ut ipsum quidem Judam cáperet; eos verò, qui cum illo erant, dispérgeret, & constitúeret Alcimũ máximi templi summũ Sacerdótẽ.

℟. Quis. *pag.* 375.

) II. v. 17.
· *Nicanorem &*
*udam.*
verò frater Judæ
íserat cum Ni-
sed contérritus
íno adventu ad-
m. Nicánor ta-
diens virtútem
Judæ, & ánimi
inem quam pro
ertamínibus ha-
sánguine judí-
ere metuébat.
) rem præmísit
um, & Theodó-
Matthíam, ut
extras atque ac-
Et cùm diu de
ium agerétur, &
id multitúdinem
, ómnium una
itia amicítiis an-
orabátur autem
Jerosólymis, ni-
uè agébat, gre-
arbárum, quæ
æ fúerant, di-
ebat autem Ju-
per charum ex
c erat viro incli-
lcimus autem,
haritátem illó-
ínvicem, &
ines, venit ad
m, & dicé-
cánorem rebus
sentíre, Judam-
ii insidiatórem
m sibi desti-

tus tua. *pag.*

LECTIO III. v. 30.
*Nicanor templi minatur eversionem.*

AT Machabæus, videns secum austériùs ágere Nicánorem, & consuétum occursum ferócius exhibentem, intélligens non ex bono esse austeritátem istam, paucis suórum congregátis, occultávit se à Nicánore. Quod cùm ille cognóvit fórtiter se à viro præventum, venit ad máximum & sanctíssimum templum: & sacerdótibus sólitas hóstias offeréntibus, jussit sibi tradi virum. Quibus cum juramento dicéntibus nescíre se ubi esset qui quærebátur, extendens manum ad templum jurávit, dicens: Nisi Judam mihi vinctum tradidéritis, istud Dei fanum in planítiem dedúcam, & altáre effódiam, & templum hoc Líbero patri consecrábo. Et his dictis, ábiit. Sacerdótes autem protendentes manus in cœlum, invocábant eum qui semper propugnátor esset gentis ipsórum, hæc dicentes: Tu, Dómine universórum, qui nullíus índiges, voluisti templũ habitatiónis tuæ fieri in nobis: & nunc, sancte sanctórum, ómnium Dómine, conserva in æternum impollútam do-

mum istam, quæ nuper mundáta est.

℟. Qui facis. *pag.* 376.

*C A N O N.*

Ex Concílio Aquileïensi.

*An.* 1599. *cap.* 11.

CONvívia & nímiam laïcórum familiaritátem, multárum offensiónum & scandalórum originem, debent Clérici in quocumque gradu constitúti declináre ac fúgere.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 2. c. 15. v. 1.

*Summa Nicanoris superbia.*

NIcánor autem, ut cómperit Judam esse in locis Samaríæ, cogitávit cum omni ímpetu die sábbati commíttere bellum. Judæis verò qui illum per necessitátem sequebantur, dicéntibus: Ne ita feróciter & bárbarè féceris; sed honórem tríbue diéi sanctificatiónis, & honóra eum qui universa cónspicit. Ille infélix interrogávit, si est potens in cœlo, qui imperávit agi diem sabbatórum? Et respondéntibus illis: Est Dóminus vivus ipse in cœlo potens, qui jussit agi séptimam diem. At ille aït: Et ego potens sum super terram, qui ímpero sumi arma, & negótia regis impléri. Tamen non obtínuit ut consílium perficeret. Et Nicánor quidem cum summa supérbia erectus, cogitáverat commúne trophæum statúere de Juda.

℟. Qui te odérunt. *pag.* 377.

LECTIO II. v. 7.

*Machabæi in Deo fiducia.*

MAchabæus autem semper confidébat cum omni spe auxílium sibi à Deo affutúrum. Consíderans Machabæus adventum multitúdinis, & apparátum várium armórum, & ferocitátem bestiárum, extendens manus in cœlum, prodígia facientem Dóminum invocávit, qui non secundùm armórum poténtiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victóriam. Dixit autẽ ínvocans hoc modo: Tu, Dómine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechía rege Juda, & interfecisti de castris Sennácherib centum octoginta quinque míllia; & nunc, dominátor cœlórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre & tremóre magnitúdinis bráchii tui, ut métuant qui cum blasphémia véniunt adversùs sanctum pópulum tuum. Et hic quidem ita perorávit. Nicanor autem, & qui cum ipso erant, cum tubis &

cánticis admovebant. Judas verò, & qui cum eo erant, invocáto Deo per oratiónes, congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dóminum córdibus orantes, prostravérunt non minùs triginta quinque míllia, præséntiâ Dei magníficè delectáti.

℟. Quàm bonus. *pag.* 177.

LECTIO III. v. 28.

*Nicanoris caput & manus.*

CUmque cessassent, & cum gáudio redírent, cognovérunt Nicánorem fuisse cum armis suis. Facto ítaque clamóre, & perturbatióne excitátâ, pátriâ voce omnipotentem Dóminum benedicébant. Præcépit autem Judas, qui per ómnia córpore & ánimo mori pro cívibus parátus erat, caput Nicánoris, & manum cum húmero abscissam, Jerosólymam perferri. Quò cùm pervenísset, convocátis contribúlibus, & sacerdótibus ad altáre, accérsiit & eos qui in arce erant. Et ostenso cápite Nicánoris, & manu nefáriâ, quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei magníficè gloriátus est: linguam étiam ímpii Nicánoris præcísam jussit particulátim ávibus dari; manum autem dementis contra templum suspendi. Omnes ígitur cœli benedixérunt Dóminum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminátum servávit. Suspendit autem Nicánoris caput in summa arce, ut évidens esset & manifestum signū auxílii Dei.

℟. Ei qui potens est, *pag.* 378.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 44.

FAcíliùs contémnitur Cléricus qui sæpe vòcátur ad prándium, & non recúsat. Numquam petentes, raрò accipiámus rogáti.

FERIA QUINTA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 1. c. 9. v. 1.

*Mors Judæ.*

UT audívit Demétrius, quia cecidit Nicánor, & exércitus ejus in prælio, appósuit Bácchidem & Alcimum rursùm míttere in Judæam, & dextrum cornu cum illis. Et abiérunt viam quæ ducit in Gálgala, & castra posuérunt in Másaloth, quæ est in Arbellis, & occupavérunt eam, & peremérunt ánimas hóminum multas. In mense primo anni centésimi & quinquagésimi secundi, applicuérunt e-

xércitum ad Jerúsalem: & surrexérunt, & abiérunt in Béream viginti míllia virórum, & duo míllia équitum. Et dixit his qui resídui erant: Surgámus, & eámus ad adversários nostros, si potérimus pugnáre adversùs eos. Et avertébant eum. Et ait Judas: Absit istam rem fácere, ut fugiámus ab eis: & si appropiávit tempus nostrum, moriámur in virtúte propter fratres nostros, & non inferámus crimen glóriæ nostræ. Et ingravátum est prælium, & cecidérunt vulneráti multi ex his & ex illis. Et Judas cécidit, & cæteri fugérunt.

℟. Date. *pag.* 374.

LECTIO II. V. 19.

*Judas sepelitur.*

JOnathas & Simon tulérunt Judam fratrem suum, & sepeliérunt eum in sepulchro patrum suórum in civitáte Modin. Et flevérunt eum omnis pópulus Israël planctu magno, & lugébant dies multos, & dixérunt: Quómodò cécidit potens, qui salvum faciébat pópulum Israël? & cætera verba bellórum Judæ & virtútum quas fecit, & magnitúdinis ejus, non sunt descripta; multa enim erant valdè. Et factum est: post óbitum Judæ emersérunt iniqui in ómnibus finibus Israël, & exorti sunt omnes qui operabantur iniquitátem.

℟. Tu es Deus. *p.* 374.

LECTIO III. V. 24.

*Immanitas Bacchidis.*

IN diébus illis facta est fames magna valdè, & trádidit se Bácchidi omnis régio eórum cum ipsis. Et elégit Bácchides viros ímpios, & constítuit eos dóminos regiónis: & exquirébant, & perscrutabantur amícos Judæ, & adducébant eos ad Bácchidem, & vindicábat in illos, & illudébat. Et facta est tribulátio magna in Israël, qualis non fuit ex die quâ non est visus prophéta in Israël.

℟. Nos pópulus. *pag.* 374.

*CANON.*

Ex Concílio Remensi, *An.* 1583. *tit. de Clericis, num.* 2.

NE Clérici sacris initiáti aut beneficiáti se suamque óperam láicis quantumvis nobílibus addícant, ad rerum domesticárum dispensatiónem, negotiórum procuratiónem, cellæ vináriæ, vel annónæ régimen: aut áliquod áliud vile indecorumque suo órdini ministérium..... Alióquin severíssimè coerceantur.

FERIA

SEXTA.
lachabæórum.
. 1. c. 9. v. 28.
*loco Judæ*
*ctus.*

regáti sunt
es amíci Judæ,
ixérunt Jóna-
io frater tuus
nctus est, vir
non est, qui
a inimícos no-
hidem, & eos
i sunt gentis
unc ítaque te
imus esse pro
in príncipem,
ad bellandum
strum. Et sus-
athas témpore
átum, & sur-
udæ fratris sui.
rit Bácchides,
it eum occíde-
óvit Jónathas,
frater ejus, &
cum eo erant:
it in desertum
& consedérunt
lacûs Asphar.
vit Bácchides,
batórum venit
mnis exércitus
s Jordánem. Et
misit fratrem
em pópuli, &
labuthæos amí-
, ut commodá-
pparátum suum,
opiósus. Et exié-
Jambri ex Má-
comprehendé-
inem, & ómnia
*lutumnalis Carc.*

quæ habébat: & abiérunt habentes ea.

℟. Quis, Dómine. *pag.* 375.

LECTIO II. v. 37.

*Nuptiæ filiorum Jambri in luctum conversæ.*

POst hæc verba, renuntiátum est Jónathæ, & Simóni fratri ejus, quia filii Jambri fáciunt núptias magnas, & ducunt sponsam ex Mádaba, filiam uníus de magnis princípibus Chánaan cũ ambitióne magna. Et recordáti sunt sánguinis Joannis fratris sui; & ascendérunt, & abscondérunt se sub tegumento montis. Et elevavérunt óculos suos, & vidérunt: & ecce tumultus, & apparátus multus; & sponsus procéssit, & amíci ejus, & fratres ejus, óbviam illis cum tympanis & músicis, & armis multis. Et surrexérunt ad eos ex insídiis, & occidérunt eos; & cecidérunt vulneráti multi, & resídui fugérunt in montes: & accepérunt ómnia spólia eórum: & conversæ sunt núptiæ in luctum, & vox musicórum ipsórum in lamentum. Et vindicavérunt vindictam sánguinis fratris sui, & reversi sunt ad ripam Jordánis.

℟. Virtus tua. *pag.* 376.

LECTIO III. v. 43.

*Bellum commissum à Jonatha ad ripam Jordanis.*

AUdívit Bácchides, & venit die sabbatórum usque ad oram Jordánis in virtúte magna. Et dixit ad suos Jónathas: Surgámus, & pugnémus contra inimícos nostros: non est enim hódie sicut heri & nudiustértius. Ecce enim bellum ex adverso, aqua verò Jordánis hinc & inde, & ripæ, & palúdes, & saltus, & non est locus divertendi. Nunc ergo clamáte in cœlum, ut liberémini de manu inimicórum vestrórum. Et commissum est bellum. Et extendit Jónathas manũ suam percútere Bácchidem, & divertit ab eo retrò: & dissíliit Jónathas, & qui cũ eo erant in Jordánem, & transnatavérunt ad eos Jordánem. Et cecidérunt de parte Bácchidis die illa mille viri. Et reversi sunt in Jerúsalẽ. & ædificavérunt civitátes munítas, munitiónẽ, quæ erat in Jericho & Bethoron.

℟. Qui facis. *pag.* 376.

*CANON.*

Ex Concílio Turonensi tértio.

*An.* 813. *Can.* 29.

PResbyteris, Diacónibus, cæterisque Cléricis intra claustra monasteriórũ puellárum non sit concessum habitáre, neque enim intrent monastéria, nisi témpore quo Missárũ solémnia celebranda sint, vel ália quælibet Ecclesiástica Officia peragenda; quibus peractis, statim egrediantur, nec ibi póstea áliquã morã fáciant.

SABBATO.

De libris Machabæórum.

LECT. I. l. 1. c. 9. v. 54.

*Mors Alcimi.*

ET anno centésimo quinquagésimo tértio, mense secundo, præcépit Alcimus déstrui muros domûs sanctæ interióris, & déstrui ópera Prophetárum; & cœpit destrúere. In témpore illo percussus est Alcimus; & impedíta sunt ópera illíus, & occlúsum est os ejus, & dissolútus est parálysi; nec ultrà pótuit loqui verbum, & mandáre de domo sua. Et mórtuus est Alcimus in témpore illo cum tormento magno. Et vidit Bácchides quóniam mórtuus est Alcimus, & reversus est ad regem; & síluit terra annis duóbus.

LECTIO II. v. 58.

*Insidiæ detectæ.*

COgitavérunt omnes iniqui dicentes: Ecce Jónathas, & qui cum eo sunt, in siléntio hábitant confidenter: nunc ergo adducámus Bácchidem, & comprehendet eos om-

nâ nocte. Et abié-
& consílium ei de-
t. Et surrexit ut ve-
cum exércitu multo:
sit occulte epístolas
suis, qui erant in
a, ut comprehénde-
ónathan, & eos qui
eo erant: sed non
runt, quia innótuit
onsílium eórum. Et
hendit de viris re-
s, qui príncipes e-
nilítiæ, quinquagin-
os, & occídit eos:
essit Jónathas & Si-
& qui cum eo erant
thbessen, quæ est in
to: & exstruxit dí-
jus, & firmavérunt
Et cognóvit Bácchi-
& congregávit uni-
m multitúdinem suã;
qui de Judæa erant,
ntiávit. Et venit,
stra pósuit desuper
bessen, & oppugná-
am dies multos, &
máchinas. Et relíquit
thas Simónem fra-
suum in civitáte, &
in regiónem, & ve-
um número. Et per-
Odaren, & fratres
& filios Pháseron in
náculis ipsórum; &
cædere, & créscere
tútibus.

ctio III. v. 67.
*pace, Jonathas habi-
at in Machmas.*
mon verò, & qui
um ipso erant, exié-
runt de civitáte, & suc-
cendérunt máchin s: &
pugnavérunt contra Bác-
chidem, & contrítus est
ab eis: & afflixérunt eum
valdè, quóniam consíliũ
ejus, & congressus ejus
erat inánis. Et irátus con-
tra viros iníquos, qui ei
consílium déderant ut ve-
níret in regiónem ipsó-
rum, multos ex eis oc-
cídit: ipse autem cogitá-
vit cum réliquis abíre in
regiónem suam. Et co-
gnóvit Jónathas, & misit
ad eum legátos compó-
nere pacem cum ipso,
& réddere ei captivitátẽ.
Et libenter accépit, & fe-
cit secundùm verba ejus,
& jurávit se nihil factú-
rum ei mali ómnibus dié-
bus vitæ ejus: & réddidit
ei captivitátem quã priùs
erat prædátus de terra Ju-
da: & conversus ábiit in
terram suam, & non ap-
pósuit ámpliùs veníre in
fines ejus. Et cessávit glá-
dius ex Israël, & habitá-
vit Jónathas in Mach-
mas, & cœpit Jónathas
ibi judicáre pópulum, &
extermínávit ímpios ex
Israël.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno.
*Sess. 25. cap. 5.*

INgredi intra septa mo-
násterii sanctimoniá-
lium némini líceat, cujus-
cumque géneris aut con-

ditiónis, sexûs, vel ætátis fúerit, sine Epíscopi vel Superióris licéntia in scriptis obtenta, sub excommunicatiónis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantùm Epíscopus vel Supérior licéntiam debet in cásibus necessáriis.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 4. A. Induit se Jónathas stolâ sanctâ séptimo mense in die solemni. 1. *Mac.* 10. 21.

*Oratio, infrà ad Laudes.*

DOMINICA XXV. post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 1. c. 10. v. 1.

*Demetrius Jonathan allicit.*

ANno centésimo sexagésimo ascendit Alexander Antíochi filius, qui cognominátus est Nóbilis; & occupávit Ptolemáïdam: & recepérunt eum, & regnávit illic. Et audívit Demétrius rex, & congregávit exércitum copiósum valdè, & exívit óbviàm illi in prælium. Et misit Demétrius epístolam ad Jónathan verbis pacíficis, ut magnificáret eũ. Et venit Jónathas in Jerúsalem, & legit epístolas in audítu omnis pópuli, & eórum qui in arce erant. Et tráditi sunt Jónathæ óbsides, & réddidit eos paréntibus suis: & habitávit Jónathas in Jerúsalem, & cœpit ædificáre & innováre civitátem. Et fugérunt alienígenæ, qui erant in munitiónibus, quas Bácchides ædificáverat. Et relíquit unusquisque locum suum, & ábiit in terram suam: tantùm in Bethsúra remansérunt áliqui ex his qui relíquerant legem & præcepta Dei; erat enim hæc eis ad refúgium.

℟. 1. Dómine, Dómine, rex omnípotens; * In ditióne enim tuâ cuncta sunt pósita. *Esth.* 13. *v.* 9. ℣. Fiat volúntas tua, sicut in cœlo & in terra. *Matth.* 6. *v.* 10. * In ditióne.

LECTIO II. v. 15.

*Alexander Jonathan sibi conciliat.*

AUdívit Alexander rex promíssa quæ promísit Demétrius Jónathæ: & narravérunt ei prælia, & virtútes quas ipse fecit, & fratres ejus, & labóres quos laboravérunt. Et ait: Numquid inveniémus áliquem virũ talem? & nunc faciémus eum amícum, & sócium nostrum. Et scripsit epístolam, & misit ei secundùm hæc verba, dicens; Rex Alexander fratri Jónathæ salútem. Audívi-

tius de te, quòd vir potens sis víribus, & aptus es ut sis amícus noster: & nunc constitúimus te hódie summum sacerdótem gentis tuæ, & ut amícus vocéris regis (& misit ei púrpuram, & corónam áuream) & quæ nostra sunt séntias nobíscum, & conserves amicítias ad nos. Et índuit se Jónathas stolâ sanctâ séptimo mense, anno centésimo sexagésimo, in die solemni scenopégiæ; & congregávit exércitum, & fecit arma copiósa.

℟. II. Deus noster, magne, fortis, & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam, * Ne avertas à fácie tua omnem labórem qui invénit nos. 2. *Esdr.* 9. *v.* 32. ℣. Unusquísque tentátur à concupiscéntia sua abstractus & illectus. *Jac.* 1. *v.* 14. * Ne avertas.

LECTIO III. v. 22.

*Demetrii invidia & dolus.*

AUdívit Demétrius verba ista, & contristátus est nimis, & ait: Quid hoc fécimus; quòd præoccupávit nos Alexander apprehéndere amicítiam Judæórum ad munímen suî? Scribam & ego illis verba deprecatória, & dignitátes, & dona: ut sint mecum in adjutórium. Ut audívit autem Jónathas & pópulus sermónes istos, non credidérunt eis, nec recepérunt eos: quia recordáti sunt malítiæ magnæ, quam fécerat in Israël, & tribuláverat eos valdè. Et complácuit eis in Alexandrum, quia ipse fúerat eis princeps sermónum pacis, & ipsi auxílium ferébant ómnibus diébus.

℟. III. Tu ipse es Deus noster, * Qui cónteris bella ab inítio; † Et Dóminus nomen est tibi. *Judith.* 9. *v.* 10. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam & honórem. *Apoc.* 4. *v.* 11. * Qui cónteris. ℣. Glória. † Et Dóminus.

*IN II. NOCTURNO.*

De Epístola Jónathæ summi Sacerdótis ad Spartíatas.

LECTIO IV. lib. 1. Mac. c. 12. v. 8.

*Conqueritur de regibus impugnantibus Judæam.*

JAm pridem Onías accépit epístolas in quibus significabátur de societáte & amicítia. Nos cùm nullo horum indigerémus, habentes solátio sanctos libros qui sunt in mánibus nostris; malúimus míttere ad vos renováre fraternitátem & amicítiam, ne fortè aliéni

efficiámur à vobis; multa enim témpora transiérunt, ex quo misistis ad nos. Nos ergo in omni témpore sine intermissióne in diebus solémnibus, & cæteris quibus oportet, mémores sumus vestrî in sacrificiis quæ offérimus, & in observatiónibus, sicut fas est & decet meminisse fratrum. Lætámur ítaque de glória vestra. Nos autem circumdedérunt multæ tribulatiónes & multa prælia, & impugnavérunt nos reges, qui sunt in circúitu nostro. Nolúimus ergo vobis molesti esse, neque cæteris sóciis & amícis nostris, in his præliis. Habúimus enim de cœlo auxílium, & liberáti sumus nos, & humiliáti sunt inimíci nostri.

℟. IV. Nosse te, Deus, consummáta iustítia est; * Et scire iustítiam & virtútem tuam, radix est immortalitátis. *Sap.* 15. *v.* 3. ℣. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. *Joan.* 17. *v.* 3. * Et scire.

De Parábolis Salomónis.

LECTIO V. c. 10. v. 4.

*Mendacis detestatio, laus justi.*

QUi nítitur mendáciis, hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes. Qui cóngregat in messe, fílius sápiens est: qui autem stertit æstáte, fílius confusiónis. Benedíctio Dómini super caput justi: os autem impiórum óperit iníquitas. Memória justi cum láudibus: & nomen impiórum putrescet. Sápiens corde præcepta súscipit: stultus cæditur lábiis. Qui ámbulat simplíciter, ámbulat confidenter; qui autem deprávat vias suas, manifestus erit. Qui ánnuit óculo, dabit dolórem; & stultus lábiis verberábitur. Vena vitæ, os justi: & os impiórum óperit iniquitátem. Odium súscitat rixas: & univérsa delícta óperit cháritas. In lábiis sapientis invenítur sapiéntia: & virga in dorso ejus qui índiget corde. Sapientes abscondunt sciéntiam: os autē stulti confusióni próximum est.

℟. V. Tu, Deus noster, * Suávis & verus es, pátiens, & in misericórdia dispónens ómnia. *Sap.* 15. *v.* 1. ℣. Panem nostrum supersubstantiálem da nobis hódiè. *Mat.* 6. *v.* 11. * Suávis.

LECTIO VI. v. 16.

*Odium abscondunt labia mendacis.*

OPus justi ad vitam: fructus autem impii

cátum. Via vitæ,
ienti disciplínam:
tem increpatiónes
uit, errat. Abscon-
idium lábia men-
qui profert contu-
a, insípiens est. In
quio non déerit
am: qui autem mo-
r lábia sua, pru-
imus est. Argentũ
n, lingua justi:
em impiórum pro
Lábia justi erú-
dúrimos; qui autẽ
i sunt, in cordis
e morientur. Be-
io Dómini dívites
nec sociábitur eis
o. Quasi per risum
operátur scelus:
ia autem est viro
tia. Quod timet
, véniet super eum:
ium suum justis
r. Quasi tempe-
insiens non erit ím-
justus autem quasi
nentum sempiter-

vi. Anima mea
oit in Dómino, &
ibitur super salutári
Omnia ossa mea
: † Dómine, quis
tibi? *Psal.* 34. *v.*
℣. Quia unus dies
Dóminum sicut
nni, & mille anni
lies unus. 2. *Petr.*
. * Omnia. ℣. Gló-
Dómine, quis sí-
ibi?

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

LECTIO VII. c. 4. v. 15.

*Veritas facienda in charitate.*

Veritátem facientes in charitáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem junctúram subministratiónis, secundùm operatiónem in mensúram uniuscujusque membri, augmentum córporis facit in ædificatiónem suî in charitáte. Hoc ígitur dico, & testíficor in Dómino, ut jam non ambulétis sicut & gentes ámbulant in vanitáte sensûs sui; ténebris obscurátum habentes intellectum, alienáti à vita Dei, per ignorántiam quæ est in illis, propter cæcitátem cordis ipsórum; qui desperantes, semetipsos tradidérunt impudicítiæ, in operatiónem immundítiæ omnis, in avarítiam. Vos autem non ita didicistis Christum; si tamen illũ audistis, & in ipso edocti estis, sicut est véritas in Jesu: depónere vos, secundùm prístinam conversatiónem, véterem hóminem, qui corrúmpitur secundùm desidéria erró-

ris. Renovámini autem spíritu mentis vestræ, & indúite novum hóminem qui secundùm Deum creátus est in justítia & sanctitáte veritátis.

℟. VII. Memento, Dómine, rex omnípotens, * Et ostende te nobis in témpore tribulatiónis nostræ, & da mihi fidúciam, Dómine, rex deórũ. *Esth.* 14. 1. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, sed líbera nos à malo. *Matth.* 6. 12. * Et ostende.

LECTIO VIII. v. 25.

*Deponendum mendacium.*

PRopter quod deponentes mendácium, loquímini veritátem unusquisque cum próximo suo: quóniam sumus ínvicem membra. Irascímini, & nolíte peccáre: sol non óccidat super iracúndiam vestram. Nolíte locum dare diábolo: qui furabátur, jam non furétur; magis autem labóret operando mánibus suis quod bonum est, ut hábeat unde tríbuat necessitátem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procédat: sed si quis bonus ad ædificatiónem fidei, ut det grátia audiéntibus. Et nolíte contristáre Spíritum sanctum Dei, in quo signáti estis in diem redemptiónis. Omnis amaritúdo, & ira, & indignátio, & clamor, & blasphémia tollátur à vobis cum omni malítia. Estóte autem ínvicem benigni, misericordes, donantes ínvicem, sicut & Deus in Christo donávit vobis.

℟. VIII. Non est álius Deus quàm tu, cui cura est de ómnibus, * Ut ostendas quóniam non injustè júdicas judícium. *Sap.* 12. 13. ℣. Dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris. *Matth.* 6. 12. * Ut ostendas.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 8. v. 23.

*Tempestas sedata.*

IN illo témpore: Ascendente Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus: & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; ipse verò dormiébat. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Enar. 2. in Psal.* 25.

AUdistis in Evangélio: Periclitabátur navígium in stagno, & dormiébat Jesus. Navigámus per quoddam stagnum, & ventus & procellæ non desunt; tentatiónibus quotidiánis hujus séculi propè opplétur nostrum navígium. Unde

fit, nisi quia dor-
ius? Si non dormí-
e Jesus, tempestá-
s non paterêris; sed
illitátem haberes
s, convigilante te-
esu. Quid est au-
lormit Jesus? fides
uæ est de Jesu, ob-
rit. Surgunt pro-
tagni hujus: vides
florére, bonos la-
: tentátio est, flu-
t. Et dicit ánima
) Deus, ipsa est ju-
ua, ut mali flóreant,
bórent? Dicis Deo:
ft justítia tua? &
ibi: Ipsa est fides
æc enim tibi pro-
ad hoc christiánus
es, ut in século isto
s? Torquéris quia
li florent, qui cum
o pósteà torque-
:. Sed unde hoc di-
nde flúctibus stagni
npestáte turbáris?
lormit Jesus, id est,
les tua, quæ est de Je-
íta est in corde tuo.
x. Non in multitú-
st virtus tua, Dó-
neque in equórum
s voluntas tua est;
: supèrbi ab inítio
runt tibi, sed humí-
& mansuetórum †
r tibi plácuit de-
io. *Judith. 9. v. 16.*
bscondisti hæc à sa-
bus & prudéntibus,
velasti ea párvulis.
*Matth. 11. 25.* * Nec su-
perbi. ℣. Glória. † Semper.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 1. g. Surgens Jesus imperávit ventis & mari, & facta est tranquíllitas magna. *Matth. 8. 26.*

Orémus.

DEus, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis & córporis; ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvante vincámus; Per Dóminum.

*CANON.*

Ex Concílio Aquensi.
*An. 1585. Tit. de fest. cultu.*

DOceantur pópuli crebrò ab iis ad quos pértinet, ut festos dies qui Dei cúltui dicáti sunt, in divínis officiis concionibusque audiendis, necnon in oratiónibus, maximísque ac contínuis Dei erga nos benefíciis recolendis, sanctè ac piè tránsigant.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 8. G. Hómines miráti sunt dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obédiunt ei? *Matth. 8. 27.*

*Oratio, ut suprà.*

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 1. c. 10. v. 48.

*Mors Demetrii.*

COngregávit rex Alexander exércitum magnum, & admó-

vit castra contra Deméetriũ. Et commiserunt prælliũ duo reges, & fugit exércitus Demétrii, & insecútus est eum Alexander, & incúbuit super eos. Et inváluit prælium nimis, donec óccidit sol: & cécidit Demetrius in die illa.

℟. Dómine, Dómine. 388.

LECTIO II. v. 51.

*Alexandri conjugium.*

ET misit Alexander ad Ptolemæum regẽ Ægypti legátos secundũ hæc verba, dicens: Quóniam regressus sum in regnum meum, & sedi in sede patrum meórum, & obtínui principátum, & contrívi Demétrium, & posséedi regiónem nostrã, & commísi pugnam cum eo, & contrítus est ipse, & castra ejus, à nobis; & sédimus in sede regni ejus: & nunc statuámus ad ínvicem amicítiam: & da mihi fíliam tuam uxórem, & ego ero gener tuus, & dabo tibi dona, & ipsi, digna te. Et respondit rex Ptolemæus, dicens: Felix dies in qua reversus es ad terram patrum tuórũ, & sedisti in sede regni eórum. Et nunc fáciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemáidam, ut videámus ínvicem nos, & spóndeam tibi sicut dixisti. Et exívit Ptolemæus de Ægypto, ipse & Cleopátra filia ejus, & venit Ptolemáidam, anno centésimo sexagésimo secundo. Et occurrit ei Alexander rex, & dedit ei Cleopátram fíliam suam, & fecit núptias ejus Ptolemáidæ, sicut reges, in magna glória.

℟. Deus noster, magne. 389.

LECTIO III. v. 59.

*Jonathas honorificè ab Alexandro exceptus.*

SCripsit rex Alexander Jónathæ ut veníret óbviàm sibi. Et ábiit cum glória Ptolemáidam, & occurrit ibi duóbus régibus, & dedit illis argentum multum, & aurum, & dona; & invénit grátiam in conspectu eórum. Et convenérunt adversùs eum viri pestilentes ex Israël, viri iníqui interpellantes adversùs eum: & non intendit ad eos rex. Et jussit spoliári Jónathan véstibus suis, & índui eum púrpurâ; & ita fecérunt. Et collocávit eum rex sedére secum. Dixitque princípibus suis: Exíte cum eo in médium civitátis, & prædicáte ut nemo adversùs eum interpellet de ullo negótio, nec quisquam ei molestus sit de ulla ratióne. Et factum est ut vidérunt qui interpellábant glóriam ejus, quæ prædi-

ur, & opertum eum
â, fugérunt omnes:
gnificávit eum rex,
psit eum inter pri-
micos, & pósuit eũ
& partícipem prin-
s. Et reversus est
jas in Jerúsalem cũ
& lætítia.
Tu ipse es Deus. p.

C A N O N.
ncílio Lateranensi
ndo œcuménico.
1139. can. 15.
quis suadente diá-
lo hujus sacrilégii
a incúrrerit, quòd
éricum vel Móna-
violentas manus
erit, anathématis
o subjáceat: & nul-
piscopórum illũ præ-
absólvere, nisi mor-
gente perículo, do-
postólico conspéctui
ntétur, & ejus man-
n suscípiat.
IA TERTIA.
libris Machabæó-
rum.
io 1. l. 1. c. 10.
v. 67.
*Joppe capta.*
anno centésimo se-
gésimo quinto venit
emétrius fílius De-
i à Creta in terram
m suórum. Et audí-
lexander rex, & con-
tus est valdè, & re-
s est Antiochíam. Et
ítuit Demétrius rex

Apollónium ducem qui præerat Cœlesyriæ: & congregávit exércitum magnum, & accessit ad Jámniam; & misit ad Jónathan summum sacerdótẽ, dicens: Tu solus resistis nobis: ego autem factus sum in derísum & in oppróbrium, proptéreà quia tu potestátem adversùm nos exerces in móntibus. Nunc ergo si confídis in virtútibus tuis, descende ad nos in campum, & comparémus illic ínvicẽ: quia mecum est virtus bellórum. Intérroga, & disce quis sum ego, & cæteri qui auxílio sunt mihi, qui & dicunt quia non potest stare pes vester ante fáciem nostram, quia bis in fugam conversi sunt patres tui in terra sua: & nunc quómodò póteris sustinére equitátum & exércitũ tantum in campo, ubi non est lapis neque saxum, neque locus fugiendi? Ut audívit autem Jónathas sermónes Apollónii, motus est ánimo: & elégit decem míllia virórum, & éxiit ab Jerúsalem, & occurrit ei Simon frater ejus in adjutórium: & applicuérunt castra in Joppen, & exclúsit eum à civitáte, (quia custódia Apollónii Joppe erat,) & oppugnávit eam. Et extérriti qui erant in civitáte, aperué-

runt ei, & obtínuit Jónathas Joppen.

℟. Nosse te, Deus. p. 390.

LECTIO II. v. 77.

*Apollonius combustus in templo Dagon.*

AUdívit Apollónius, & admóvit tria míllia équitum & exércitum multum. Et ábiit Azótum tamquam iter fáciens, & statim éxiit in campum, eò quòd habéret multitúdinem équitum, & confíderet in eis. Et insecútus est eum Jónathas in Azótum, & commisérunt prælium. Et relíquit Apollónius in castris mille équites post eos occultè. Et cognóvit Jónathas quóniam insídiæ sunt post se, & circuiérunt castra ejus, & jecérunt jácula in pópulum à mane usque ad vésperam. Pópulus autem stabat sicut præcéperat Jónathas; & laboravérunt equi eórum. Et ejécit Simon exércitum suum, & commísit contra legiónẽ: équites enim fatigáti erant, & contríti sunt ab eo, & fugérunt. Et qui dispersi sunt per campum, fugérunt in Azótum, & intravérunt in Bethdágon idólum suum, ut ibi se liberárent. Et succendit Jónathas Azótum, & civitátes quæ erant in circúitu ejus, & accépit spólia eórum & templum Dagon; & omnes qui fugérunt in illud, succendit igni. Et fuérunt qui cecidérunt gládio cum his qui succensi sunt, ferè octo míllia virórum.

℟. Tu Deus. 390.

LECTIO III. v. 86.

*Jonathas ab Alexandro honoratus.*

MOvit inde Jónathas castra, & applícuit ea Ascalónem: & exiérunt de civitáte óbviàm illi in magna glória. Et reversus est Jónathas in Jerúsalem cum suis habéntibus spólia multa. Et factum est ut audívit Alexander rex sermónes istos, áddidit adhuc glorificáre Jónathan. Et misit ei fíbulam áuream, sicut consuetúdo est dari cognátis regum. Et dedit ei Accaron, & omnes fines ejus in possessiónem.

℟. Anima mea exultábit. 391.

*C A N O N.*

Ex Concílio Lateranensi œcuménico quarto.

*An.* 1215. *cap.* 18.

SEnténtiam sánguinis nullus Cléricus dictet aut próferat: sed nec sánguinis vindíctã exérceat, aut ubi exercétur, intersit... Nec quisquã Cléricus lítteras scribat aut dictet pro vindícta sánguinis destinandas.

FERIA QUARTA.
De libris Machabæórum.
Lectio I. l.1.c.11.v.38.
*Judæi Demetrio auxiliantur.*

VIdens Demétrius rex quòd síluit terra in conspectu suo, & nihil ei resistit, dimísit totum exércitum suum, unumquemque in locum suum, excepto peregríno exércitu quem contraxit ab ínsulis géntium: & inimíci erant ei omnes exércitus patrum ejus. Tryphon autem erat quidam pártium Alexandri priùs; & vidit quóniã omnis exércitus murmurábat contra Demétrium, & ivit ad Emálchuel Arabem, qui nutriébat Antíochum fílium Alexandri: & assidébat ei ut tráderet eum ipsi, ut regnáret loco patris sui:& enuntiávit ei quanta fecit Demétrius, & inimicítias exercítuum ejus adversùs illum. Et mansit ibi diébus multis. Et misit Demétrius ad Jónathan, dicens: Nunc rectè féceris, si míseris in auxílium mihi viros. Et misit ei Jónathas tria míllia virórum fórtium Antiochíam: & venérunt ad regem, & delectátus est rex in adventu eórum. Et convenérunt qui erant de civitáte, centum viginti míllia virórum, & volébant interficere regem. Et fugit rex in aulam; & vocávit Judæos in auxílium:& occidérunt in illa die centũ míllia hóminum; & glorificáti sunt Judæi in conspectu regis, & in conspectu ómnium qui erant in regno ejus, & nomináti sunt in regno: & regressi sunt in Jerúsalem habentes spólia multa.

℟. Memento, Dómine. 392.

Lectio II. v.53.
*Jonathas junioris Antiochi partes amplectitur.*

MEntítus est rex ómnia quæcumque dixit,& abalienávit se à Jónatha, & non retríbuit ei secundùm benefícia quæ sibi tribúerat, & vexábat eum valdè.Post hæc autem reversus est Tryphon,& Antíochus cum eo puer adolescens, & regnávit,& impósuit sibi diadéma. Et scripsit Antíochus adolescens Jónathæ, dicens: Constítuo tibi sacerdótium, & constítuo te super quátuor civitátes, ut sis de amícis regis. Et misit illi vasa áurea in ministérium, & dedit ei potestátem bibendi in auro, & esse in púrpura, & habére fíbulam áuream: & Simónem fratrem ejus constítuit ducem à términis Tyri usque ad fines Æ-

gypti. Et éxiit Jónathas, & perambulábat trans flumen civitátes: & congregátus est ad eum omnis exércitus Syriæ in auxílium, & venit Ascalóné, & occurrérunt ei honorífice de civitáte. Et ábiit inde Gazam: & conclusérunt se qui erant Gazæ: & obsédit eam, & succendit quæ erant in circúitu civitátis, & prædátus est ea. Et rogavérunt Gazenses Jónathan, & dedit illis déxteram: & accépit filios eórum óbsides, & misit illos in Jerúsalem, & perambulávit regiónem usque Damascum. Et audívit Jónathas quòd prævaricáti sunt príncipes Demétrii in Cades, quæ est in Galilæa, cũ exércitu multo, volentes eum removére à negótio regni; & occurrit illis: fratre autem suum Simónem relíquit intra províanciam.

℟. Non est álius. 392.

LECTIO III. v. 67.

*Jonathas in campo Asor.*

JOnathas & castra ejus applicuérunt ad aquam Génesar, & ante lucē vigilavérunt in campo Asor. Et ecce castra alienigenárum occurrébant in campo, & tendébant ei insídias in móntibus: ipse autem occurrit ex advérso. Insídiæ verò exurrexérunt de locis suis, & commisérunt prælium. Et fugérunt qui erant ex parte Jónathæ omnes, & nemo relictus est ex eis, nisi Mathathías fílius Absalómi, & Judas fílius Calphi, princeps milítiæ exércitûs. Et scidit Jónathas vestimenta sua, & pósuit terram in cápite suo, & orávit. Et reversus est Jónathas ad eos in prælium, & convertit eos in fugam, & pugnavérunt. Et vidérunt qui fugiébant partis illíus, & reversi sunt ad eum, & insequebantur cum eo omnes usque Cades ad castra sua, & pervenérunt usque illuc. Et cecidérunt de alienígenis in die illa tria míllia virórum: & reversus est Jónathas in Jerúsalem.

℟. Non in multitúdine. 393.

CANON.

Ex Concílio Carthaginensi quarto.

*An.* 398. *cap.* 58.

CLérici, qui frequenter lítigat, & ad causandum fácilis est, testimóniũ nemo absque grandi exámine recípiat.

FERIA QUINTA.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 1. c. 12. v. 39.

*Tryphon timens Jonathan.*

CUm cogitasset Tryphon regnáre Asiæ, & assúmere diadéma, & exténdere manum

in Antíochum regem: timens ne fortè non permítteret eum Jónathas, sed pugnáret adversùs eũ, quærébat comprehéndere eum & occídere. Et exurgens ábiit in Bethsan. Et exívit Jónathas óbviàm illi cum quadraginta míllibus virórum electórum in prǽliũ, & venit Bethsan. Et vidit Tryphon quia venit Jónathas cum exércitu multo ut exténderet in eũ manus, tímuit. Et excépit eum cum honóre, & commendávit eum ómnibus amícis suis, & dedit ei múnera: & præcépit exercítibus suis ut obedírent ei sicut sibi. Et dixit Jónathæ: Ut quid vexasti univérsum pópulum, cùm bellum nobis non sit? Et nunc remitte eos in domos suas: élige autem tibi viros paucos qui tecum sint, & veni mecum Ptolemáidam, & tradam eam tibi, & réliqua præsídia, & exércitum, & univérsos præpósitos negótii, & convérsus abíbo: proptéreà enim veni. Et crédidit ei, & fecit sicut dixit: & dimísit exércitum, & abiérunt in terram Juda. Retínuit autem secum tria míllia virórum; ex quibus remísit in Galilæã duo míllia, mille autem venérunt cum eo.

℞. Dómine. 388.

LECTIO II. v. 48.

*Jonathas dolo captus.*

UT autem intrávit Ptolemáidam Jónathas, clausérunt portas civitátis Ptolemenses, & comprehendérunt eum: & omnes qui cum eo intráverant, gládio interfecérunt. Et misit Tryphon exércitum & équites in Galilæam & in campum magnum, ut pérderent omnes sócios Jónathæ. At illi cùm cognovissent quia comprehensus est Jónathas & périit, & omnes qui cum eo erant, hortáti sunt semetipsos, & exiérunt paráti in prælium. Et videntes hi qui insecúti fúerant, quia pro ánima res est illis, reversi sunt: illi autem venérunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxérunt Jónathan, & eos qui cum ipso fúerant, valdè: & luxit Israël luctu magno. Et quæsiérunt omnes gentes quæ erant in circúitu eórum, contérere eos; dixérunt enim: Non habent príncipem & adjuvantem: nunc ergo expugnémus illos, & tollámus de homínibus memóriam eórum.

℞. Deus noster. 389.

LECTIO III. c. 13. v. 1.

*Simon dux agnitus.*

AUdívit Simon quòd congregávit Tryphon exércitum copiósum

ut veníret in terram Juda, & attéreret eam. Videns quia in tremóre pópulus est & in timóre, ascendit Jerúsalem, & congregávit pópulum: & adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei, fécimus pro légibus & pro sanctis prælia, & angústias quales vídimus: horum grátiâ periérunt fratres mei omnes propter Israël, & relictus sum ego solus. Et nunc non mihi contingat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis: non enim mélior sum frátribus meis. Et accensus est spíritus pópuli simul ut audívit sermónes istos. Et respondérunt voce magnâ dicentes: Tu es dux noster loco Judæ & Jónathæ fratris tui: pugna prælium nostrum: & ómnia quæcumque díxeris nobis, faciémus.

℟. Tu ipse es Deus. 389.

*CANON.*

Ex Concílio Chalcedonensi œcuménico.

*An. 451. part. 2. act. 15. c. 9.*

SI quis Cléricus habet cum Cléríco litem aut negótium, próprium Epíscopum ne relinquat, & ad seculária judícia ne excurrat: sed causam pótiùs apud próprium Epíscopum agat; vel de Epíscopi senténtiâ apud eos quos útraque pars elégerit, judícium agitétur.

FERIA SEXTA.

De libris Machabæórum.

*Tryphon occidit Jonathan.*

LECTIO I. l. 1. c. 13. v. 14.

UT cognóvit Tryphon quia surrexit Simon loco fratris sui Jónathæ, & quia commissúrus esset cum eo prælium, misit ad eum legátos, dicens: Pro argento quod debébat frater tuus Jónathas in ratióne regis, propter negótia quæ hábuit, detinúimus eum. Et misit púeros & centum talenta: & mentítus est, & non dimísit Jónathan. Et post hæc venit Tryphon intra regiónem, ut contéreret eam: & gyravérunt per viam quæ ducit Ador: & Simon & castra ejus ambulábant in omnem locum quocumque ibant. Et parávit Tryphon omnem equitátum ut veníret illâ nocte: erat autem nix multa valdè, & non venit in Galaadítim. Et cùm appropinquasset Báscaman, occídit Jónathan & filios ejus illic. Et convertit Tryphon, & ábiit in terram suam.

℟. Nosse te, Deus. 390.

LECTIO II. v. 25.

*Sepulchrum Mathathiæ & filiorum ejus.*

ET misit Simon, & accépit ossa Jónathæ

...ii, & sepelívit ea
in civitáte patrum
t planxérunt eum
Israël planctu ma-
luxérunt eũ dies
, & ædificávit Si-
...et sepulchrum pa-
& fratrum suórum
...m altum visu, lá-
líto retrò & antè:
...it septem pyrá-
unam contra u-
...tri & matri, &
frátribus. Et his
...ósuit columnas
...; & super colum-
na ad memóriam
n, & juxta arma
culptas quæ vide-
ab ómnibus navi-
us mare: hoc est se-
m quod fecit in
usque in hunc diẽ.
...u, Deus noster. p.

... III. c. 15. v. 10.
... *obsessus in Dora.*
...no centésimo sep-
...agésimo quarto
...ntíochus in terram
suórum, & con-
...nt ad eum omnes
...us, ita ut pauci re-
...ènt cum Trypho-
insecútus est eum
...hus rex, & venit
fúgiens per marí-
...ciébat enim quòd
...gáta sunt mala in
... relíquit eum exér-
Et applícuit Antío-
...uper Doram cum
... viginti míllibus
virórum belligeratórum, & octo míllibus équitum: & circuívit civitátem, & naves à mari accessérunt; & vexábant civitátem à terra & mari, & néminem sinébant íngredi vel égredi. Antíochus autem rex applícuit castra in Doram secundò, ádmovens ei semper manus & máchinas fáciens: & conclúsit Tryphónem ne procéderet. Et misit ad eum Simon duo míllia virórum electórum in auxílium, & argentum, & aurum, & vasa copiósa: & nóluit ea accípere, sed rupit ómnia quæ pactus est eum eo ántè, & alienávit se ab eo.

℟. Anima mea exultábit. 391.

*C A N O N.*

Ex Concílio Turonensi secundo.

*An. 567. can. 2.*

DEcérnitur propter illud cœleste mandátum, Pacem meam do vobis, ut pontificális affectus inter Sacerdótes inviolabíliter conservétur. Verùm si pro peccátis, ut ássolet, ex causa livor emérserit, ut pendente certámine sibi ínvicem reconciliári non possint; electis ab utrâque parte frátribus, id est, Presbyteris .... litis jácula finiant, & vota pacis acquírant.

SABBATO.

De libris Machabæórum.

LECTIO I. l. 1. c. 15. v. 28.

*Bellum Simoni ab Antiocho indictum.*

MIsit Antíochus ad Simónem Athenóbium unum de amícis suis, ut tractáret cum ipso, dicens: Vos tenétis Joppen, & Gázaram, & arcem quæ est in Jerúsalem, civitátes regni mei. Nunc ergo trádite civitátes quas occupastis, & tribúta locórum in quibus dominátì estis extra fines Judææ. Sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti, & extermínii quod exterminastis, & tributórum civitátum ália talenta quingenta: sin autem, veniémus & expugnábimus vos. Et venit Athenóbius amícus regis in Jerúsalē, & vidit glóriam Simónis, & claritátem in auro & argento, & apparátum copiósum; & obstúpuit: & rétulit ei verba regis. Et respondit ei Simon, & dixit ei: Neque aliénam terram súmpsimus, neque aliéna detinémus: sed hæreditátem patrum nostrórum, quæ injustè ab inimícis nostris áliquo témpore possessa est. Et non respondit ei Athenóbius verbum. Reversus autem cum ira ad regem, renuntiávit ei verba ista. Et constítuit rex Cendebæum ducem marítimum, & exércitum péditum & équitum dedit illi. Et pervenit Cendebæus Jámniam, & cœpit irritáre plebem, & conculcáre Judæam, & captiváre pópulum & interfícere, & ædificáre Gédorem.

LECTIO II. c. 16. v. 1.

*Cendebæus fugatus.*

ET ascendit Joannes de Gázaris, & nuntiávit Simóni patri suo quæ fecit Cendebæus in pópulo ipsórum. Et vocávit Simon duos fílios senióres, Judam & Joannem, & ait illis: Ego, & fratres mei, & domus patris mei, expugnávimus hostes Israël ab adolescéntia usque in hunc diē; & prosperátum est in mánibus nostris liberáre Israël aliquóties. Nunc autem sénui; sed estóte loco meo, & fratres mei, & egressi pugnáte pro gente nostra: auxílium verò de cœlo vobíscum sit. Et elégit de regióne viginti míllia virórum belligeratórum & équites; & profecti sunt ad Cendebæum, & dormiérunt in Modin. Et surrexérunt manè & abiérunt in campum: & ecce exércitus copiósus in

llis péditum & é-
& flúvius torrens
r médium ipsó-
admóvit castra
ciem eórum ipse
as ejus, & vidit
trepidantem ad
andum torrentē,
ectávit primus:&
eum viri, &
nt post eum. Et
ópulum & équi-
édio péditum: e-
n equitátus ad-
um copiósus ni-
xclamavérunt sa-
s, & in fugam
s est Cendebæus
ejus: & cecidé-
eis multi vulne-
dui autem in mu-
i fugérunt.

I O III. v. 11.

rs Simonis.

:mæus fílius A-
. constitútus erat
campo Jérico, &
argentum & au-
itum. Erat enim
mmi sacerdótis.
itum est cor ejus,
it obtinére regió-
cogitábat dolum
Simónem & fí-
, ut tólleret eos.
autem perámbu-
itátes quæ erant
ie Judææ, & sol-
em gerens eárū,
t in Jérico ipse,
athías fílius ejus,
, anno centésimo
simo séptimo, mense undécimo; hic est mensis Sabath. Et suscépit eos fílius Abóbi in munitiúnculam quæ vocátur Doch, cum dolo, quam ædificávit: & fecit eis convívium magnum, & abscondit illic viros. Et cùm inebriátus esset Simon & filii ejus, surrexit Ptolemæus cum suis, & sumpsérunt arma sua, & intravérunt in convívium, & occidérunt eum, & duos fílios ejus,& quosdam púeros ejus. Et fecit deceptiónem magnam in Israël, & réddidit mala pro bonis. Et scripsit hæc Ptolemæus, & misit regi ut mítteret ei exércitum in auxílium, & tráderet ei regiónem, & civitátes eórum, & tribúta.

*C A N O N.*

Ex Statútis Synodálibus Diœcésis Carcassonensis.

*An. 1272. cap. 1.*

PRæcípimus Capellánis, seu Ecclesiárum Rectóribus, ne inter se ratióne júrium suórum rixentur, sed in Synodis, vel nobis, seu Officiáli nostro, suas déferant quæstiónes.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 4. a. Erat Judith relicta vídua habens super lumbos suos cilícium. *Judith.* 8. 4. 6.

*Oratio, infrà ad Laudes.*

DOMINICA XXVI.
post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*
Incipit liber Judith.

LECTIO I. c. 1. v. 1.
*Nabuchodonosor ab aliis regibus spretus.*

ARphaxad, rex Medórum, subjugáverat multas gentes império suo, & ipse ædificávit civitátem potentíssimam, quam appellávit Ecbátanis: & gloriabátur quasi potens in poténtia exércitûs sui & in glória quadrigárum suárum. Anno ígitur duodécimo regni sui, Nabuchodónosor rex Assyriórum qui regnábat in Níníve civitáte magnâ, pugnávit contra Arphaxad, & obtínuit eum. Tunc Nabuchodónosor misit ad omnes qui habitábant in Cilícia, & Damasco, & Líbano, & ad gentes quæ sunt in Carmélo & Cedar, & inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon, & ad omnes qui erant in Samaría, & trans flumen Jordánem usque ad Jerúsalem & omnem terram Jesse, quousque perveniátur ad términos Æthiópiæ. Ad hos omnes misit núntios Nabuchodónosor rex Assyriórum: qui omnes uno ánimo contradixérunt, & remisérunt eos vácuos, & sine honóre abjecérunt. Tunc indignátus Nabuchodónosor rex adversùs omnem térram illam, jurávit per thronum & regnum suum, quòd defénderet se de ómnibus regiónibus his.

℟. 1. Dóminus dedit, Dóminus ábstulit; * Sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedictum. *Job.* 1. *v.* 21. ℣. Super ómnia Deus benedictus in sécula. *Rom.* 9. *v.* 5. * Sicut Dómino plácuit, ita factum est.

LECTIO II. c. 2. v. 1.
*Holophernes domitor.*

ANno tértio décimo Nabuchodónosor regis, vocávit omnes majóres natu, dixitque cogitatiónem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugáret império. Quod dictum cū placuisset ómnibus, vocávit Nabuchodónosor rex Holophernē príncipem milítiæ suæ, & dixit ei: Egrédere adversùs omne regnum Occidentis, & contra eos præcípuè qui contempsérunt impérium meum. Tunc Holophernes vocávit duces & magistrátus virtútis Assyriórum: omnemque expeditiónem suam fecit præíre in multitúdine innumerabílium camelórum, cum his quæ exer-

s sufficerent copió-
ɔum quoque armen-
egesque óvium,quo-
non erat númerus.
entum ex omni Sy-
tránsitu suo parári
tuit. Aurum verò &
tum de domo regis
psit multum nimis,
ɔfectus est ipse, &
s exércitus cum qua-
, & equítibus, & sa-
iis, qui cooperué-
áciem terræ sicut lo-
. Cumque pertran-
fines Assyriórum,
ad magnos montes
qui sunt à sinistro
æ, ascenditque óm-
stella eórum, & ob-
omnem munitió-

II. Tu mandasti,
ine, mandáta tua cu-
i nimis; * Utinam
untur viæ meæ ad
diendas justificatió-
nas! *Ps.* 118. *v.* 5.
ɛta via est quæ du-
l vitam, *Matth.* 8. *v.*
Utinam.

IO III. c. 4. v. 1.
*ëlitæ Holophernem metuentes.*

Unc audientes hæc
filii Israël qui habi-
it in terra Juda, ti-
unt valdè à fácie e-
Tremor & horror in-
sensus eórum, ne hoc
et Jerúsalem & tem-
ómini, quod fécerat
is civitátibus & tem-

plis eárum. Et misérunt in omnem Samaríam per circúitum usque Jéricho, & præoccupavérunt omnes vértices móntium, & muris circumdedérunt vicos suos, & congregavérunt fruménta in præparatiónem pugnæ. Et clamávit omnis pópulus ad Dóminum instántiâ magnâ, & humiliavérunt ánimas suas in jejúniis & oratiónibus, ipsi & mulíeres eórũ. Et induérunt se sacerdótes cilíciis, & infantes prostravérunt contra fáciem templi Dómini, & altáre Dómini operuérunt cilício: & clamavérunt ad Dóminum Deum Israël unanímiter, ne darentur in prædam infantes eórum, & uxóres eórum in divisiónem, & civitátes eórum in extermínium, & sáncta eórum in pollutiónem, & fierent oppróbrium géntibus.

℟. III. In generatiónem & generatiónem véritas tua, Dómine; * Fundasti terram, & pérmanet: ordinatióne tua persevérat dies, † Quóniam ómnia sérviunt tibi. *Psal.* 118. 90. 91. ℣. Tu idem ipse es, & anni tui non defícient. *Hebr.* 1. *v.* 12. * Fundasti terrã. ℣. Glória Patri. † Quóniã ómnia sérviunt tibi.

IN II. NOCTURNO.

Exhortátio Judith víduæ ab Presbyteros Bethúliæ.

LECTIO IV. c. 8. v. 14.

*Pœnitentiam præscribit.*

QUia pátiens Dóminus est, in hoc ipso pœniteámus, & indulgéntiam ejus fusis lácrymis postulémus: non enim quasi homo sic Deus comminábitur, neque sicut filius hóminis ad iracúndiam inflammábitur. Et ídeò humiliémus illi ánimas nostras, & in spíritu constitúti humiliáto serviéntes illi, dicámus flentes Dómino, ut secundùm voluntátem suam sic fáciat nobiscum misericórdiam suam: ut sicut conturbátum est cor nostrum in supérbia eórum, ita étiam de nostra humilitáte gloriémur: quóniam non sumus secúti peccáta patrum nostrórum, qui dereliquérunt Deum suum, & adoravérunt deos aliénos; pro quo scélere dati sunt in gládium, & in rapínam, & in confusiónem inimícis suis: nos autem álterum Deum nescímus præter ipsum.

℟. IV. Non nobis, Dñe, non nobis; sed nómini tuo da glóriâ, * Super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ. *Ps.* 113. 1. 2. ℣. Grátias ágimus tibi, Dñe Deus omnípotens. *Apoc.* 4. 7. * Super.

LECTIO V. v. 20.

*Expectanda consolatio.*

EXpectémus húmiles consolatiónem ejus, & exquíret sánguinem nostrum de afflictiónibus inimicórum nostrórum, & humiliábit omnes gentes, quæcumque insurgunt contra nos, & fáciet illas sine honóre Dóminus Deus noster. Et nunc, fratres, quóniam vos estis presbyteri in pópulo Dei, & ex vobis pendet ánima illórum, ad elóquium vestrum corda eórum érigite, ut mémores sint quia tentáti sunt patres nostri ut probaréntur, si verè cólerent Deum suum. Mémores esse debent quómodò pater noster Abraham tentátus est, & per multas tribulatiónes probátus Dei amícus efféctus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Móyses, & omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles.

℟. V. Absit à nobis hoc scelus, * Ut recedámus à Dño, & ejus vestígia relinquámus. *Jos.* 22. *v.* 29. ℣. Numquid iníquitas apud Deum? Absit. *Rom.* 9. 14. * Ut.

LECTIO VI. v. 24.

*Holophernes missus propter peccata.*

ILli autem qui tentatiónes non suscepérunt

re Dómini, &
am suam & im-
murmuratió-
ntra Dóminum
t, extermináti
terminatóre, &
ibus periérunt.
go non ulciscá-
ro his quæ páti-
reputantes pec-
is hæc ipsa sup-
óra esse, flagella
uibus quasi ser-
aur, ad emen-
& non ad per-
nostram evenis-
us. Sicut quod
í, Dei esse co-
ita quod fácere
probáte si ex
& oráte ut fir-
ic Deus consí-
n.
Dómine, pater &
: meæ, * Extol-
culórum meórũ
mihi, † Et om-
iũ averte à me.
4. ℣. Deus, pro-
mihi peccatóri.
13. * Extollén-
Glória. † Et.
NOCTURNO.
ola beáti Pauli
ad Romános.
VII. c. 5. v. 1.
spem operatur.
cáti ergo ex fi-
acem habeámus
eum per Dómi-
rum Jesum Chri-
: quem & habé-
ssum per fidem

in grátiam istam in qua stamus, & gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. Non solùm autem, sed & gloriámur in tribulatiónibus; sciéntes quòd tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò spem, spes autem non confundit: quia cháritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum qui datus est nobis.

℟. VII. Apprehénde, Dómine, arma & scutum, & exurge in adjutórium mihi: * Dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum. *Psal.* 34. 2. 3. ℣. Tu creasti ómnia, & propter voluntátem tuam erant & creáta sunt. *Apoc.* 4. 11. * Dic.

LECTIO VIII. v. 6.

*Quanta in Christum spes habenda.*

UT quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essémus, secundùm tempus pro ímpiis mórtuus est? Vix enim pro justo quis móritur: nam pro bono fórsitan quis áudeat mori. Commendat autem charitátem suam Deus in nobis: quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, secundùm tempus, Christus pro nobis mórtuus est: multò ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsius, salvi éri-

mus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus: multò magis reconciliáti, salví érimus in vita ipsíus. Non solùm autem, sed & gloriámur in Deo per Dñm nostrum Jesum Christũ, per quem nunc reconciliatióne accépimus.

℟. VIII. Mitte, Dómine, sapiéntiam de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit, & mecum labóret, ut sciam quid acceptum sit apud te, *Et erunt accepta ópera mea. *Sap. 9. v. 10. 12.* ℣. Dómine, da mihi hanc aquam, ut non sítiam. *Joan. 4. v. 15.* * Et.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 13. v. 24.

*Zizania in medio tritici.*

IN illo témpore: Parábolam propósuit turbis Jesus, dicens: Símile factum est regnum cœlórum hómini qui seminávit bonum semen in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Vincéntii Lirinensis.

*Commonit. cap. 30. 31. 5. sæculi initio.*

SEvérunt majóres nostri antíquitùs in Ecclesiástica ségete tritíceæ fidei sémina: iníquum valdè & incóngruum est, ut nos eórum pósteri pro germána veritáte frumenti, subdititium zizániæ legámus errórem. Absit étenim, ut rósea illa cathólici sensûs plantária in cárduos spinasque vertantur. Quodcumque igitur in hac Ecclésia, Dei agricultúra, fide Patrum satum est, hoc idem filiórum indústriâ decet excolátur & observétur. Fas est étenim ut prisca illa cœlestis Philosóphiæ dógmata processu témporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Abdicátâ étenim quálibet parte cathólici dógmatis, áliæ quoque, atque áliæ, ac deinceps áliæ & áliæ, jam quasi ex more & lícitò abdicabuntur. Porrò autem singulátim pártibus repudiátis, quid áliud ad extrémum sequétur, nisi ut totum páriter repudiétur, ut nihil posthàc apud Ecclésiam relinquátur intactum, nihil illibátum, nihil íntegrum, nihil immaculátum; sed sit ibídem deinceps impiórum ac túrpium errórum lupánar, ubi erat ánteà castæ & incorruptæ sacrárium veritátis.

℟. IX. Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * Omnis terra adóret te, & psallat tibi; psalmum dicat

ni tuo. ℣. Dó-
s omnípotens,
a judícia tua.
. 7. * Omnis.
* Omnis.
edíctus, *Ant.*
it inimícus &
ávit zizánia in
ci. *Matt.* 13.

rémus.
um tuam, quæ-
, Dómine,
ietáte custódi:
ola spe grátiæ
anítitur, tuâ
tectióne mu-
er Dóminum

*N O N.*
o Aquileiensi.
6. *rubr.* 14.
s diei festi in
ndis concióni-
sacro, & di-
iis ponendum
in comessatió-
to minùs, per-
io, ad saltatió-
: declinandum;
Ecclésias ad ho-
ínas audiendas
m: & nomen
ncórditer & de-
iléntii medita-
vocis exulta-
andum.
gníficat, *Ant.*
crevisset herba
fecisset, tunc
it & zizánia.
*v.* 26.
*ut suprà.*
mnalis Carc.

FERIA SECUNDA.

De libro Judith.

LECTIO I. c. 5. v. 1.

*Testimonium Achior de Judæis.*

NUntiátum est Holoferni quòd filii Israël præparárent se ad resistendum: vocavitque omnes príncipes Moab, & duces Ammon, & dixit eis: Dícite mihi quis sit pópulus iste, qui montána óbsidet. Tunc Achior dux ómnium filiórum Ammon respondens, ait: Si dignéris audíre, dómine mi, dicam veritátem in conspectu tuo, de pópulo isto, qui in montánis hábitat, & non egredictur verbum falsum ex ore meo. Pópulus iste ex progénie Chaldæórum est. Deserentes cæremónias patrum suórum, quæ in multitúdine deórum erant, unum Deum cœli coluérunt. Et non fuit qui insultáret pópulo isti, nisi quando recessit à cultu Dómini Dei sui. Quoticscumque autem præter ipsum Deum suum, álterum coluérunt, dati sunt in prædam, & in gládium, & in oppróbrium. Quoticscumque autem pœnituérunt se recessisse à cultúra Dei sui, dedit eis Deus cœli virtútem resistendi. Nunc ergo, mi dómine, perquíre si est á-

liqua iníquitas eórum in conspéctu Dei eórum : ascendámus ad illos, quóniam tradens tradet illos Deus eórum tibi, & subjugáti erunt sub jugo poténtiæ tuæ. Si verò non est offénsio pópuli hujus coram Deo suo, non potérimus resístere illis : quóniam Deus eórum defendet illos, & érimus in oppróbrium universæ terræ.

℟. Dóminus dedit. pag. 404.

LECTIO II. c. 6. v. 1.
*Achior ductus ad Israëlitas.*

INdignátus Holofernes vehementer, dixit ad Achior : Quóniam prophetasti nobis, dicens : Quòd gens Israël defendátur à Deo suo ; ut osténdam tibi quóniam non est Deus, nisi Nabuchodónosor : cùm percussérimus eos omnes, sicut hóminem unum, tunc & ipse cum illis Assyriórum gládio interíbis, & omnis Israël tecum perditióne dispériet : & probábis quóniam Nabuchodónosor dóminus sit universæ terræ : tuncque gládius milítiæ meæ tránsiet per látera tua, & confixus cades inter vulnerátos Israël, & non respirábis ultrà, donec extermineris cum illis. Porrò autem si prophetíam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus ; & pallor, qui fáciem tuam óbtinet, abscédat à te, si verba mea hæc putas impléri non posse. Ut autem nóveris quia simul cum illis hæc experiéris, ecce hac horâ illórum pópulo sociáberis, ut, dum dignas mei gládii pœnas excéperint, ipse simul ultióni subjáceas. Tunc Holofernes præcépit servis suis ut comprehénderent Achior, & perdúcerent eum in Bethúliam, & tráderent eum in manus filiórum Israël. Et accipientes eum servi Holofernis, profecti sunt per campéstria ; sed cùm appropinquassent ad montána, exiérunt contra eos fundibulárii. Illi autem divertentes à látere montis, ligavérunt Achior ad árborem mánibus & pédibus, & sic vinctum réstibus dimisérunt eum, & reversi sunt ad dóminum suum.

℟. Tu mandasti. 405.

LECTIO III. v. 10.
*Senioribus Israël Achior narrat sortem suam.*

POrrò filii Israël descendentes de Bethúlia, venérunt ad eum : quem solventes duxérunt ad Bethúliam, atque in médium pópuli illum statuentes, percunctáti sunt

uid rerum esset, quòd
lum vinctum Assyrii re-
quississent. In diébus illis
rant illic príncipes, O-
as filius Micha de tribu
ímeon, & Charmi, qui
: Gothóniel. In médio
aque seniórum, & in
onspectu ómnium, A-
hior dixit ómnia quæ
icútus ipse fúerat ab Ho-
oferne interrogátus: &
uáliter pópulus Holofer-
is voluisset propter hoc
erbum interfícere eum.
Cumque Achior universa
æc exposuisset, omnis
ópulus cécidit in fáciem,
dorantes Dóminum, &
ommúni lamentatióne
t fletu unánimes preces
uas Dómino effudérunt.
inito ítaque fletu, & per
otam diem oratióne po-
ulórum completâ, con-
oláti sunt Achior, di-
entes: Deus patrum no-
rórum, cujus tu virtú-
em prædicasti, ipse tibi
anc dabit vicissitúdi-
em, ut eórum magis tu
nteritum vídeas. Tunc
)zías, finíto consílio,
uscépit eum in domum
uam, & fecit ei cœnam
nagnam. Pósteà verò
onvocátus est omnis pó-
ulus, & per totam noc-
em intra ecclésiam ora-
rérunt, petentes auxílium
Deo Israël.

℟. In generatiónem. pag. 405.

CANON.

Ex Canónibus Apostolórum. *Can.* 38.

PResbyteri & Diáconi sine voluntáte epíscopi nihil fáciant: is étenim est cujus fídei pópulus Dómini créditus est, & à quo pro animábus rátio exigétur.

FERIA TERTIA.

De libro Judith.

LECTIO I. c. 7. v. 1.

*Bethuliani auxilium à Deo postulant.*

HOlofernes autem álterâ die præcépit exercítibus suis, ut ascénderent contra Bethúliam. Erant autem pédites bellatórum centum vigínti míllia, & équites viginti duo míllia, præter præparatiónes virórum illórum, quos occupáverat captívitas, & abducti fúerant de provínciis & úrbibus universæ juventútis. Omnes paravérunt se páriter ad pugnam contra fílios Israël, & venérunt per crepídinem montis usque ad ápicem, qui réspicit super Dóthaïn, à loco qui dícitur Belma, usque ad Chelmon qui est contra Esdrelon. Fílii autem Israël ut vidérunt multitúdinem illórum, prostravérunt se super terram, mitténtes cínerem super cápita sua, unánimes orantes ut Deus Israël mi-

sericórdiam suam osténderet super pópulum suū. Et assumentes arma sua béllica, sedérunt per loca, quæ ad angusti itíneris trámitem dírigunt inter montósa, & erant custodientes ea totâ die & nocte. Porrò Holofernes, dum círcuit per gyrum, réperit quòd fons qui influébat, aquæductum illórum à parte austráli extra civitátem dirígeret: & incídi præcépit aquæductum illórum.

℟. Non nobis. *pag.* 406.

LECTIO II. V. 7.

*Bethuliani aquæ penuriâ laborantes.*

ERant tamen non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur hauríre aquam, ad refocillandum pótius quàm ad potandum. Sed filii Ammon & Moab accessérunt ad Holofernem, dicentes: Fílii Israël non in láncea nec in sagitta confidunt; sed montes defendunt illos, & múniunt illos colles in præcipítio constitúti. Ut ergo sine congressióne pugnæ possis superáre eos, pone custódes fóntium, ut non háuriant aquam ex eis, & sine gládio interfícies eos, vel certè fatigáti tradent civitátem suam, quam putant in móntibus spósitam superári non posse. Et placuérunt verba hæc coram Holoferne, & coram satellítibus ejus, & constítuit per gyrum centenários per síngulos fontes. Cumque ista custódia per dies viginti fuisset expléta, defecérunt cisternæ, & collectiónes aquárum, ómnibus habitántibus Bethúliam, ita ut non esset intra civitátem unde satiarentur vel unâ die, quóniam ad mensúram dabátur pópulis aqua quotídiè. Tunc ad Oziam congregáti omnes viri, feminæque, júvenes, & párvuli, omnes simul unâ voce dixérunt: Congregáte universos qui in civitáte sunt, ut sponte tradámus nos omnes pópulo Holofernis. Mélius est enim ut captívi benedicámus Dóminum viventes, quàm moriámur, & simus oppróbrium omni carni, cùm vidérimus uxóres nostras, & infantes nostros, mori ante óculos nostros. Contestámur hódiè cœlum & terram, & Deum patrum nostrórum, qui ulcíscitur nos secundùm peccáta nostra, ut jam tradátis civitátem in manu milítiæ Holofernis, & sit finis noster brevis in ore gládii, qui lóngior efficitur in ariditáte sitis.

℟. Absit. *pag.* 406.

LECTIO III. v. 18.

*Orationi instant.*

CUm hæc dixissent, factus est fletus & ululátus magnus in ecclésia ab ómnibus, & per multas horas clamavérunt ad Deum, dicentes: Peccávimus cum pátribus nostris, injustè égimus, iniquitátem fécimus. Tu, quia pius es, miserére nostrî, aut in tuo flagello víndica iniquitátes nostras, & noli trádere confitentes te pópulo qui ignórat te, ut non dicant inter Gentes: Ubi est Deus eórum? Et cùm fatigáti his clamóribus, & his flétibus lassáti siluissent, exurgens Ozías infúsus lácrymis, dixit: Æquo ánimo estóte, fratres, & nos quinque dies expectémus à Dómino misericórdiam. Fórsitan enim indignatiónem suã abscindet, & dabit glóriam nómini suo. Si autem transactis quinque diébus non vénerit adjutórium, faciémus hæc verba, quæ locúti estis.

℞. Dómine pater. *pag.* 407.

*CANON.*

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 103.

ADmonendi sunt súbditi, ne præpositórum suórum vitam témerè júdicent, si quid eos forsitasse ágere reprehensibíliter vident; ne undè rectè mala redárguunt, indè per elatiónis impulsum, in profundióra mergantur.

FERIA QUARTA.

De libro Judith.

LECTIO I. c. 8. v. 1.

*Laudes Judith.*

ET factum est, cùm audisset hæc verba Judith vídua, quæ erat fília Mérari, filii Idox, filii Joseph, filiiOzíæ, filii Elai, filii Jamnor, filii Gédeon, filii Ráphaim, filii Achitob, filii Melchíæ, filii Enan, filii Nathaníæ, filii Saláthiel, filii Símeon, filii Ruben: & vir ejus fuit Manasses, qui mórtuus est in diébus messis hordeáceæ: instábat enim super alligantes manípulos in campo, & venit æstus super caput ejus, & mórtuus est in Bethúlia civitáte sua, & sepultus est illic cum pátribus suis: erat autem Judith relicta ejus vídua jam annis tribus & ménsibus sex. Et in superióribus domûs suæ fecit sibi secrétum cubículum, in quo cum puellis suis clausa morabátur, & habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ præter sábbata, & neoménias, & festa domûs Israël. E-

rat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divítias multas, & famíliam copiósam, ac possessiónes armentis boū & grégibus óvium plenas.

℟. Apprehende. 407.

LECTIO II. v. 9.

*Judith consilium.*

HÆc ítaque cùm audisset, quóniam Ozías promisisset quòd transacto quinto die tráderet civitátem, misit ad presbyteros Chabri & Charmi. Et venérunt ad illam, & dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozías, ut tradat civitátem Assyriis, si intra quinque dies non vénerit vobis adjutórium? Et qui estis vos, qui tentátis Dóminum? Non est iste sermo, qui misericórdiam próvocet, sed pótiùs qui iram éxcitet, & furórem accendat. Posuistis vos tempus miseratiónis Dómini, & in arbítrium vestrum, diem constituistis ei.

℟. Mitte, Dómine. pag. 408.

LECTIO III. v. 28.

*Postulat ut orent.*

ET dixérunt illi Ozías & presbyteri: Omnia quæ locúta es, vera sunt, & non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio. Nunc ergo ora pro nobis, quóniam múlier sancta es, & timens Deum. Et dixit illis Judith: Sicut quod pótui loqui, Dei esse cognóscitis: ita quod fácere dispósui, probáte si ex Deo est, & oráte ut firmum fáciat Deus consílium meum. Stábitis vos ad portam nocte istâ, & ego éxeam cum abra mea: & oráte ut sicut dixistis, in diébus quinque respíciat Dóminus pópulum suum Israël. Vos autem nolo ut scrutémini actum meum, & usque dum renúntiem vobis, nihil áliud fiat, nisi orátio pro me ad Dóminum Deum nostrum. Et dixit ad eum Ozías princeps Juda: Vade in pace, & Dóminus sit tecum in ultiónem inimicórum nostrórum. Et revertentes abiérunt.

℟. Quàm terribília. p. 408.

*CANON.*

Ex Concílio Chalcedonensi Œcuménico.

*An. 451. part. 2. act. 15. can. 8.*

CLérici qui præficiuntur paróchiis, vel qui ordinantur in monastériis & basílicis mártyrum, sub potestáte Episcopórum, ex sanctórum patrum traditióne, permáneant. Nec per arrogántiam se à próprio Epíscopo, impérium ejus detrectantes, subdúcant.

IA QUINTA.
De libro Judith.
IO I. c. 10. v. 1.
pit vestes jucunditatis.

Actum est autem, cùm cessasset clamá- te ad Dóminum, it de loco in quo at prostráta ad Dó- n. Vocavitque a- suam, & descendens mum suam, ábstulit ilícium, & éxuit se entis viduitátis & lavit corpus suum, ùit se myro óptimo, scriminávit crinem s sui, & impósuit m super caput suum, luit se vestimentis ditátis suæ, induit- ndália pédibus suis, psitque dextralíola, t, & inaures, & án- , & ómnibus orna- s suis ornávit se. tiam Dóminus con- splendórem, quó- omnis ista compo- non ex libídine, sed rtúte pendébat: & Dóminus hanc in il- ulchritúdinem am- t, ut incomparábili e ómnium óculis ap- :t.

Dóminus dedit. 404.

:TIO II. v. 5.
egreditur de civitate.

pósuit ítaque abræ e ascopéram vini, & vas ólei, & polentam, & pálathas, & panes, & cá- seum, & profecta est. Cumque venissent ad por- tam civitátis, invenérunt expectantem Ozíam & presbyteros civitátis. Qui cùm vidissent eam, stu- pentes miráti sunt nimis pulchritúdinem ejus. Ni- hil tamen interrogantes eam, dimisérunt transíre, dicentes: Deus patrum nostrórum det tibi grá- tiam, & omne consílium tui cordis suâ virtúte cor- róboret, ut gloriétur su- per te Jerúsalem, & sit nomen tuum in número sanctórum & justórum. Et dixérunt hi qui illic e- rant, omnes unâ voce: Fiat, fiat.

℟. Tu mandasti. pag. 405.

LECTIO III. v. 10.
Occurrunt ei exploratores.

JUdith verò orans Dó- minum, transívit per portas ipsa & abra ejus. Factum est autem, cùm descénderet montem cir- ca ortum diéi, occurrérunt ei exploratóres Assyrió- rum, & tenuérunt eam, dicentes: Unde venis? aut quò vadis? Quæ res- pondit: Fília sum Hebræó- rum; ídeò ego fugi à fá- cie eórum, quóniam fu- túrum agnóvi, quòd den- tur vobis in deprædatió- nem, pro eo quòd con-

temnentes vos, noluérunt ultrò trádere seipsos, ut invenírent misericórdiam in conspectu vestro. Hac de causa cogitávi mecum, dicens : Vadam ad fáciem príncipis Holofernis, ut índicem illi secréta illórum, & ostendam illi quo áditu possit obtinére eos, ita ut non cadat vir unus de exércitu ejus. Et cùm audissent viri illi verba ejus, considerábant fáciem ejus, & erat in óculis eórum stupor, quóniam pulchritúdinem ejus mirabantur nimis.

℟. In generatiónem. *pag.* 405.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 23. *cap.* 16. *de ref.*

NUllus cléricus peregrínus sine commendatítiis sui Ordinárii lítteris ab ullo Epíscopo ad divína celebranda & sacramenta administranda admittátur.

FERIA SEXTA.

De libro Judith.

LECTIO I. c. 10. v. 15.

*Judith ducitur ad Holofernem.*

DIxérunt ad eam : Conservasti ánimam tuam, eò quòd tale reperisti consílium, ut descénderes ad dóminum nostrum. Hoc autem scias quóniam cùm stéteris in conspectu ejus, benè tibi fáciet, & eris gratíssima in corde ejus. Duxeruntque illam ad tabernáculum Holofernis, annuntiantes eam. Cumque intrasset ante fáciem ejus, statim captus est in suis óculis Holofernes. Dixeruntque ad eum satéllites ejus : Quis contemnat pópulum Hebræórum, qui tam decóras mulíeres habent, ut non pro his méritò pugnáre contra eos debeámus? Videns ítaque Judith Holofernem sedentem in conopéo, quod erat ex púrpura & auro & smaragdo, & lapídibus pretiósis intextum : & cùm in fáciem ejus intendisset, adorávit eum, prosternens se super terram. Et elevavérunt eam servi Holofernis, jubente dómino suo.

℟. Non nobis. *pag.* 406.

LECTIO II. c. 11. v. 1.

*Interrogatur ab Holoferne.*

TUnc Holofernes dixit ei : Æquo ánimo esto, & noli pavére in corde tuo : quóniam ego numquam nócui viro, qui vóluit servíre Nabuchodónosor regi. Pópulus autem tuus si non contempsisset me, non levassem lánceã meam super eum. Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab

& plácuit tibi ut ve-
ad nos ? Et dixit illi
i : Sume verba an-
:uæ ; quóniam si se-
súeris verba ancil-
æ , perfectam rem
Dóminus tecum.
enim Nabuchodó-
rex terræ,&vivit vir-
us , quæ est in te ad
otiónem ómnium a-
um errántium;quó-
non solùm hómines
nt illi per te , sed &
: agri obtémperant

Absit. pag. 406.

:TIO III. v. 6.

*us afflictus pro peccatis.*

Untiátur enim áni-
mi tui indústria u-
sis géntibus , & in-
um est omni século ,
iam tu solus bonus
tens es in omni re-
:jus , & disciplína
ómnibus provínciis
cátur. Nec hoc la-
quod locútus est A-
;. nec illud ignorá-
uod ei júsferis eveni-
onstat enim , Deum
um sic peccátis offen-
ut mandáverit per
iétas suos ad pópu-
, quòd tradat eum
eccátis suis. Et quó-
sciunt se offendisse
n suum fílii Israël ,
or tuus super ipsos
.nsuper étiam fames
it eos, & ab aridità-
te aquæ jam inter mórtuos computantur.

℟. Dómine, pater. 407.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 24. cap. 4. de ref.*

NUllus seculáris sive reguláris étiam in ecclésiis suórum órdinum, contradicente epíscopo, prædicáre præsúmat.

SABBATO.

De libro Judith.

LECTIO I. c. 11. v. 13.

*Judith Holoferni pollicetur victoriam.*

DIxit Holoferni Judith .... misit me Dñus hæc ipsa nuntiáre tibi. Ego enī ancilla tua Deum colo, étiā nunc apud te : & éxiet ancilla tua , & orábo Deum ; & dicet mihi quando eis reddat peccátum suum , & véniens nuntiábo tibi , ita ut ego addúcam te per médiam Jerúsalem , & habébis omnem pópulum Israël , sicut oves quibus non est pastor , & non latrábit vel unus canis contra te ; quóniam hæc mihi dicta sunt per providéntiam Dei. Et quóniam irátus est illis Deus , hæc ipsa missa sum nuntiáre tibi.

LECTIO II. v. 18.

*Placet Holoferni.*

PLacuérunt autem ómnia verba hæc coram Holoferne , & coram púe-

ris ejus, & mirabantur sapiéntiam ejus, & dicébant alter ad álterum: Non est talis múlier super terram in aspectu in pulchritúdine & in sensu verbórum. Et dixit ad illam Holofernes: Benefécit Deus, qui misit te ante pópulum, ut des illum tu in mánibus nostris: & quóniam bona est promíssio tua, si fécerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus, & tu in domo Nabuchodónosor magna eris, & nomen tuum nominábitur in universa terra.

LECTIO III. c. 12. v. 1.

*Propriis vescitur cibis.*

TUnc jussit eam introíre ubi repósiti erant thesauri ejus, & jussit illic manére eam, & constítuit quid darétur illi de convívio suo. Cui respondit Judith, & dixit: Nunc non pótero manducáre ex his quæ mihi præcipis tribui, ne véniat super me offénsio: ex his autem quæ mihi détuli, manducábo. Cui Holofernes ait: Si defécerint tibi ista quæ tecum detulisti, quid faciémus tibi? Et dixit Judith: Vivit ánima tua, dómine meus, quóniam non expendet ómnia hæc ancilla tua donec fáciat Deus in manu mea hæc quæ cogitávi. Et induxérunt illã servi ejus in tabernáculum quod præcéperat. Et pétiit dum introíret, ut darétur ei cópia nocte & ante lucem egrediendi forâs ad oratiónem, & deprecandi Dóminum. Et præcépit cubiculáriis suis, ut sicut placéret illi, exíret & introíret ad adorandum Deum suum, per tríduum.

*CANON.*

Ex Concílio Epaonensi. *An.* 517. *Can.* 5.

NE Présbyter territórii aliéni, sine consciéntia sui Epíscopi, in altérius civitátis território præsúmat basílicis atque oratóriis inservíre, nisi fortè Epíscopus suus, illum cedat Epíscopo illi in cujus território habitáre dispósuit.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 5. C. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperantes in se. *Judith.* 13. *v.* 17.

*Oratio, infrà ad Laudes.*

DOMINICA XXVII. post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*

De libro Judith.

LECTIO I. c. 12. 12.

*Judith invitatur ad convivium.*

TUnc introívit Vágao ad Judith, & dixit: Non vereátur bona puella introíre

ninũ meũ,ut hono-
ur ante fáciem ejus,
ndúcet cum eo, &
inum in jucunditá-
i Judith respondit:
go sum, ut contra-
ómino meo? Omne
rit ante óculos ejus
k óptimum,fáciam.
uid autem illi pla-
hoc mihi erit ópti-
ómnibus diébus
eæ. Et surrexit, &
t se vestimento suo,
essa stetit ante fá-
jus. Cor autem Ho-
s concussum est:
im ardens in con-
éntia ejus.
. In te, Dómine,
i; non confundar in
m: *In justítia tua
me. Ps. 30. v. 2. ℣.
in spe quæ ad patres
repromissiónis fac-
sto. Act. 26. 6. *In.
o II. v. 17. & c. 13. 1
fernes inebriatur.
xit ad eam Holo-
ernes: Bibe nunc, &
be in jucunditáte,
m invenisti grátiã
me. Et dixit Ju-
Bibam, dómine,
m magnificáta est
mea hódiè præ óm-
diébus meis. Et ac-
& manducávit, &
oram ipso, ea quæ
rat illi ancilla ejus.
cundus factus est
ernes ad eam, bibit-
num multum nimis
quantum numquam bíberat in vita sua. Ut autem serò factum est, festinavérunt servi illíus ad hospítia sua, & conclúsit Vágao óstia cubículi, & ábiit. Erant autem omnes fatigáti à vino. Eratque Judith sola in cubículo. Porrò Holofernes jacébat in lecto, nímiá ebrietáte sopítus.

℟. II. Secundùm misericórdiam tuam vivífica me, Dómine, *Et custódiam testimónia oris tui. Ps. 118. v. 88. ℣. Miserére meî, Dómine, Fili David; Dómine, ádjuva me. Matt. 15. v. 20. 25. *Et custódiam.

LECTIO III. v. 5.

*Judith præscindit caput Holofernis.*

DIxit Judith puellæ suæ, ut staret foris ante cubículum, & observáret. Stetitque Judith ante lectum, orans cum lácrymis, & labiórum motu in siléntio, dicens: Confirma me, Dómine Deus Israël, & réspice in hac hora ad ópera mánuũ meárum, ut sicut promisisti, Jerúsalem civitátem tuam érigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitávi, perfíciam. Et cùm hæc dixisset, accessit ad columnam quæ erat ad caput lécluli ejus, & pugiónem ejus, qui in ea

ligátus pendébat, exolvit. Cumque evaginasset illum, apprehendit comam cápitis ejus, & ait: Confirma me, Dómine Deus, in hac hora. Et percussit bis in cervícem ejus, & abscídit caput ejus, & ábstulit conopéum ejus à columnis, & evolvit corpus ejus truncum. Et post pusillum exívit, & trádidit caput Holofernis ancillæ suæ, & jussit ut mítteret illud in peram suam.

℟. III. Suávis Dóminus univérsis, * Et miseratiónes ejus † Super ómnia ópera ejus. *Ps.* 144. *v.* 9. ℣. Misericors Dóminus est & miserátor. *Jac.* 11. 5. * Et miseratiónes. ℣. Glória. † Super.

IN II. NOCTURNO.

Orátio Judith víduæ.

LECTIO IV. c. 9. v. 2.

*Invocat Dei potentiam.*

DOmine Deus patris mei Símeon, qui dedisti illi gládium in defensiónem alienigenárum, qui violatóres extitérunt in coinquinatióne sua, & denudavérunt femur vírginis in confusiónem: & dedisti mulíeres illórum in prædam, & fílias illórum in captivitátem, & omnem prædam in divisiónem servis tuis, qui zelavérunt zelum tuum: súbveni, quæso te, Dómine Deus meus, mihi víduæ. Tu enim fecisti prióra, & illa post illa cogitasti; & hoc factum est quod ipse voluisti. Omnes enim viæ tuæ parátæ sunt, & tua judícia in tua providéntia posuisti. Réspice castra Assyriórum nunc, sicut tunc castra Ægyptiórum vidére dignátus es, quando post servos tuos armáti currébant, confidentes in quadrígis, & in equitátu suo, & in multitúdine bellatórum.

℟. IV. Dicat nunc Israël, quóniam bonus Dóminus, * Quóniam in séculum misericórdia ejus. *Ps.* 117. *v.* 2. ℣. Consolátur nos in omni tribulatióne nostrâ. 2. *Cor.* 1. *v.* 4. * Quóniam in séculum misericórdia ejus.

LECTIO V. v. 7.

*Ut allidatur exercitus Holofernis.*

ASpexisti super castra eórum, & ténebræ fatigavérunt eos. Ténuit pedes eórum abyssus, & aquæ operuérunt eos. Sic fiant & isti, Dómine, qui confídunt in multitúdine sua, & in cúrribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lánceis gloriantur; & nésciunt quia tu ipse es Deus noster, qui cónteris bella ab inítio, & Dóminus nomen est tibi. Erige brá-

chium tuum sicut ab inítio, & allíde virtútem illórum in virtúte tua: cadat virtus eórum in iracúndia tua, qui promittunt se violáre sancta tua, & pollúere tabernáculum nóminis tui, & dejícere gládio suo cornu altáris tui. Fac, Dómine, ut gládio próprio ejus supérbia amputétur; capiátur láqueo oculórum suórum in me, & percúties eum ex lábiis charitátis meæ.

℟. V. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam; * Deus meus, in te confído, non erubescam. *Ps.* 24. *v.* 2. ℣. Secundùm expectatiónem & spem meam. *Phil.* 1. 20. * Deus.

LECTIO VI. V. 14.

*Postulat cadat Holofernes.*

DA mihi in ánimo constántiam, ut contemnam illum: & virtútem, ut evertam illum. Erit enim hoc memoriále nóminis tui, cùm manus féminæ dejécerit eum. Non enim in multitúdine est virtus tua, Dómine, neque in equórum víribus voluntas tua est, nec superbi ab inítio placuérunt tibi: sed humílium & mansuetórũ semper tibi plácuit deprecátio. Deus cœlórum, creátor aquárum, & Dóminus totíus creatúræ, exaudi me míseram deprecantem, & de tua misericórdia præsuméntem. Memento, Dómine, testamenti tui, & da verbum in ore meo, & in corde meo consílium corróbora, ut domus tua in sanctificatióne tua permáneat; & omnes gentes agnoscant, quia tu es Deus, & non est álius præter te.

℟. VI. Apud me orátio Deo vitæ meæ; * Dicam Deo, Susceptor meus es. *Ps.* 41. *v.* 1. ℣. In nullo confundar; sed in omni fidúcia. *Phil.* 1. *v.* 20. * Dicam. ℣. Glór. * Dicam.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO VII. C. 1. 18.

*Reprobata mundi sapientia.*

VErbum crucis pereúntibus quidem stultítia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus séculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum: plácuit Deo per stultítiam prædi-

catiónis salvos fácere credentes.

℟. VII. Magnus Dóminus noster, & magnæ virtus ejus, * Et sapiéntiæ ejus non est númerus. *Ps.* 146. 5. ℣. Major est Deus corde nostro, & novit ómnia. 1. *Joan.* 3. 20. *Et sapiéntiæ.

LECTIO VIII. v. 25.

*Infirma electa ut fortia confundantur.*

QUod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus: & quod infirmum est Dei, fórtius est homínibus. Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia: & ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus.

℟. VIII. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea; * Fáciem tuam, Dómine, requíram. *Ps.* 26. *v.* 8. ℣. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem. 1. *Cor.* 12. *v.* 13. * Fáciem.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 13. v. 31.

*Granum sinapis.*

IN illo témpore; Parábolam propósuit turbis Jesus, dicens: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et reliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib.* 2. *Comm. in Matth. Cap.* 13.

REgnum cœlórum, prædicátio Evangélii est, & notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, & de qua dícitur ad Judæos: Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejus. Símile est ergo hujuscémodi regnum grano sinápis quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, à plerísque Salvátor intellígitur, quòd in ánimis credéntium séminet; ab áliis, ipse homo séminans in agro suo, hoc est in semetipso & in corde suo. Quis est iste qui séminat, nisi sensus noster & ánimus; qui suscípiens granum prædicatiónis, & fovens seméntem humóre fídei, facit in agro sui péctoris pulluláre? Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplínis. Ad

primam quippe doctrínam, fidem non habet veritátis, hóminē Deum, Christum mórtuum, & scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus philosophórum, & libris eórum, & splendóri eloquéntiæ, & compositióni sermónū: & vidébis quantò minor sit cæteris semínibus seméntis Evangélii. Sed illa cùm créverit, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demonstrat; sed totū fláccidum marcidumque, ebullit in ólera & in herbas, quæ citò arescunt & córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credentis vel in toto orbe sata fúerit, non exurgit in ólera, sed crescit in árborē.

℟. IX. Súscipe me, Dñe, secundùm elóquium tuū, & vivam; & non confundas me ab expectatióne meâ: * Adjuva me, † Et salvus ero. *Ps.* 118. *v.* 116. 117. ℣. Dómine, ad quem ibimus? verba vitæ ætérnæ habes. *Joan.* 16. 69. * Adjuva. ℣. Glória. † Et salvus.

*Ad* Benedíctus, *Ant.* 7. *d.* Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod mínimum quidem est ómnibus semínibus: cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus. *Matt.* 13. *v.* 31. 32.

Orémus.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut semper rationabília meditantes, quæ tibi sunt plácita, & dictis exequámur & factis; Per Dñm.

*CANON.*

Ex Concílio Burdigalensi. *An.* 1583. *tit.* 6.

MAgistrátus omnes pro sui nostríque offícii ratióne, quoad póssumus, adhortámur, ut quod in ipsis máximè situm est, sacros dies ac solemnes piè, sanctéque celebrári curent: tabernas aperíri prohíbeant; & quo témpore divínum offíciū explétur, aut conciónes habentur, otiósam & vagam turbam .... pœnis propósitis, rebus sacris interesse compellant.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. a. Símile est regnum cœlórum ferménto, quod acceptum múlier, abscondit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. *Matt.* 13. *v.* 33.

*Oratio, ut suprà.*

## FERIA SECUNDA.

De libro Judith.

LECTIO I. c. 13. v. 12.

*Concives Bethuliæ occurrunt Judith.*

EXiérunt Judith & abra ejus, secundùm consuetúdinē

suam, quasi ad oratióne, & transiérunt castra, &. gyrantes vallem, venérunt ad portam civitátis. Et dixit Judith à longè custódibus murórum: Aperíte portas, quóniam nobíscum est Deus, qui fecit virtútem in Israël. Et factum est, cùm audíssent viri vocem ejus, vocavérunt presbyteros civitátis. Et concurrérunt ad eam omnes, à mínimo usque ad máximum: quóniam sperábant eam jam non esse ventúram. Et accendentes luminária congyravérunt circa eam universi: illa autem ascendens in eminentiórem locum, jussit fíeri siléntium.

℟. In te, Dómine. 419.

LECTIO II. v. 16.

*Concivibus ostendit caput Holofernis.*

CUmque omnes tacuíssent, dixit Judith: Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperantes in se, & in me ancilla sua adimplévit misericórdiam suã quam promísit dómui Israël, & interfécit in manu mea hostem pópuli sui hac nocte. Et próferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis príncipis milítiæ Assyriórum; & ecce conopéum illíus, in quo recumbébat in ebrietáte sua, ubi per manum féminæ percussit illum Dñs Deus noster.

℟. Secundùm. p. 419.

LECTIO III. v. 22.

*Judith ab omnibus benedicitur.*

UNiversi autem adorantes Dóminum, dixérunt ad eam: Benedixit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Porrò Ozías princeps pópuli Israël, dixit ad eam: Benedicta es tu filia à Dómino Deo excelso, præ ómnibus muliéribus super terram. Benedictus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, qui te dirtouxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórũ: quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum, pro quibus non pepercisti ánimæ tuæ, propter angústias & tribulatiónem géneris tui, sed subvenisti ruínæ ante conspectum Dei nostri. Et dixit omnis pópulus: Fiat, fiat.

℟. Suávis Dóminus. 420.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 25. de ref. cap. 3.*

QUamvis excommunicatiónis gládius

nervus sit Ecclesiásticæ disciplínæ, & ad continendos in officio pópulos valdè salutáris; sóbriè tamen magnâque circumspectióne exercendus est: cùm experiéntia dóceat, si témerè, aut lévibus ex rebus incutiátur, magis contemni, quàm formidári, & perníciem pótiùs párere, quàm salútem.

FERIA TERTIA.

De libro Judith.

LECTIO I. c. 14. v. 9.

*Assyrii Holofernem excitant.*

PORrò hi qui in tabernáculo erant, venientes, & ante ingressum cubículi perstrepentes, excitandi grátiâ, inquietúdinem arte moliebantur, ut non ab excitántibus, sed à sonántibus Holofernes evigiláret. Nullus enim audébat cubículum virtútis Assyriórum pulsando aut intrando aperíre. Sed cùm venissent ejus duces ac tribúni, & universi majóres exércitûs regis Assyriórum, dixérunt cubiculáriis: Intráte, & excitáte illum, quóniam egressi mures de cavernis suis, ausi sunt provocáre nos ad prælium. Tunc ingressus Vágao cubículum ejus, stetit ante cortínā.

℟. Dicat nunc, *pag.* 420.

LECTIO II. v. 14.

*Mortuum inveniunt.*

SEd cùm nullum motum jacentis sensu áurium cáperet, accessit próximans ad cortínam, & élevans eam, vidensque cadáver absque cápite Holofernis in suo sánguine tabefactum jacére super terram, exclamávit voce magnâ cum fletu, & scídit vestimenta sua. Et ingressus tabernáculum Judith, non invénit eam: & exíliit foràs ad pópulum, & dixit: Una múlier Hebræa fecit confusiónem in domo regis Nabuchodónosor; ecce enim Holofernes jacet in terra, & caput ejus non est in illo. Quod cùm audissent príncipes virtútis Assyriórum, scidérunt omnes vestimenta sua, & intolerábilis timor & tremor cécidit super eos, & turbáti sunt ánimi eórum valdè. Et factus est clamor incomparábilis in médio castrórum eórum.

℟. Ad te, Dómine. 421.

LECTIO III. c. 15. v. 1.

*Assyrii fugiunt.*

CUmque omnis exércitus decollátū Holofernem audisset, fugit mens & consílium ab eis, & solo tremóre & metu agitáti fugæ præsídium sumunt, ita ut nullus loquerétur cum próximo

suo, sed inclináto cápite, relíctis ómnibus evádere festinábant Hebræos, quos armátos super se veníre audiébant, fugientes per vias campórum & sémitas cóllium. Videntes ítaque fílii Israël fugientes, secúti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, & ululantes post ipsos. Et quóniam Assyrii non adunáti, in fugam ibant præcípites: fílii autem Israël uno ágmine persequentes, debilitábant omnes quos invenire potuissent.

℟. Apud me. *pag.* 421.

*CANON.*

Ex Concílio Nicæno primo œcuménico.

*An.* 325. *Can.* 5.

De his qui à communióne segregáti sunt, sive Clericórum, sive laïcórum sint órdinis, ab Epíscopis qui sunt in unaquáque Província, váleat senténtia, secundùm Cánonem qui pronúntiat, eos qui ab áliis ejécti sunt, non esse ab áliis admittendos.

FERIA QUARTA.

De libro Judith.

LECTIO I. c. 15. v. 5.

*Hebræi Assyrios persequuntur, & spolia colligunt.*

Misit ítaque Ozías núntios per omnes civitátes & regiónes Israël. Omnis ítaque régio, omnisque urbs, eléctam juventútem armátam misit post eos, & persecúti sunt eos in ore gládii, quousque pervenírent ad extremitátem fínium suórum. Réliqui autem qui erant in Bethúlia, ingressi sunt castra Assyriórum, & prædam, quam fugientes Assyrii relíquerant, abstulérunt, & onustáti sunt valdè. Hi verò qui victóres reversi sunt ad Bethúliam, ómnia quæ erant illórum attulérunt secum, ita ut non esset númerus in pecóribus, & juméntis, & universis mobílibus eórum, ut à mínimo usque ad máximum omnes dívites fíerent de prædatiónibus eórum.

℟. Magnus Dóminus. *pag.* 422.

LECTIO II. v. 9.

*Judith benedicitur à Joacim.*

Joacim autem summus póntifex, de Jerúsalem venit in Bethúliam cum universis presbyteris suis, ut vidéret Judith. Quæ cùm exiisset ad illum, benedixérunt eam omnes unâ voce, dicentes: Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri: quia fecisti viríliter, & confortátum est cor tuum,

eò quòd castitátem amáveris, & post virum tuũ, álterum nescíeris: ídeò & manus Dómini confortávit te, & ídeò eris benedícta in ætcrnum. Et dixit omnis pópulus: Fiat, fiat.

℟. Tibi dixit. *p.* 422.

LECTIO III. v. 13.

*Quæ Holoferni fuerant propria, traduntur Judith.*

PEr dies autẽ triginta, vix collecta sunt spólia Assyriórum à pópulo Israël. Porrò autem universa quæ Holofernis peculiária fuisse probáta sunt, dedérunt Judith in auro, & argento, & véstibus, & gemmis, & omni supelléctili, & trádita sunt ómnia illi à pópulo. Et omnes pópuli gaudébant, cum muliéribus, & virgínibus, & juvénibus, in órganis & cítharis.

℟. Súscipe. *pag.* 423.

*C A N O N.*

Ex Concílio Narbonensi. *An.* 1551. *Can.* 60.

NUllus Cléricus aut étiam Laïcus à jure vel hómine excommunicátus, & declarátus, ad pública múnera admittátur. Indignum est enim, ut qui grege domínico segregátus & separátus est, públicis offíciis fungátur.

FERIA QUINTA.

Incipit liber Esther.

LECTIO I. c. 1. v. 1.

*Assuerus celebrat convivium.*

IN diebus Assuéri, qui regnávit ab India usque Æthiópiam, super centum viginti septem províncias: quando sedit in sólio regni sui, Susan cívitas regni ejus exórdium fuit. Tértio ígitur anno impérii sui, fecit grande convívium cunctis princípibus, & púeris suis, fortíssimis Persárum, & Medórum ínclytis, & præfectis provinciárum coram se. Ut osténderet divítias glóriæ regni sui, ac magnitúdinem atque jactántiam poténtiæ suæ, multo témpore, centum vidélicet & octoginta diébus.

℟. In te, Dómine. *pag.* 419.

LECTIO II. v. 9.

*Regina Vasthi accersita, venire recusat.*

VAsthi quoque regína fecit convívium fœminárum in palátio, ubi rex Assuérus manére consuéverat. Itaque die séptimo, cùm rex esset hilárior, & post nímiam potatiónem incaluisset mero, præcépit Maúmã & Bázatha, & Harbóna, & Bágatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas,

septem eunúchis, qui in conspectu ejus ministrábant, ut introdúcerent regínam Vasthi coram rege, pósito super caput ejus diadémate, ut osténderet cunctis pópulis & princípibus pulchritúdinē illíus: erat enim pulchra valdè. Quæ rénuit, & ad regis impérium, quod per eunúchos mandáverat, veníre contempsit. Unde irátus rex, & nímio furóre succensus, interrogávit sapientes.

℟. Secundùm. *p.* 419.

LECTIO III. v. 16.

*Vasthi repudiatur.*

RESpondítque Mámuchan, audiente rege, atque princípibus: Non solùm regem læsit regína Vasthi, sed & omnes pópulos & príncipes, qui sunt in cunctis provínciis regis Assuéri. Egrediétur enim sermo regínæ ad omnes mulíeres, ut contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuérus jussit ut regína Vasthi intráret ad eum, & illa nóluit. Atque hoc exemplo omnes príncipum cónjuges Persárum atque Medórum, parvipendent impéria maritórum: undè regis justa est indignátio. Si tibi placet, egrediátur edictum à fácie tua, & scribátur juxta legem Persárum atque Medórum, quam præteríri illícitum est, ut nequáquam ultrà Vasthi ingrediátur ad regem, sed regnum illíus, áltera, quæ mélior est illâ, accípiat. Plácuit consílium ejus regi.

℟. Suávis Dóminus. *pag.* 420.

*CANON.*

Ex Concílio Narbonensi. *An.* 1609. *cap.* 11.

QUi membra non sunt Ecclésiæ, rei sacræ aut Sacramentórum administratióni adesse non permittantur: sed prorsùs ab Ecclesiárum limínibus arceantur, prætérquàm conciónis témpore.

FERIA SEXTA.

De libro Esther.

LECTIO I. c. 2. v. 1.

*Quæruntur virgines.*

HIs ita gestis, postquam regis Assuéri indignátio deferbúerat, recordátus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset: dixeruntque púeri regis ac minístri ejus: Quærantur regi puellæ vírgines ac speciósæ, & mittantur qui consíderent per universas províncias puellas speciósas & vírgines: & addúcant eas ad civitátem Susan, & tradant eas in domum fœminárum sub manu Egéi eunúchi, qui est præpósitus & custos

um regiárum : & it mundum mu- ι, & cætera ad ecessária. Et quæ- e inter omnes ócu- is placúerit, ipsa pro Vasthi. Plácuit regi, & ita, ut erant, jussit fieri. r Judæus in Susan e, vocábulo Mar- us, filius Jair, filii filii Cis, de stirpe , qui translátus de Jerúsalem eo e quo Jechoníam Juda Nabuchodó- ex Babylónis tran- :, qui fuit nutrí- iæ fratris sui Edis- iæ áltero nómine tur Esther, & u- ie parentem amíse- ulchra nimis, & fácie. Mortuisque jus ac matre Mar- is sibi eam adop- i filiam.

Dicat nunc. *pag.*

CTIO II. v. 8.

*lducitur Esther.*

mque percrebuisset gis impérium, & mandátum illíus pulchræ vírgines erentur Susan, & traderentur eunú- sther quoque inter s puellas ei trádita t servarétur in nú- fœminárum. Quæ ei, & invénit grá- tiam in conspéctu illíus. Et præcépit eunúcho, ut acceleráret mundum mu- líebrem, & tráderet ei partes suas, & septem puellas speciosíssimas de domo regis, & tam ipsam quàm pedíssequas ejus or- náret atque excóleret. Quæ nóluit indicáre ei pópulum & pátriam suã : Mardochæus enim præ- céperat ei, ut de hac re omnínò reticéret : qui deambulábat quotídie ante vestíbulum domûs, in qua electæ vírgines ser- vabantur, curam agens salútis Esther, & scire volens quid ei accíderet. Cùm autem venisset tem- pus singulárum per órdi- nem puellárum, ut intrá- rent ad regem explétis ómnibus quæ ad cultum mulíebrem pertinebant, mensis duodécimus ver- tebátur : ita dumtaxat, ut sex ménsibus óleo un- gerentur myrrhíno, & áliis sex quibusdam pig- mentis & aromátibus ute- rentur.

℟. Ad te, Dómine, *pag.* 421.

LECTIO III. v. 15.

*Placet Regi.*

EVolúto autem tém- pore per órdinem, instábat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mar- dochæi quam sibi adop- táverat in fíliam, debé-

ret intráre ad regem. Quæ non quæsívit mulíebrem cultum; sed quæcumque vóluit Egéus eunúchus, custos vírginū, hæc ei ad ornátum dedit. Erat enim formósa valde, & incredíbili pulchritúdine, ómnium óculis gratiósa & amábilis videbátur. Ducta est ítaque ad cubículum regis Assuéri mense décimo, qui vocátur Tebeth, séptimo anno regni ejus. Et adamávit eā rex plus quàm omnes mulíeres, habuitque grátiam & misericórdiam coram eo super omnes mulíeres, & pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecitque eam regnáre in loco Vasthi. Cumque secundò quærerentur vírgines & congregarentur, Mardochæus manébat ad jánuā regis. Eo ígitur témpore, quo Mardochæus ad regis jánuam morabátur, iráti sunt Bágathan & Thares duo eunúchi regis, qui janitóres erant, & in primo palátii límine præsidébant, volueruntque insúrgere in regem, & occídere eum. Quod Mardochæum non látuit, statimque nuntiávit regínæ Esther: & illa regi, ex nómine Mardochæi, qui ad se rem detúlerat.

℟. Apud me orátio. *pag.* 421.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

*An.* 816. *cap.* 134.

DElinquéntibus & excommunicátis frátribus, nequáquam cæteri fratres debent favére, aut eos suis adulatiónibus decípere, aut eórum erráta defféndere, sed pótiùs opem ferre, ut æquitátis censúrâ districtè corrigantur.

SABBATO.

De libro Esther.

LECTIO I. c. 3. v. 1.

*Aman infensus Mardochæo.*

POst hæc rex Assuérus exaltávit Aman fílium Amadáthi, qui erat de stirpe Agag: & posuit sólium ejus super omnes príncipes quos habébat. Cunctíque servi regis, qui in fóribus palátii versabantur, flectébant génua, & adorábant Aman: sic enim præcéperat eis imperátor. Solus Mardochæus non flectébat genu, neque adorábat eum. Cui dixérunt púeri regis, qui ad fores palátii præsidébant: Cur præter céteros non obsérvas mandátum regis? Cumque hoc crébriùs dícerent, & ille nollet audíre, nuntiavérunt Aman, scire cupientes utrùm perseveráret in senténtia: díxerat enim

se esse Judæum. Quod
ı audisset Aman, &
erimento probasset
d Mardochæus non
teret sibi genu, nec se
ráret, irátus est valdè.
.ECTIO II. v. 6.
eorum impetrat necem.
T pro nihilo duxit in
ı unum Mardochæum
tere manus suas: au-
rat enim quòd esset
tis Judææ. Magisque
uit omnem Judæórum
erant in regno As-
i, pérdere natiónem.
nse primo (cujus vo-
ulum est Nisan) anno
décimo regni Assuéri,
a est sors in urnâ, quæ
bráicè dícitur phur,
am Aman, quo die &
mense gens Judæórũ
éret interfici; & exí-
mensis duodécimus,
vocátur Adar. Dixit-
Aman regi Assuéro:
pópulus per omnes
víncias regni tui dis-
sus, & à se mútuò se-
átus, novis utens lé-
us & cæremóniis, ín-
er & regis scíta con-
nnens. Et óptimè nosti
od non expédiat re-
o tuo ut insoléscat per
éntiam. Si tibi placet,
cerne ut péreat, & de-
n míllia talentórum
pendam arcáriis gazæ
e. Tulit ergo rex ánnu-
n quo utebátur de
nu sua, & dedit eum

Aman filio Amadáthi de progénie Agag, hosti Judæórum, dixitque ad eũ: Argentum quod tu pollíceris, tuum sit; de pópulo age quod tibi placet.

LECTIO III. v. 12.

*Litteræ ad provincias.*

VOcatíque sunt scribæ regis mense primo Nisan, tértiâ décimâ díe ejusdem mensis: & scriptum est, ut jússerat Aman, ad omnes sátrapas regis & júdices provinciárum, diversarumque géntium, ut quæque gens légere póterat, & audíre pro varietáte linguárum, ex nómine regis Assuéri: & lítteræ signátæ ipsíus ánnulo, missæ sunt per cursóres regis ad universas províncias, ut occíderent atque delérent omnes Judæos à púero usque ad senem, párvulos & mulíeres, uno die, hoc est, tertiodécimo mensis duodécimi, qui vocátur Adar, & bona eórum diríperent. Summa autem epistolárũ hæc fuit, ut omnes provínciæ scirent, & parárent se ad prædictam diem. Festinábant cursóres qui missi erant, regis impérium explére. Statimque in Susan pependit edictũ, rege & Aman celebrante convívium, & cunctis Judæis, qui in urbe erant, fléntibus.

CANON.
Ex Concilio Ebroicensi.
An. 1576. lib. 2.

NOlumus excommunicatiónes persunctóriè, & quasi plebeium áliquod mandátum à Curátis seu Vicáriis cursim legi, & publicári: sed semper cum horróre & interminatióne divíni judícii, ac públicæ in totam Parochíam afflictiónis, si excommunicátus in illa tolerátur; ob idque differri jubémus, quàm diutíssimè póterit, excommunicatiónis fulminatiónem.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 3. a. Dómine Rex, Deus Abraham, miserére pópuli tui, quia volunt nos inimíci nostri pérdere, & hæreditátem tuam delére. *Esth.* 13. *v.* 15.

DOMINICA XXVIII.
& semper ultima post Pentecosten.

*IN I. NOCTURNO.*
De libro Esther.

LECTIO. c. 4. v. 1.
*Luctus Mardochæi.*

QUæ cùm audísset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indútus est sacco, spargens cínerem cápiti: & in platéa médiæ civitátis voce magnâ clamábat, ostendens amaritúdinem ánimi sui, & hoc ejulátu usque ad fores palátii grádiens. Non enim erat lícitum indútum sacco aulam regis intráre. In ómnibus quoque provínciis, óppidis, ac locis, ad quæ crudéle regis dogma pervénerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejúnium, ululátus, & fletus, sacco & cínere multis pro strato uténtibus. Ingressæ autem sunt puellæ Esther & eunúchi, nuntiaveruntque ei. Quod áudiens consternáta est: & vestem misit, ut abláto sacco indúerent eum: quam accípere nóluit. Accitóque Athach eunúcho, quem rex minístrum ei déderat, præcépit ei ut iret ad Mardochæum, & dísceret ab eo cur hoc fáceret.

℟. 1. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum, ómnibus invocántibus eum in veritáte; * Custódit Dóminus omnes diligentes se. *Ps.* 144. *v.* 18. 20. ℣. Nos ergo diligámus Deum; quóniam Deus prior diléxit nos. 1. *Joan.* 4. *v.* 19. * Custódit.

LECTIO II. v. 6.
*Rem discit Esther.*

EGressúsque Athach, ivit ad Mardochæum stantem in platéa civitátis, ante óstium palátii: qui indicávit ei ómnia quæ accíderant, quo modo Aman promisísset, ut in thesauros regis pro Judæórum

rum nece inferret ar-
tum. Exemplar quo-
edicti quod pendébat
usan, dedit ei ut regí-
osténderet,& monéret
ut intráret ad regem,
eprecaretur eum pro
ulo suo. Regressus A-
h nuntiávit Esther
nia quæ Mardochæus
erat. Quæ respondit
e jussit ut díceret Mar-
hæo: Omnes servi re-
, & cunctæ quæ sub
óne ejus sunt norunt
vínciæ, quòd sive vir,
múlier, non vocátus,
rius átrium regis in-
erit, absque ulla cun-
tióne statim interficiá-
: nisi fortè rex áuream
gam ad eum teténde-
pro signo cleméntiæ,
ue ita possit vívere. E-
ígitur quómodò ad re-
n intráre pótero, quæ
inta jam diébus non
a vocáta ad eum?

℟. II. Unam pétii à
mino, hanc requíram,
Ut inhábitem in domo
mini ómnibus diébus
æ meæ. *Ps.* 27. *v.* 7.
Coarctor desidérium
bens dissolvi & esse cũ
risto. *Phil.* 1. 23. * Ut.

LECTIO III. V. 12.

*Esther jubetur orare.*

Quod cùm audisset Mardochæus, rur-
n mandávit Esther,di-
as: Ne putes quòd á-
nam tuam tantùm lí-
beres, quia in domo regis es præ cunctis Judæis: si enim nunc silúeris, per áliam occasiónem liberabuntur Judæi; & tu, & domus patris tui, períbitis. Et quis novit utrùm idcircò ad regnum véneris, ut in tali témpore pararéris? Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandávit: Vade & cóngrega omnes Judæos quos in Susan repéreris, & oráte pro me. Non comedátis & non bibátis tribus diébus & tribus nóctibus: & ego cum ancillis meis simíliter jejunábo, & tunc ingrédiar ad regem, contra legem fáciens, non vocáta, tradensque me morti & perículo. Ivit ítaque Mardochæus, & fecit ómnia quæ ei Esther præcéperat.

℟. III. Quid mihi est in cœlo, & à te quid vólui super terram? * Deus cordis mei,& pars mea,Deus, † In æternum. *Ps.* 72. 24. ℣. Pater juste, mundus te non cognóvit, ego autem te cognóvi. *Joan.* 17. 25. * Deus. ℣. Glória. † In.

*IN II. NOCTURNO.*

Orátio Mardochæi.

LECTIO IV. C. 13. V. 9.

*Postulat liberationem Israël.*

Domine, Dómine, rex omnípotens, in ditióne enim

tua cuncta sunt pósita, & non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israël: tu fecisti cœlum & terram, & quidquid cœli ámbitu continétur. Dóminus ómnium es; nec est qui resístat majestáti tuæ. Cuncta nosti; & scis, quia non pro supérbia & contumélia, & áliqua glóriæ cupiditáte fécerim hoc, ut non adorárem Aman superbíssimum; libenter enim pro salúte Israël étiam vestígia pedum ejus deosculári parátus essem; sed tímui ne honórẽ Dei mei transferrem ad hóminem, & ne quemquam adorárem, excepto Deo meo. Et nunc, Dómine rex, Deus Abraham, miserére pópuli tui, quia volunt nos inimíci nostri pérdere, & hæreditátem tuam delére. Ne despícias partem tuam quam redemisti tibi de Ægypto. Exaudi deprecatiónem meam, & propítius esto sorti & funículo tuo, & converte luctum nostrum in gáudiũ, ut viventes laudémus nomen tuum, Dñe, & ne claudas ora te canéntium.

℞. IV. Díligam te, Dñe, * Fortitúdo mea, Dñs firmamentum meum, & refúgiũ meum, & liberátor meus. *Ps.* 17. 2. 3. ℣. Dñe, tu ómnia nosti, tu scis quia amo te *Joan.* 21. 17. * Fortitúdo.

Orátio Esther.

LECTIO V. c. 14. v. 3.

*Peccata populi confitetur.*

DOmine mi, qui rex noster es solus, ádjuva me solitáriam, & cujus præter te nullus est auxiliátor álius. Perículum meum in mánibus meis est. Audívi à patre meo, quòd tu, Dómine, tulisses Israël de cunctis géntibus, & patres nostros ex ómnibus retrò majóribus suis, ut possidéres hæreditátem sempiternam, fecistique eis sicut locútus es. Peccávimus in conspectu tuo, & idcircò tradidisti nos in manus inimicórum nostrórum. Coluímus enim deos eórum. Justus es, Dómine: & nunc non eis súfficit, quòd duríssimâ nos ópprimunt servitúte; sed robur mánuum suárum, idolórum poténtiæ deputantes, volunt tua mutáre promissa, & delére hæreditátẽ tuam, & cláudere ora laudántiũ te, atque extínguere glóriam templi & altáris tui, ut apériant ora géntium, & laudent idolórum fortitúdinem, & prædicent carnálem regem in sempiternum. Ne tradas, Dómine, sceptrum tuum his qui non sunt, ne rídeant ad ruínam nostram: sed converte consílium eóru

nos, & eum qui in
pit sævíre, dísperde.
ỳ. Quemádmodum
rat cervus ad fontes
um; ita desíderat á-
nea ad te, Deus.* Si-
nima mea ad Deum
n vivum. Ps. 41. 2. 3.
mundus tranfit, &
piscéntia ejus. 1.
2. 17. * Sitívit áni-
ma.

LECTIO VI. v. 14.
Fictus Esther.

Eménto, Dómine,
& osténde te nobis
mpore tribulatiónis
, & da mihi fidú-
Dómine, rex deó-
& univérsæ potestá-
tribue sermónẽ com-
in ore meo in con-
n leónis, & transfer
líus in ódium hostis
, ut & ipse péreat,
teri qui ei consén-
Nos autem líbera
tuâ, & ádjuva me,
n áliud auxílium ha-
m nisi te, Dómine,
bes ómnium scién-
, & nosti quia óde-
glóriam iniquórum,
tester cubíle incir-
lsórum & omnis a-
enæ. Tu scis necessi-
n meam, quòd abó-
r signum supérbiæ &
e meæ, quod est su-
aput meum in dié-
ostentatiónis meæ,
ester illud quasi pan-
menstruátæ, & non
portem in diébus siléntii
mei; & quòd non comé-
derim in mensa Aman,
nec mihi placúerit convívium
regis, & non bíberim
vinum libáminum; &
numquam lætáta sit ancilla
tua, ex quo huc translata
sum usque in præsentem
diem, nisi in te, Dómine
Deus Abrahã. Deus
fortis super omnes, exaudi
vocem eórum qui nullam
áliam spem habent,
& líbera nos de manu iniquórum,
& érue me à timóre
meo.

℟. VI. Proba me, Deus, & scito cor meum, * Intérroga me, & cognosce sémitas meas; & vide si via iniquitátis in me est, & deduc me † In via ætérna. Psal. 138. 23. 24. ỳ. Dómine Deus omnípotens, justæ & veræ sunt viæ tuæ. Apoc. 15. 3. * Intérroga. ỳ. Glória. † In.

IN III. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

LECTIO VII. c. 3. v. 8.
Oculi Domini super justos.

OMnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, misericordes, modesti, húmiles: non reddentes malum pro malo, nec maledíctum pro maledícto, sed è contrário benedicentes: quia in hoc vocáti estis, ut benedi-

ctiónem hæreditáte possideátis. Qui enim vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coërceat linguã suam à malo, & lábia ejus ne loquantur dolum: declínet à malo, & fáciat bonũ; inquírat pacẽ, & sequátur eam: quia óculi Dñi super justos, & aures ejus in preces eórum; vultus autem Dómini super faciéntes mala. Et quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis?

℟. VII. Quàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * Concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini. *Ps.* 84. 2. ℣. Prǽterit figúra hujus mundi. 1. *Cor.* 7. 31. * Concupíscit.

LECTIO VIII. v. 14.
*Omnia adversa exemplo Christi perferenda.*

SEd & si quid patímini propter justítiam, beáti. Timórem autem eórũ ne timuéritis, & non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad satisfactiónem omni poscenti vos ratiónem de ea, quæ in vobis est, spe. Sed cum modéstia & timóre, consciéntiam habentes bonam: ut in eo quod détrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversatiónem. Mélius est enim benefacientes, si voluntas Dei velit, pati, quàm malefacientes; quia & Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.

℟. VIII. Protector noster, áspice, Deus, & réspice in fáciem Christi tui; * Quia mélior est dies una in átriis tuis super míllia. *Ps.* 84. 10. 11. ℣. Omnia detrimentum feci, & árbitror ut stércora. *Phil.* 3. 8. * Quia.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 24. v. 15.
*Abominatio desolationis.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cùm vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est à Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto; qui legit, intélligat. Et réliqua.

Homília sancti Clementis Papæ & Mártyris.
*Epist. ad Corinth. capp. 27. 28. 29. 1. sec.*

ANimi nostri ad eum astringantur, qui fidélis est in promissiónibus, & justus in judíciis. Qui ne mentiámur præcipit, multò magis ipse non mentiétur. Exsuscitétur ítaque in nobis fides ejus, & cogitémus quòd ómnia ipsi propinqua sunt.

erbo magnificéntiæ
stüit ómnia, & in
potest illa evértere.
vóluit, atque ut vó-
ómnia cóndidit; ne-
quidquam ab eo de-
m præteríbit. Uni-
coram ipso sunt, ni-
e consílium ejus la-
Cùm ómnia ígitur vi-
tur & audiantur, ti-
mus eum, & pravó-
óperum impúras cu-
ites relinquámus, ut
misericórdiâ à futú-
dícciis tegámur. Quò
nostrûm áliquis à
te ejus manu fúgere
? Qualis autē mun-
suscípiet quémpiam
transfugientem? Di-
iamque Scriptúra:
ibo, & quò abscon-
fácie tua? Si ascén-
in cœlum, tu illic
abíero in extréma
illic est déxtera tua.
ígitur abíbit quís-
, vel quò aufúgiet ab
ii ómnia compléctí-
Accedámus ergo ad
n sanctitáte ánimæ,
& impollútas ma-
levántes ad illum.
IX. Infélix ego ho-
* Quis me liberábit
pore mortis hujus?
Dei † Per Jesum
um. *Rom.* 7. 24. 25.
uis dabit mihi pen-
cut columbæ? vo-
t requiescam. *Psal.*
* Quis me. ℣. Gló-
ria Patri. † Per Jesum.

*Ad* Benedíctus, *Ant.* 5. C. Sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem: ita erit & adventus filii hóminis. *Matth.* 24. 27.

Orémus.

Excita, quæsumus, Dómine, tuórum fidelium voluntátes; ut divíni óperis fructum propensiùs exequentes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant; Per.

*C A N O N.*

Ex Concílio Toletáno tértio. *An.* 589. *c.* 23.

Exterminanda est omnínò consuetúdo quā vulgus per Sanctórum solemnitátes ágere consuévit, ut pópuli, qui debent officia divína atténdere, saltatiónibus & túrpibus invígilent cánticis. . . . Hoc ut depellátur, Sacerdótum & Júdicum à Concílio sancto curæ commíttitur.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 1. D. Non præteríbit generátio hæc, donec ómnia hæc fiant. *Matt.* 24. 34.

*Oratio, ut suprà.*

FERIA SECUNDA.

De libro Esther.

LECTIO I. c. 5. v. 1.

*Esther ad regem ingreditur.*

Die autem tértio indúta est Esther regálibus vestimen-

tis, & stetit in átrio domûs régiæ, quod erat intérius, contra basílicam regis: at ille sedébat super sólium suum in consistório palátii contra óstium domûs. Cumque vidisset Esther regína stantē, plácuit óculis ejus, & extendit contra eam virgam áureā quā tenébat manu. Quæ accédens osculáta est summitátē virgæ ejus. Dixitque ad eam rex: Quid vis, Esther regína? quæ est petítio tua? étiam si dimídiam partem regni petíeris, dábitur tibi. At illa respondit: Si regi placet, óbsecro ut vénias ad me hódie, & Aman tecum, ad convívium quod parávi. Statimque rex, Vocáte, inquit, citò Aman, ut Esther obédiat voluntáti. Venérunt ítaque rex & Aman ad convívium quod eis regína paráverat.

℟. Propè est. 432.

LECTIO II. v. 6.

*Postulat ut veniat Aman.*

DIxitque ei rex, postquam vinum bíberat abundanter: Quid petis ut detur tibi? & pro qua re póstulas? étiam si dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Cui respondit Esther: Petítio mea & preces sunt istæ: Si invéni in conspectu regis grátiam, & si regi placet ut det mihi quod póstulo, & meam ímpleat petitiónem: véniat rex & Aman ad convíviū quod parávi eis, & cras apériam regi voluntátem meam. Egressus est ítaque illo die Aman lætus & álacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palátii, & non solùm non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessiónis suæ, indignátus est valde.

℟. Unam pétii. 433.

LECTIO III. v. 10.

*Aman parat crucem Mardochæo.*

DIssimulátâ irâ, reversus in domum suam, convocávit ad se amícos suos, & Zares uxórē suam; & expósuit illis magnitúdinem divitiárum suárū, filiorumque turbam, & quantâ eum glóriâ super omnes príncipes & servos suos rex elevasset. Et post hæc ait: Regína quoque Esther nullum álium vocávit ad convívium cum rege præter me: apud quā étiam cras cum rege pransúrus sum. Et cùm hæc ómnia hábeam, nihil me habére puto, quámdiu vídero Mardochæum Judæū sedentem ante fores régias. Responderuntque ei Zares uxor ejus & cæteri amíci: Jube parári excelsam trabem, habentem altitúdinis quinquaginta cú-

, & dic manè regi ut
idátur super eam
ochæus, & sic ibis
rege lætus ad conví-
. Plácuit ei consí-
& jussit excelsam
i crucem.
Quid mihi est in cœ-
3.

*CANON.*

Concílio Remensi.
n. 1583. *num.* 9.

Uóniam vultus mo-
rum index esse solet,
itur púeri bonâ ín-
mædíti,& aptâ mem-
compositióne con-
: nec sint notábili
mitáte signáti, qui
ır àb infántia pietá-
& ad sacros Ordi-
romovéri optent,
ue omnínò spes sit,
iásticis ministériis
tuò inservitúros.

IA TERTIA.

De libro Esther.

TIO I. c. 6. v. 1.
*insomnis; Mardo-*
*chæi fidelitas.*

Octem illam duxit
rex insomnem, jus-
sitque sibi afferri
ias & annáles prió-
émporum. Quæ cùm
ræsente legerentur,
m est ad illum lo-
ıbi scriptū erat quó-
nuntiasset Mardo-
insídias Bágathan
hares eunuchórum
ı Assuérum juguláre
ıtium. Quod cùm
audísset rex, ait: Quid
pro hac fide honóris ac
præmii Mardochæus con-
secútus est? Dixérunt ei
servi illíus ac minístri: Ni-
hil omníno mercédis ac-
cépit. Statímque rex, Quis
est, inquit, in átrio? A-
man quippe intérius átriū
domûs régiæ intráverat,
ut suggéreret regi & jubé-
ret Mardochæum affigi
patíbulo quod ei fúerat
præparátum. Respondé-
runt púeri: Aman stat in
átrio. Dixitque rex: In-
grediátur.

℟. Díligam te, Dñe. 434.

LECTIO II. v. 6.
*Jubet rex Mardochæum*
*honorari.*

CUmque esset ingres-
sus, ait illi: Quid
debet fieri viro quem rex
honoráre desíderat? Có-
gitans autem in corde
suo Aman, & réputans
quòd nullum álium rex,
nisi se, vellet honoráre,
respondit: Homo, quem
rex honoráre cupit, de-
bet índui véstibus régiis,
& impóni super equum
qui de sella regis est, &
accípere régium diadéma
super caput suum, & prí-
mus de régiis princípibus
ac tyrannis téneat equum
ejus, & per platéam ci-
vitátis incédens clamet
& dicat: Sic honorábitur
quemcumque volúerit rex

honoráre. Dixitque ei rex: Festína, & sumptâ stolâ & equo fac, ut locútus es, Mardochæo Judæo qui sedet ante fores palátii. Cave ne quidquam de his quæ locútus es, prætermittas.

℟. Quemádmodum. p. 435.

LECTIO III. v. 11.

*Triumphus Mardochæi.*

TUlit ítaque Aman stolam & equum, indutúmque Mardochæum in platea civitátis, & impósitum equo præcedébat atque clamábat: Hoc honóre condignus est quemcumque rex volúerit honoráre. Reversusque est Mardochæus ad jánuam palátii; & Aman festinávit ire in domum suam lugens & operto cápite. Narravitque Zares uxóri suæ & amícis ómnia quæ evenissent sibi. Cui respondérunt sapientes quos habébat in consílio & uxor ejus: Si de sémine Judæórũ est Mardochæus, ante quem cádere cœpisti, non póteris ei resístere, sed cades in conspectu ejus. Adhuc illis loquéntibus, venérunt eunúchi regis: & citò eum ad convívium, quod regína paráverat, pérgere compulérunt.

℟. Proba me, Deus. p. 435.

CANON.

Ex Concílio Burdigalensi.

*Ann.* 1583. *tit.* 24.

SAlubérrimo decréto à sancta Synodo Tridentína sancitum fuit, ut in síngulis Metropolitánis & Cathedrálibus Ecclésiis Seminária instituerentur, in quibus Clérici à téneris annis ad pietátem & disciplínam ecclesiásticam informarentur.

FERIA QUARTA.

De libro Esther.

LECTIO I. c. 7. v. 1.

*Esther pro sua & populi vita regem deprecatur.*

INtrávit ítaque rex & Aman, ut biberent cũ regína. Dixitque ei rex étiam secundâ die postquam vino incalúerat: Quæ est petítio tua, Esther, ut detur tibi? & quid vis fieri? étiam si dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Ad quem illa respondit: Si invéni grátiam in óculis tuis, ô rex, & si tibi placet, dona mihi ánimam meam pro qua rogo, & pópulum meum pro quo óbsecro. Tráditi enim sumus ego & pópulus meus ut conterámur, juguléemur & pereámus. Atque útinam in servos & fámulas venderemur; esset tolerábile malum, & ge-

[...]tem: nunc au-
[...]s noster est, cu-
[...]élitas redundat
Respondensque
[...]rus ait: Quis est
[...]ijus poténtiæ ut
[...]at fácere?
[...]im dilecta. 436.
[...]IO II. v. 6.
*[...]parata Mardo-*
*[...]tan suspenditur.*
Esther: Hostis
[...]inimícus noster
iste est Aman.
[...]e áudiens íllicò
[...],vultum regis ac
[...]erre non súsi-
[...]x autem irátus
& de loco con-
[...]rávit in hortum
[...] consítum. A-
[...]que surrexit ut
Esther regínam
[...]a sua: intellexit
[...]ge sibi parátum
Qui cùm rever-
[...]le horto nemóri-
[...]ito, & intrasset
locum, réperit
[...]per léctulum cor-
[...]quo jacébat Es-
[...]it: Etiam regí-
[...]t opprímere, me
, in domo mea.
verbum de ore
[...]erat, & statim
[...]it fáciem ejus.
Harbóna, unus
[...]is qui stabant in
[...]o regis: En li-
[...]l paráverat Mar-
[...]qui locútus est
[...]stat in domo A-
man, habens altitúdinis quinquaginta cúbitos. Cui dixit rex: Appéndite eum in eo. Suspensus est ítaque Aman in patíbulo quod paráverat Mardochæo: & regis ira quiévit.

℟. Protector. 436.

LECTIO III. c. 8. v. 1.

*Mardochæus exaltatus, Judæi securi.*

Die illo dedit rex Assuérus Esther regínæ domum Aman adversárii Judæórum, & Mardochæus ingressus est ante fáciem regis. Confessa est enim ei Esther quòd esset pátruus suus. Tulitque rex ánnulum quem ab Aman récipi jússerat, & trádidit Mardochæo. Esther autem constítuit Mardochæum super domum suam. Nec his contenta, prócidit ad pedes regis, flevitque, & ait: Si placet regi, & si invéni grátiam in óculis ejus, & deprecátio mea non ei videtur contrária, óbsecro ut novis epístolis véteres Aman lítteræ insidiatóris & hostis Judæórum, quibus eos in cunctis regis provínciis períre præcéperat, corrigantur: quómodò enim pótero sustinére necem & interfectiónem pópuli mei? Respondítque rex Assuérus Esther regínæ & Mardochæo Judæo: Domum Aman

concessi Esther, & ipsum jussi affigi cruci, quia ausus est manum míttere in Judæos : scríbite ergo Judæis, sicut vobis placet, regis nómine, signantes lítteras ánnulo meo.

℟. Infélix. 437.

CANON.

Ex Concílio Cabillonensi tértio. An. 813. can. 3.

EPíscopi scholas constítuant, in quibus... Sacræ Scriptúræ documenta discantur, & tales ibi erudiantur quibus méritò dicátur à Dómino : Vos estis sal terræ.

FERIA QUINTA.

De libro Esther.

LECTIO I. c. 8. v. 9.

*Litteræ regis Judæis missæ.*

ACcítis scribis & libráriis regis, erat autem tempus tértii mensis qui appellátur Siban, vigésimâ & tértiâ die illíus scriptæ sunt epístolæ, ut Mardochæus volúerat, ad Judæos & ad príncipes, procuratorésque & júdices qui centum viginti septem provínciis ab India usque ad Æthiópiam præsidebant : provínciæ atque provínciæ, pópulo & pópulo, juxta linguas & lítteras suas, & Judæis, prout légere póterant & audíre. Ipsæque epístolæ, quæ regis nómine mittebantur, ánnulo ipsíus obsignátæ sunt, & missæ per veredários ; qui per omnes províncias discurrentes, véteres lítteras novis núntiis prævenírent. Quibus imperávit rex ut convenírent Judæos per síngulas civitátes, & in unum præcíperent congregári, ut starent pro animábus suis, & omnes inimícos suos cum conjúgibus ac líberis & univérsis dómibus interfícerent atque delérent, & spólia eórum diríperent.

℟. Propè est. 432.

LECTIO II. v. 13.

*Judæorum gaudium.*

SUmmaque epístolæ hæc fuit, ut in ómnibus terris ac pópulis qui regis Assuéri subjacébant império, notum fíeret parátos esse Judæos ad capiendam vindíctã de hóstibus suis. Egressíque sunt veredárii céleres núntia perferentes, & edíctum regis pependit in Susan. Mardochæus autem de palátio & de conspéctu regis egrédiens, fulgébat véstibus régiis, hyacínthinis vidélicet & aéreis, corónam áuream portans in cápite, & amíctus sérico pállio atque purpúreo. Omnísque cívitas exultávit atque lætáta est. Judæis autem nova lux oríri visa est, gáudium, honor & tripúdium. Apud om-

ópulos, urbes atque
ńcias, quocumque
jussa veniebant, mi-
ilitátio, épulæ atque
via, & festus dies,
itum ut plures alté-
entis & sectæ, eó-
eligióni & cæremó-
ingererentur. Grandis
cunctos Judáici nó-
terror inváserat.
Unam pétii. 433.
IO III. c. 9. v. 1.
ẽ hostium victóres.
tur. duodécimi men-
quem Adar vocári
am díximus, tertiâ-
â die, quando cun-
idæis interféctio pa-
ir, & hostes eórum
iant sánguini, versâ
udæi superióres esse
unt, & se de adver-
vindicáre. Congre-
e sunt per síngulas
tes, óppida & loca,
ténderent manum
inimícos & perse-
s suos. Nullusque
st resístere, eò quòd
pópulos magnitú-
eórum formído pe-
at. Nam & provin-
jabsences, & du-
t procuratóres, om-
dignitas quæ sin-
locis ac opéribus
it, extollébant Ju-
imóre Mardochæi:
príncipem esse pa-
& plúrimum posse
verant: fama quo-
óminis ejus crescé-
bat quotídie, & per cun-
ctórum ora volitábat.

℟. Quid mihi. 433.

CANON.

Ex Concílio Remensi.
*An. 1583. num. 1.*

Quemádmodum agrícola nisi serat tempestívè, non potest métere; ita Ecclesia Dei ex sacramentis fructus úberes per idóneos operários afferre nequit, nisi seminária juventútis erudiendæ & móribus informandæ causâ, fóveat.

FERIA SEXTA.

De libro Esther.

Lectio I. c. 9. v. 5.
*Decem filii Aman suspensi.*

Itaque percussérunt Judæi inimícos suos plagâ magnâ, & occidérunt eos, reddentes eis quod sibi paráverant fácere: in tantum ut étiam in Susan quingentos viros interfícerent, extra decem fílios Aman Agagítæ hostis Judæórum, quorum ista sunt nómina: Pharsándatha, & Delphon, & Esphatha, & Phóratha, & Adalía, & Arídatha, & Phermesta, & Arísaï, & Arídaï, & Jézatha. Quos cùm occidíssent, prædas de substántiis eórum tángere noluérunt. Statímque númerus eórum qui occísi erant in Susan, ad regem relátus est. Qui di-

xit regínæ: In urbe Susan interfecerunt Judæi quingentos viros, & álios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in universis provínciis? Quid ultrà póstulas, & quid vis ut fieri júbeam? Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Judæis, ut sicut fecérunt hódie in Susan, sic & cras fáciant, & decem filii Aman in patíbulis suspendantur. Præcepitque rex ut ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, & decem filii Aman suspensi sunt.

℟. Díligam te. 434.

LECTIO II. v. 15.

*Septuaginta quinque millia virorum occiduntur.*

CONgregátis Judæis quartâdécimâ die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eórum ab illis direpta substántia est. Sed & per omnes províncias quæ ditióni regis subjacébant, pro animábus suis steterunt Judæi, interfectis hóstibus ac persecutóribus suis: in tantum ut septuaginta quinque míllia occisórum implerentur, & nullus de substántiis eórum quidquã contíngeret. Dies autem tertiusdécimus mensis Adar, primus apud omnes interfectiónis fuit, & quartâdécimâ die cædere desiérunt. Quem constituérunt esse solemnem, ut in eo omni témpore deinceps vacárent epulis, gáudio atque convíviis.

℟. Quemádmodũ. 435.

LECTIO III. v. 29.

*Dies solemnis instituitur.*

SCripsérunt Esther regína filia Abíhaïl & Mardochæus Judæus, étiam secundam epístolam, ut omni stúdio dies ista solemnis sanciréttur in pósterum. Et misérunt ad omnes Judæos qui in centum viginti septem provínciis regis Assuéri versabantur, ut habérent pacem & suscíperent veritátem, observantes dies Sórtium, & suo témpore cum gáudio celebrárent: sicut constitúerant Mardochæus & Esther, & illi observanda suscepérunt à se & à sémine suo, jejúnia & clamóres, & Sórtiũ dies, & ómnia quæ libri hujus, qui vocátur Esther, históriâ continentur.

℟. Proba me. 435.

*CANON.*

Ex Concílio Rotomagensi. *An.* 1581. *n.* 17.

QUóniam seminarióRũ fundátio eò tendit, ut Clérici ad pietátẽ, religiónem, ecclesiásticã disciplínam, bonos mores & lítteras erudiantur; ad eum finem sunt ipsis

endi viri pii ac re-
, graves & pruden-
uique suo exemplo,
ortatiónibus tàm
s quàm públicis,
sibi commissos ad
n illárum rerum ac-
it.

. B B A T O.
e libro Esther.
O I. c. 16. v. 1.
i *epistola pro Judæo-
rum salute.*

Ex magnus Arta-
xerxes ab India us-
que Æthiópia, cen-
iginti septem pro-
rū dúcibus ac prin-
s, qui nostræ jussió-
diunt, salútem di-
ulti bonitáte prín-
& honóre qui in eos
as est, abúsi sunt in
iam: & non solùm
tos régibus nitun-
prímere, sed datam
órlam non ferentes,
os qui dedérunt, mo-
r insídias. Nec con-
unt grátias non á-
eneficiis, & huma-
s in se jura violáre,
Dei quoque cuncta
atis arbitrantur se
fúgere senténtiam.

CTIO II. v. 5.
*bi decipiunt reges.*

T in tantum vesániæ
rorupérunt, ut eos
édita sibi officia di-
er obsérvant, & ita
a agunt ut ómnium
digni sint, menda-
ciórum cunículis conen-
tur subvertere, dum au-
res príncipum símplices,
& ex sua natúra álios æ-
stimantes, cállidâ fraude
decípiunt. Quæ res & ex
veteribus probátur histó-
riis, & ex his quæ gerun-
tur quotídie, quómodò
malis quorumdam sugge-
stiónibus regum stúdia
depraventur. Unde provi-
dendum est paci ómnium
provinciárum.

LECTIO III. v. 9.
*Pro qualitate & necessitate
temporum diversa ju-
bentur.*

NEc putáre debétis si
diversa jubeámus,
ex ánimi nostri veníre le-
vitáte; sed pro qualitáte
& necessitáte témporum,
ut reipúblicæ poscit utí-
litas, ferre senténtiam. Et
ut manifestiùs quod díci-
mus intelligátis, Aman
filius Amadáthi, & áni-
mo & gente Mácedo, a-
lienusque à Persárum sán-
guine, & pietátem nostrā
suâ crudelitáte commá-
culans, peregrínus à no-
bis suscéptus est: & tan-
tam in se expertus huma-
nitátem, ut pater noster
vocarétur, & adorarétur ab
ómnibus post regem se-
cundus: qui in tantum ar-
rogántiæ tumórem sublá-
tus est, ut regno priváre
nos niterétur & spíritu.
Nam Mardochæum, cu-

sus fide & beneficiis vivimus, & consortem regni nostri Esther, cum omni gente sua novis quibusdam atque inauditis máchinis expetívit in mortem. Hoc cógitans ut illis interfectis insidiarétur nostræ solitúdini, & regnum Persárum transferret in Macédonas.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quinto.

*An.* 1579. *p.* 3. *tit.* 1.

IN omni províneiæ semináriо, ubi cómmodè potest, præter quibus & ad pietátis cicatiónem, & ad li rum doctrínam, adol tûm ánimi erudit stúdia etiam sacrór tuum, histórіæque ecclesiásticæ, certis diébus instituantur, clericális órdinis ho bus máxime accom dáta sunt ad óptima ligiósæ disciplínæ nem.



# PROPRIUM SANCTORUM.

## PARS AUTUMNALIS.

## FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.
In festo
SANCTI LUPI,
Senonensis Episcopi.
*Semiduplex.*

*Vide Rubricam ante Commune.*

*De Communi Pontificum. Orat.* Tribue. *infrà.*

*Fit Commem. S. Ægidii Abbatis. Ant.* Assumpsit. ℣. Sperat. xxxvj. *Oratio.* Deus, qui nos. xxxix.

*IN II. NOCTURNO.*
*Lectiones de Scriptura occurrente.*

*IN III. NOCTURNO.*
LECTIO V.
*Ex vita ab autore antiquo scriptâ apud le Cointe.*

LUpus in território Aurelianensi ad Lígerim natus est ex nobilíssimis paréntibus: Bettóne, & Austregilde, cui Aga cognómen; quibus, illustrem fore pontíficem, dum adhuc útero gestarétur, divínâ revelatióne innótuit. Ab avúnculis suis Austréno Aureliánensi & Aunachário Autissiodorensi Epíscopis adhuc puer propter déditos religióni mores in clerum cooptátus; crescéntibus cum ætáte méritis, Artemio in Cáthedra Senonensi suffectus est, clero & pópulo id apud regem agéntibus. Quo in múnere admirandis cùm pietatis tum solicitúdinis pastorális opéribus eluxit. Nocte quâdam cùm pérvigil in oratióne staret ad limen Basílicæ sancti Aniáni, fores ipsi divínitùs reserátæ sunt. Audiens se à quodam in aula Theodoríci Burgundiónum regis, calúmniis proscindi, Nihil, inquit, aliórum dicta nocent ei quem própria non máculat consciéntia. Mórtuo Theodoríco, missas à Clotário secundo contra Sénones cópias, suis ad Deum précibus répulit. Hic póstea

Burgúndiæ regno potítus, Sénonas ad tractanda negótia Farulfum misit. Qui cùm esset conquestus quòd sibi cum munéribus Lupus non venisset óbviam, respondit Lupus: Sacerdótis est plebem régere, & príncipes séculi divína præcepta docere; ítaque par est illos ad eum pótius accédere.

LECTIO V.

EXardescens ígitur Farulfus, tot apud Clotárium calúmniis beátum pontíficem insectátus est, ut eum rex in occidentáles Néustriæ partes relegáverit; ubi multos infideles sanctus præsul ad fidem adduxit. Agnóvit póstea ejus innocéntiam princeps, id agente beáto Vinebaldo Monastérii sancti Lupi Trecensis abbáte; eumque ab exílio revocávit, & ad ejus pedes advolútus véniam deprecátus est. Ex aula cùm ad sedem redíret, ac Parísiis transíret cum Vinebaldo, solúti divínâ virtúte à vínculis & carcéribus rei, iis óbvia processérunt. Diœcésim ingressus, Melodúni vim grassantis incéndii repressit. Sacrificanti gemma in cálicem delapsa est: quæ apud Sénonas conservátâ, inter sanctórum pígnora in régio palátio repósita est, póstea perdita. In Prædio Briennonensi, adversâ correptus valetúdine, mórtuus est; & in sanctitátis argumentum odor suavíssimus ex ejus córpore promanávit. Sepultus est, ut ipse júsferat, sub stillicídio basílicæ sanctæ Columbæ ad pedes beátæ Mártyris quam singulári cultu semper fúerat prosecútus.

Lectio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO VI. c. 19. 12.

*Decem mnæ.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longinquam accípere sibi regnum, & reverti. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Quæst. Ev. l. 2. Quæst. 46.*

HOmo nóbilis, ipse Dóminus noster Jesus Christus intellígitur. Régio longinqua, Ecclésia Géntium usque ad fines terræ. Reverti tamen se dicit; ábiit enim ut plenitúdo Géntium intráret; revertétur, ut omnis Israël salvus fiat. Per decem mnas, legem signíficat propter decálogum: decẽ autem servos, quibus sub illa pósitis grátia prædicáta est; sic enim intelligendũ est eis datas mnas ad usum, cùm intellexé-

runt eam ipsam legem, rémóto velámine, ad Evangélium pertinére. Cives ejus qui post eum misérunt legatiónem, dicentes se nolle ut regnet sibi, Judæi sunt, qui étiam post resurrectiónem ejus misérunt persecutóres Apóstolis, & prædicatiónem Evangélii respuérunt. Rédiit autem accepto regno; quia in manifestíssima & eminentíssima claritáte ventúrus est qui eis húmilis appáruit cùm díceret, Regnum meum non est de hoc mundo. Quòd autem servi reddentes ratiónem ex eo quod accéperant, laudantur quia lucráti sunt, signíficat eos bonam réddere ratiónem qui bene usi sunt eo quod accepérunt ad augendas divítias Dñi per eos qui credunt in eum. Quod qui fácere nolunt, in illo significáti sunt qui mnam suam in sudário servávit.

*De sancto Ægidio.*

LECTIO VII.

ÆGídius Athénis natus, adolescens pátriam propter Christum relíquit; & Massíliam appulsus, Arelátem ad beátum Cæsárium, audítâ ejus famâ, contendit. Per biénnium ejus magistério erudítus, cùm vitæ solitáriæ desidério æstuáret, secretiórem erémum, primùm ad ripam Wardónis amnis in agro Ucetiensi cum sancto Veredémio pétiit: mox, cùm illic quoque frequentióri hóminũ concursu gravarétur, ad oram Rhódani reversus, tandem qualem optábat locum in valle Flaviána, quâ parochia Nemausensis ad Arelatensis fines porrígitur, réperit. Illic diùtiùs solis ferè herbárum radícibus pastus; demum per magnátes quosdam de família regis qui tunc Gothórum tenébat Monárchiam, detectus est; & cæteris detrectátis munéribus eò tandem adductus est, ut in loco speluncæ monastérium éxtrui paterétur. Hujus Abbas, jubente rege, factus, iter Romam aggressus est, cui testimóniũ perhibéri créditur in actis conciliórum, ubi leguntur Romam missi à Cæsario Abbas Ægídius & Messiánus notárius. In Septimániam redux, in monásterio suo defunctus est die Domínica, anno quingentésimo quadragésimo séptimo. Corpus ejus, grassante Albigénsium furóre, Tolósâ ad Basílicam sancti Saturníni delátum est.

*Oratio.*

TRíbue nobis, quæsumus, Dómine, misericórdiam tuam, inter-

cedente beáto Lupo Conſeſſóre tuo atque Pontífice; & quæcumque præcipis ut agámus, ipſe ádjuva ut implére poſsímus; Per Dóminum noſtrum Jeſum.

*Pro Comm. S. Ægidii.* *Ant.* Fide. ℣. Aſcenſiónes. *Orat.* Deus, qui nos. xxxix.

DIE II.

In Feſto

SANC. LAZARI, MARTHÆ ET MARIÆ, Chriſti hoſpitum.

*Semi-duplex.*

IN I. VESPERIS.

*Capitulum.* Hebr. 13. 12.

CHáritas fraternitátis máneat in vobis: & hoſpitalitátem nolíte oblivíſci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hoſpítio recéptis.

*Hymnus.*

FLAGRANS amóre, pérditos
Dum nos Redemptor quæreret,
Defeſſus, ad Martham Deus
Sese recépit hóſpitam.

BEATA, quæ tantum ſuis
Amíca tectis hóſpitem
Fovére gaudet, & Deo
Inferre convívæ dapes!

DUM Martha paſcit, páſcitur
María felix, ac ſedens
Magnóque tuta júdice,
Partem potítur óptimam.

NUNC, Martha, nunc ſedens Deo
Et ipſa Verbo páſceris:
Et juge ſe tuus tibi,
Convíva dat convívium.

DA, Chriſte, ſanctórum quies,
Sic nos ad unum téndere
Per multa, poſthac óptimâ
Ut parte poſsímus frui.
Amen.

℣. Dóminus non privábit bonis, ℟. Eos qui ámbulant in innocéntia. *Pſ.* 83. 13.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 5. C. Diligebat Jeſus Martham, & ſorórem ejus Maríam, & Lázarum. *Joan.* 11. 5.

*Oratio, infrà ad Laudes.*

*Fit Commemor. ſancti Lupi. Ant.* Státuit. ℣. Sacerdótes. xxiv. *Oratio.* Tríbue. *ſuprà.*

*Deinde ſancti Caſtoris Aptenſis Epiſc. Ant.* Elégit. ℣. Beátus. xix. *Orat.* Da Eccléſiæ. *p.* xxiij.

AD OFFIC. NOCT.

*Invitat.* Deum cum homínibus converſátum, * Veníte, adorémus. *Baruch.* 3. *Pſ.* Veníte.

*Hymnus.* S. M.

REdditum luci, Dómino vocante,
Lázarum, turbæ, domitamque mortem
Láudibus feſtis, modulíſque ſacri
Dícite cantûs.

Ille qui Christum méruit frequenti
Hóspitem gaudens recreáre mensâ
Fœtidus clauso, data præda morti,
Cónditur antro.

Heu tuâ præsens ope si jacenti,
Fata qui præscis, Deus, astitisses;
Víveret, necdum premerentur atrâ
Lúmina nocte.

Jamque mors, vitæ Dómino solútam,
Si jubes, reddet spoliáta prædam;
Nunc & extinctus súperas amícus
Surget ad auras.

Ecce dilecti lácrymis honóras
Hóspitis funus, fremitúque prodis,
Quàm pio plangas, Pater, impiórum
Corde ruínam.

Ut Patrem semper pia, Spiritumque,
Omne plebs tecum célebret per ævum,
Christe, credentes ánimas secundæ
Eripe morti.
Amen.

*Psalmi I. Nocturni dicuntur sub hac Ant.* 4. a. Misérunt sorόres ad Jesum, dicentes: Dómine, ecce quem amas, infirmátur. *Joan.* 11. 3.

*Psalmi II. Nocturni dicuntur sub hac Ant.* 8. c. Venit ítaque Jesus, & invénit Lázarum quátuor dies jam in monumento habentem. *Ib.* 17.

℣. Deus noster, Deus salvos faciendi; ℟. Et Dómini, Dómini exitus mortis. *Ps.* 67. 21.

*Lectiones de Script. occ.*

℟. I. Multi ex Judæis * Vénerant ad Martham & Maríam, ut consolarentur eas de fratre suo. *Joan.* 11. 19. 37. ℣. Ut páriter venientes visitárent. *Job.* 2. 11. * Vénerant.

℟. II. Martha ergo ut audívit quia Jesus venit, occurrit illi; * María autem domi sedébat. ℣. Dixit ergo Martha ad Jesu: Quæcumque popósceris à Deo, dabit tibi Deus. *Joan.* 11. 20. 21. * María.

℟. III. Ait Martha: Utique, Dómine, ego crédidi * Quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. ℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea. *Ps.* 17. 2. * Quia. ℣. Glória. * Quia.

*Dicuntur Psalmi III. Nocturni sub hac Ant.* 5. a. María cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus. *Joan.* 11. 32.

℣. Defecérunt óculi mei, Dómine: ℟. Dicentes, Quando consoláberis me? *Ps.* 118. 82.

Sermo S. Bernardi Abbát.
*Serm. 2. in Assumpt. n. 6. & 7.*

LECTIO IV.

MUlier, Martha nómine, excépit Jesum in domum suam; & huic erat soror nómine María. Soróres sunt, & debent esse contubernáles. Occupátur hæc circa frequens ministérium; illa Domínicis est intenta sermónibus. Ad Martham spectat ornátus, sed implétio ad Maríam. Vacat enim Dómino, ut non sit domus vacans. Sed mundatiónem cui póssumus attribúere? Erit enim, si & hoc invenérimus, domus, in qua Salvátor suscípitur, & munda, & ornáta, & non vacans. Demus eam Lázaro, si & vobis ita vidétur. Et ei síquidem fraternitátis jure cum soróribus est domus ista commúnis. Dico autem Lázarum, quem quatriduánum, jamjamque fœtentem à mórtuis éxcitat vox virtútis; ut videátur satis cóngruè formam gérere pœnitentís. Intret ergo domum Salvátor, & frequenter vísitet eam, quam pœnitens Lázarus mundat, ornat Martha, & María replet internæ dédita contēplatióni.

℟. IV. Ut vidit Jesus Maríam plorantem, & Judæos qui vénerant cum ea plorantes, * Infrémuit spíritu, & turbávit seipsum. ℣. Jesus rursùm fremens in semetipso venit ad monumentum. *Joan. 11. 33. 38.* * Infrémuit.

*Serm. 3. n. 1. 2. & 4.*

LECTIO V.

MArtha in domum suam éxcipit Salvatórem in terris: María pótiùs cógitat quemádmodum suscipiátur ab eo in domo non manufactâ, æternâ in cœlis. María tacet, & pro ea lóquitur Christus. Optimam, inquit, partem elégit sibi María, quæ non auferétur ab ea in æternum. Hoc Unum illud, quod necessárium est; hæc Una, quam Prophéta tam sédulò requirébat: Unam, inquit, pétii à Dómino, hanc requíram. Sed considerémus, fratres, quemádmodu tria hæc distribúerit ordinátio charitátis, Marthæ administratiónē, Maríæ contemplatiónem, Lázari pœniténtiam. Habet hæc simul quæcumque perfecta est ánima: magis tamen videntur ad síngulos síngula pertinére, ut álii vacent sanctæ contemplatióni; álii déditi sint fraternæ administratióni, álii in amaritúdine ánimæ suæ recó-

annos suos, tam-
ulneráti dormien-
epulcris. Sic planè,
s est, ut María piè
límiter sentiat de
o, Martha benignè
ricórditer de pró-
Lázarus míserè &
ter de seipso.
. Tulérunt lápidẽ:
iutem elevátis sur-
culis, * Voce ma-
lamávit: Lázare,
oràs. *Joan.* 11. 41.
. Dóminus mortífi-
vivíficat, dedúcit
eros & redúcit, 1.
, 6. * Voce.
i sancti Evangélii
ndùm Joannem.
TIO VII. C. 11.
*zarus suscitatus.*
illo témpore; Erat
dam languens Lá-
à Bethánia, de ca-
Maríæ, & Marthæ
s ejus. Et réliqua.
lia sancti Joannis
Chrysóstomi.
*l. 62. in Joan. n. 1.*
Ulti cùm áliquos vi-
dent hómines Deo
tos, in ærumnam
piam, ut morbum,
rtátem, aut quid
incidisse, pertur-
r, néscii Deo amí-
máximè compétere.
Lázarus ex Christi
s erat, & infirma-
: id quod dicébant
misérunt: Ecce quẽ
infirmátur. Narrat
autem Evangelista soró-
res quoque ipsum ama-
visse; & tamen Lázarum
mori permísit. Amábat
autem Jesus Martham, &
sorórem ejus, & Lázarũ.
Ne umquam indignémur,
vel ægrè ferámus, si viri
virtúte prædití, & Dei
amíci, in morbum ínci-
dant. Ecce quem amas
infirmátur. In commise-
ratiónem Christum per-
tráhere volébant. Adhuc
enim hóminem esse putá-
bant, quod ex dictis eó-
rum argúitur, Si fuisses
hîc, non fuisset mórtuus;
neque dixérunt, Ecce Lá-
zarus infirmátur; sed Ec-
ce quem amas infirmátur.
Quid ergo Christus? Hæc
infirmitas non est ad mor-
tem, sed pro glória Dei,
ut glorificétur Fílius Dei
per eam. Vide quómodo
rursum eamdem dicat gló-
riam suam & Patris; cùm
enim dixisset, Dei, súbdi-
dit, Ut glorificétur Fílius
Dei. Hæc infirmitas non
est ad mortem. Cùm enim
illic bíduò mansúrus esset,
remittit illos ut hæc nún-
tient. Quâ in re miran-
dum est, quòd soróres
cùm audissent non esse ad
mortem, & pósteà mori
vidissent, offensæ non
fúerint; rem contrà ces-
sisse cernentes. Verùm ac-
cessérunt, nec putârunt
mentítum illum esse.

℟. VI. Statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus pedes & manus ínstitis, * Et fácies illíus sudário erat ligáta. *Joan.* 11. 44. ℣. Revixit homo, & stetit super pedes suos. 4. *Reg.* 13. 21. * Et. ℣. Glór. * Et.

*De sancto Castore Aptensi Episcopo.*

LECTIO VII.

*Ex oper. Cass. Abb. Massil.*

CAstor, Nemausi, nóbili género natus, cùm in agro sui juris Monastérium ædificasset & áliquot jam sibi adjunxisset sócios; ad Joannē Cassiánum Abbátē Massiliensem, sancti Chrysóstomi discípulum scripsit, ut ab eo sibi suisque accíperet vitæ Cœnobíticæ instituta. Extat etiamnum hæc epístola. Huic verò quâ ratióne Cassiánus respónderit, vidére est in præfatióne óperis, De Institútis Cœnobiórum: quod quidem pósteà perfectum opus Cástori Epíscopo nuncupávit. Is enim intérea ob summam virtútis famam, ad Sedem Episcopálem Aptensem evectus fúerat. Quam cùm rexisset per annos círciter úndecim, in exímia vitæ sanctitáte, óbiit in pace die secunda mensis Septembris, circa annum quadringentésimum vigésimum. Multis dum víveret, multisque post mortem fertur claruisse miráculis: unde Ecclésia Aptensis diu sanctæ Maríæ & sancti Cástoris Ecclésia nuncupáta est. Eum Nemausensis cívitas ut Patrónum venerátur.

*Continuò dicitur* Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Dómine Dóminus noster, ℟. Quàm admirábile est nomen tuum. *Ps.* 8. 2.

*Ant.* 3. à. MUlti ex Judæis qui víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum. *Joan.* 11. 45.

*Ant.* 2. D. Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit Jesus. *Joan.* 12. 1.

*Ant.* 1. *g.* Fecérunt autē ei cœnam ibi: & Martha ministrábat. *Ibid.*

*Ant.* 7. c. Lázarus verò unus erat ex discumbéntibus cum eo. *Ibid.*

*Ant.* 8. G. María accépit libram unguenti, & unxit pedes Jesu. *Ibid.* 3.

*Capitul.* Ezech. 37. 12. 13.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos vestros, & edúcam vos de sepulcris vestris; & sciétis quia ego Dóminus.

*Hymnus.* S. M.

PAnditur saxo túmulus remóto,

Intimos clamor penetrat recessus,
Et Deum sentit dócili jubentem
Aure cadáver.
Proh stupor! notas répetit medullas
Spíritus; cæcam pédibus revinctus
Dum viam carpit, síbimet superstes
Prodit & heres.
Ipsa sic ruptis inimíca vinclis
Mors fugit, vinci pátiens; futúris
Summa prælúdit tua sic triumphis,
Christe, potestas.
Ut Patrem semper pia, Spíritumque,
Omne plebs tecum célebret per ævum,
Christe, credentes ánimas secundæ
Eripe morti.
Amen.

℣. Numquid confitébitur tibi pulvis? ℟. Aut annuntiábit veritátem tuam? *Ps.* 29. 10.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 4. *D.* Turba multa ex Judæis venérunt non propter Jesum tantum, sed ut Lázarum vidérent, quē suscitávit à mórtuis. *Joan.* 12. 9.

*Oratio.*

PRæsta, quæsumus Dómine, ut cum Lázaro in novitáte vitæ ambulantes, te in tuis cum Martha páscere, & à te cum María verbi tui meditatióne pasci mereámur; Qui.

*Fit commem. S. Castoris Episcopi. Ant.* Dedit. ℣. Memor. xxij. *Orat.* Da Ecclésiæ. xxiij.

AD PRIMAM.

*Ant.* 3. à. Multi.

AD TERTIAM.

*Ant.* 2. D. Jesus.

*Captul.* Ezech. 37. 13. 14.

CUm aperúero sepulcra vestra, & edúxero vos de túmulis vestris, pópule meus: sciétis quia ego Dóminus locútus sum & feci.

℟. *br.* Veníte & vidéte *Opera Dómini. *Rep.* Veníte. ℣. Quæ pósuit prodígia super terram. * Opera. ℣. Glória. *Rep.* Veníte. *Ps.* 45. 9.

℣. Vox Dómini in virtúte, ℟. Vox Dómini in magnificéntia. *Ps.* 28. 4.

AD SEXTAM.

*Ant.* 1. *g.* Fecérunt.

*Capitulum.* Jonæ 2. 23.

ORávit ad Dóminum Deum suum, & dixit: Clamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, & exaudívit me: de ventre inferni clamávi, & exaudisti vocem meam.

℟. *br.* Quid est homo * Quòd memor es ejus? *Rep.* Quid. ℣. Aut filius hóminis, quóniam vísitas eum? * Quòd. ℣. Glória. *Rep.* Quid est. *Ps.* 8. 5.

℣. Dóminus amat ju-

dicium, ℟. Et non derelinquet sanctos suos. *Ps.* 36. 28.

AD NONAM.

*Ant.* 8.G. María.

*Capitul.* Osée, 13. 14.

DE manu mortis liberábo eos; de morte rédimam eos: ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, inferne.

℟. *br.* Quis loquétur * Poténtias Dómini? *Rep.* Quis. ℣. Audítas fáciet omnes laudes ejus? * Poténtias Dómini. ℣. Glória. *Rep.* Quis loquétur. *Ps.* 105. 2.

℣. Confitémini Dómino, quóniam bonus, ℟. Quóniam in séculum misericórdia ejus. *Psal.* 105. 1.

*VESPER. de sequenti: fit commemor. sancti Lazari.*

*Ant.* Testimónium perhibébat turba quæ erat cum Jesu, quando Lázarū vocávit de monumento, & suscitávit eum à mórtuis. *Joan.* 12. 17.

℣. Dabis eum, Dñe, in benedictiónem, ℟. In séculum séculi. *Ps.* 20. 7.

*Orat. supr. ad Laudes.*

DIE III.

In Festo

SANCTI GREGORII Magni, Papæ & Ecclesiæ Doctoris.

*Duplex-minus.*

*Vide Rubricam ante Commune.*

*Omnia de Comm. unius Doctoris, exceptis quæ sequuntur.*

IN I. VESPERIS.

*Capitul.* Eccli. 24. 2. 3.

IN Ecclésiis Altíssimi apériet os suum, & in conspectu virtútis illíus gloriábitur, & in médio pópuli sui exaltábitur, & in plenitúdine sancta admirábitur.

*Oratio*, Deus qui beátum, *ut infrà ad Laudes.*

AD OFFIC. NOCT.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

LECTIO IV.

*Ex ejus vita à Gregor. Turon. & aliis scripta.*

GRegórius, senatórii géneris, Gordiáni & sanctæ Silviæ filius, urbis Romæ præfectúram gessit. Sed mórtuo patre, sanctitátē seculárium dignitátum splendóre potiórem júdicans, sex in Sicília monastéria, séptimum Romæ sancti Andréæ nómine, in suis ædibus ad clivum Scauri extruxit; ubi sub Valentióne Abbáte mónachi vitam professus, pósteà Abbas fuit. Evocátus inde à Pelágio secundo, diáconus ordinátur; nec multò pòst Constantinópolim Apocrisiárius míttitur, Sedis Apostólicæ responsa factúrus. Ea in urbe Eutychium Patriarcham

triarcham qui contra veram córporum resurrectiónē scripserat, ita convícit, ut & imperátor Eutychii librum flammis addíxerit, & ipse paulò pòst Eutychius intra morbi dolóres, instante morte, pellem manûs suæ contrectans multis adstántibus díxerit: Confíteor quia omnes in hac carne resurgémus. Romam reversus Gregórius, Pelágio pestiléntiâ subláto, ómnium votis Póntifex elígitur; & ad basílicam sancti Petri per vim raptus, ibi consecrátus est. In epístola synódica, quam pro more scripsit ad patriarchas, professus est se, sicut sancti Evangélii quátuor libros, sic suscípere quátuor Concília, Nicænum nempè, Constantinopolitánum, Ephesínum & Chalcedonense; quintum quoque páriter venerári: quas illa Concília persónas réspuunt, se respúere; quas venerantur, amplecti. Vétuit ne ullus in Sicília subdiáconus fieret, nisi qui continéntiam polliceré-tur. Joanni Patriarchæ Constantinopolitáno fórtiter óbstitit, qui sibi universális Epíscopi nomen arrogábat; quod ipse præ modéstia réspuens, servū servórum Dei se primus ómniū epístolis inscripsit.

Lectio V.

De Joannis autem fastu atque audácia, ad Constántiam Augustam ita scripsit: Etsi peccáta Gregórii tanta sint, ut pati tália debéret; Petri tamen peccáta nulla sunt, ut vestris tempóribus pati ista mereátur. Huic quoque imperatríci beáti Pauli caput postulanti respondit: Fácere non possum, nec áudeo. Pari libertáte apud Mauritium imperatórem expostulávit de lege quâ prohibúerat, ne mílites in monastériis susciperentur: Cùm pleríque sint, inquit, qui nisi ómnia relíquerint, salvári nullátenùs possunt. Divíni officii órdinem cantusque ecclesiástici méthodū melióri formâ restítuit. Simóniam, quæ plúrimas orbis christiáni partes tunc infestábat, váriis decrétis, multisque ad Epíscopos & príncipes epístolis profligáre sátagens, Theodoricum & Theodebertum reges rogávit ut synodum in Gálliis congregárent, in qua simoníacæ ordinatiónes sub anathémate prohiberentur. Scripsit ad Eulógium Alexandrínū contra Agnoítas. Recarédo Gothórum in Hispánia regi, Góthicæ gentis ab Ariána hæresi conversiónem gra-

tulátus est. Donatistas repressit in Africa; Manichæos in possessiónibus suis in Sicília degentes ab erróre revocáre curávit. Cénsuit ut Judæi prædicatióne pótius, quàm vi ac necessitáte, ad baptismũ compellerentur. Gentíles, Sardíniæ íncolas, Felícis Epíscopi & Cyríaci Abbátis ministério; Anglórum gentem, missis in Británniam Augustíno & áliis mónachis, ad fidem adduxit: unde Anglórum Apóstolus à Beda vocátus est. Mira sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decrévit, præsertim infirmâ semper valetúdine. Dénique multis éditis miráculis, Pontificátûs anno décimo tértio, mense sexto, ad cœlestem beatitúdinẽ est evocátus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 5. v. 13.

*Sal terræ; lux mundi.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

*Hom. 17. in Evang. n. 16.*

VOs estis sal terræ. Si cibus Dei est pópulus, condimentum cibi sacerdótes esse debuérunt. Pensémus ergo qui unquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo ópere nostrâ increpatióne correpti, pœniténtiam egérunt. Quis luxúriam ex nostra eruditióne deséruit? quis avarítiam, quis supérbiam declinávit? Pensémus quod lucrum Deo fécimus nos, qui, accepto talento, ab eo ad negótium missi sumus; étenim dicit: Negotiámini dum vénio. Ecce jam venit, ecce de nostro negótio lucrum requírit. Quale ei animárũ lucrum de nostra negotiatióne monstrábimus? Ponámus ante óculos nostros, illum tantæ districtiónis diem, quo Judex véniet, & ratiónem cum servis suis, quibus talenta crédidit, ponet. In illo tanto exámine electórum ómnium & reprobórum multitúdo deducétur, & unusquísque quid sit operátus, ostendétur. Ibi Petrus cum Judæa convérsa, quam post se traxit, apparébit. Ibi Paulus convérsum, ut ita díxerim, mundum ducens. Ibi Andréas post se Achaíam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectu sui regis convérsam ducet. Ibi omnes Domínici gregis

cum animárum lu-
parébunt, qui san-
is prædicatiónibus
ost se súbditum gre-
ahent. Cùm ígitur
tóres cum grégibus
ate ætemi Pastóris
venerint, nos mí-
uid dictúri sumus,
Dóminum nostrū
egótium vácui redí-
qui pastórum no-
abúimus, & oves
ex nutrimento no-
beámus osténdere,
ubémus? Hîc pa-
vocáti sumus, & ibi
a non dúcimus.

LAUDES.

℟. Eccli. 47. 11.
are fecit cantóres
ntra altáre, & in
eórum dulces fecit
s. Et dedit in cele-
nibus decus, & or-
témpora usque ad
mmatiónem vitæ,
udárent nomen san-
Dómini, & ampli-
ne manè Dei sancti-
.

*Oratio.*

Eus, qui beátū Gre-
górium Pontíficem,
pis Apostolórū non
átis tantùm, sed
tátis ac charitátis
em fecisti; da no-
us méritis & exem-
it sincérâ humilitáte
subjecti, quæ tua
líberâ charitáte exer-
aleámus; Per Dó-
minum nostrum Jesum
Christum Filium tuum,
qui tecum vivit & regnat.

DIE IV.

In Festo
SANCTI ANTONINI
Martyris.

*Simplex.*

*Omnia de Comm. unius Martyris. Orat.* Da nobis. xj.

*Lectio j. & ij. de Scriptura occurrente; ex tribus duæ.*

LECTIO III.

*Ex Gall. Christ. Till. Baill.*

ANtoníni mártyris Gallicáni memória célebris est tam in Aquitánia, território Ruthenensi, quàm in Gállia Narbonensi ad illam agri Tolosáni partem, quæ diœcésis Apamiensis fínibus hódie circumscríbitur. In utróque loco insígne monastérium fuit ejus patrocínio consecrátum: & inter utrumque jam à plúribus séculis ipsíus relíquiæ divísæ sunt. Nam cùm Pipínus bellum adversùs Waifrédum in Aquitánia géreret, ingressus vallem nóbilem territórii Ruthenensis, statim venisse scríbitur in ecclésiam, in qua beáti Antoníni caput cum córporis parte non módica servabátur, eamque, quòd mártyrem ipse cum exércitu suo protectórem ex-

pertus esset, copiósis redítibus & donáriis auxit. Eódem témpore Justínus Epíscopus morbo labórans, ad eamdem ecclésiam véniens, ejusdē mártyris interventu liberátus est: quod post áliquot annos duódecim Epíscopi, qui sub Cárolo magno & Ludovíco Cároli fílio, plúrimos annos vixérunt, authéntico confirmârunt testimónio. Constat páriter ex certis instrumentis anno nongentésimo sexagésimo álterum in Tolosána paróchia, apud castrum Fredelácum, sancti Antoníni mártyris monastérium extitisse, in quo insignes ejus relíquiæ absque cápite, & áliis quibusdam membris, anno nongentésimo octogésimo séptimo repertæ sunt, & agente Rogério cómite Carcassonensi, solémniter translátæ in ecclésiā, quæ pósteà novæ Apamiárum civitátis & diœcésis cathedrális facta est.

# Die vii.

## In Festo S. CLODOALDI Presbyteri.

*Simplex.*

*Omnia de Comm. unius Presbyteri.*

*Prima & secunda Lectio de Scriptura occurrente, ex tribus duæ.*

Lectio iii.

*Gregor. Turon. lib. 3. hist. c. 11. 18. &c.*

Clodoaldus, Clodovei Magni regis Francórū ex Clodomére rege Aurelianénsium nepos, cæso à Burgundiónibus patre, cum duóbus frátribus Theobaldo & Guntário pupillus sub áviæ Clotildis tutéla relictus est. Sed pátrui eórum Childebertus Parisiórum, & Clotárius Suessiónum rex, ut regnū pupillórum inváderent, ex his duos, álterum decennem, septennem álterum, vi & fraude occídere decrevérunt; quos manu Clotárii interfectos Clotildis magno luctu proseccúta, Parísiis in basílica sancti Petri, nunc sanctæ Genovéfæ dicta, sepeliendos curávit. Tértius verò Clodoaldus, cùm ad símile exítium quærerétur, ope virórum fórtium, imò protegente Deo, servátus est. Fugâ elapsus, & mundum spernens, cléricus factus divíno cúltui se mancipávit. Tum vitam egit duram & ásperam. Ab Eusébio Epíscopo Parisiensi présbyter ordinátus, se recépit in locum qui dicebátur Noviențum, quem morte, sepultúrâ, miráculis ac nómine suo illustrem fecit.

# DIE VIII.

## IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

*SOLEMNE-MAJUS.*

### IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* 2. a. ECce dies véniunt, dicit Dóminus, & suscitábo verbum bonum quod locútus sum ad domum Israël. *Jer.* 33. 14.

*Ant.* 5. C. Oriétur stella ex Jacob, & consurget virga de Israël. *Num.* 24. 17.

*Ant.* 1. D. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet. *Is.* 11. 1.

*Ant.* 8. G. Erit radix Jesse, & qui exurget régere gentes: in eum gentes sperábunt. *Rom.* 15. 12.

*Ant.* 7. a. In diébus illis salvábitur Juda; & Israël habitábit confidenter. *Jer.* 23. 6.

*Capitulum.* Jer. 33. 20. 21.

HÆc dicit Dóminus: Si írritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte; ut non sit dies & nox in témpore suo: & pactum meum írritum esse póterit cum David servo meo; ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus.

℞. Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signũ: Ecce virgo concípiet, & páriet filium; * Et vocábitur nomen ejus Emmánuel. *Is.* 7. 14. ℣. Hic erit magnus; regnábit in domo Jacob in ætérnum, & regni ejus non erit finis. *Luc.* 1. 32. 33. * Et vocábitur. ℣. Glória. * Et vocábitur.

*Hymnus.* S. V.

VAtum patent orácula,
Promissa priscis pátribus:
En virgo, quæ gravis Deo
Nobis parem parit Deum.

Toto quid orbe par fuit,
Virgo parens, homo Deus?
Quo náscitur partu puer,
Hoc náscitur mundi salus.

Ut nocte caligántibus
Cœlestе lumen témperet,
Velo tegi vult córporis;
Hoc, Virgo, velum præparas.

Quod prima mater pérdidit,
Mater refórmas áltera:
Mors ipsa nobis prófuit,
Dum vita per te rédditur.

Per te Deo conjúngimur,
Cui corpus aptasti parens:
Per te Dei nos filii,
Per te Dei fratres sumus.

Tu dux olympi prævia,
Clausas diù pandis fores:
Nos éxules, si nos amas,
Reddas paternis sédibus.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Fílius
Infúdit alvo vírginis.
Amen.

℣. Dñs rex noster operátus est salútem:
℟. Tu confregisti cápita dracónis. *Ps.* 73. 12. 14.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 6. F. Lauda, fília Sion; lætáre, & exulta in omni corde: Dóminus avertit inimícos tuos; Rex Israël Dóminus in médio tuî. *Soph.* 3. 14. 15. 17.

*Orat. ut infrà ad Laudes.*

AD COMPLETOR.

*Ant. & Psalm. de Fer.*

*Hym.* Virgíneis títulis, *ut in Off. B. Mariæ in Sabbato.*

AD OFFIC. NOCT.

*Invit.* Deum, cui præparátur habitátio, * Veníte, adorémus. 1. *Paral.* 29. 1.

*Hymnus.* S. V.

Quis ore te puro satis,
Virgo, canat, Dei parens?
Adeste, puri spíritus,
Vestri sit illud múneris.

Quis intret augustíssima
Mentis tuæ sacrária?
Dotes quis enarrans tuas,
Pertérritus non hæreat?

Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum Fílium,
De Patris æterni sinu
Mortális in matris sinum?

Ad hos honórum te gradus
Non virginális te pudor,
Non éxtulit tantùm fides,
Nec igne fervens cháritas.

Sed, quæ sibi numquam placet,
Deo placens modéstia;
Quâ tu tibi sis vílior,
Hac digna sis mater Dei.

Quam celsa, quæ se déprimens
Altũ Tonantẽ déprimit!
In te, suî jam non memor
Descendit è cœlo Deus.

Sit laus Patri, laus Fílio:
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Fílius
Infúdit alvo vírginis.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 4. f. Appáruit Dóminus Móysi in flamma ignis de médio rubi, & vidébat quòd rubus ardéret & non combureretúr. *Exod.* 3. 2.

*Ant.* 8. G. Cùm virgas posuisset Móyses corā Dómino, invénit germinasse virgam Aaron. *Num.* 17. 7. 8.

*Ant.* 6. F. Abscissus est lapis de monte sine mánibus, & factus est mons magnus. *Dan.* 2. 34. 35.

℣. Mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : ℟. Etenim Dóminus habitábit in finem. *Ps.* 67. 17.

*Lectiones de Script. occur.*

℟. I. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus : * Deus in médio ejus ; non commovébitur. *Ps.* 45. 5. 6. ℣. Virgo in útero habébit, & páriet filiū ; & vocábunt nomen ejus Emmánuel. *Matth.* 1. 23. * Deus.

℟. II. Dóminus fáciens & formans te, * Ab útero auxiliátor tuus. *Is.* 44. 2. ℣. Dóminus tecum : ne tímeas, María ; invenisti enim grátiam apud Deum. *Luc.* 1. 28. 30. * Ab.

℟. III. Magna eris, * Et nomen tuum † Nominábitur in universa terra. *Judith.* 11. 21. ℣. Spíritus sanctus supervéniet in te. *Luc.* 1. 35. * Et nomen. ℣. Glór. † Nominábitur. *Resumitur* Magna.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 7. c. Ros in solo vellere fuit, & in omni terra síccitas. *Judic.* 6. 37.

*Ant.* 5. a. Ecce nubécula parva ascendebat de mari, & facta est plúvia grandis. 3. *Reg.* 18. 44. 45.

*Ant.* 2. D. Fons parvus crevit in flúvium máximū, & in aquas plúrimas redundávit. *Esth.* 11. *v.* 10.

℣. Descendet Dóminus sicut plúvia in vellus ; ℟. Et sicut stillicídia stillántia super terrā. *Ps.* 71. 6.

Sermo sancti Joannis Damascéni.

*Serm.* 2. *in Nat. B. Mariæ.*

LECTIO IV.

Adeste, gentes omnes, omne hóminum genus, omnes cujusvis linguæ, ætátis ac dignitátis orbis universi. Lætítiæ natálem lætis ánimis celebrémus : Dei genitrícis natálem complectámur, per quam mortálium genus redintegrátum est : per quam primigéniæ matris Evæ mœror in lætítiam mutátus est. Etenim illa per divínam senténtiam hoc audívit, In dolóre páries líberos ; hæc, Ave, grátiā plena : illa, Ad virum convérsio tua ; hæc, Dóminus tecum.

℟. iv. Quàm pulchri sunt gressus tui, fília príncipis! * Quàm pulchra es & quàm decóra, charíssima, in delíciis! *Cant.* 7. 1. 6. ℣. Ave, María, grátiâ plena: Dóminus tecum. *Luc.* 1. 28. * Quàm pulchri sunt.

Lectio v.

Quid autē quòd Virgo Mater orta sit ex stérili? Quia scílicet oportébat ut ad id quod solum sub sole novum futúrum erat, ac miraculórum caput, via per mirácula sternerétur, ac paulátim ab humilióribus ad sublimióra progressus fieret; quamquam ália quoque áltior ac divínior rátio à me afferri potest. Etenim natúra grátiæ cedit, statque subtrémula, non sústinens prógredi. Quóniam ítaque futúrum erat ut virgo ex Anna nascerétur, natúra grátiæ fœtum antevértere non ausa est; sed mansit infructuósa, dum grátia fructum edidisset.

℟. v. Eris coróna glóriæ in manu Dómini: * Quia complácuit Dómino in te; & gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62. 3. 4. 5. ℣. María, benedicta tu in muliéribus. *Luc.* 1. 28. * Quia.

Lectio vi.

Hodiè stériles portæ aperiuntur, & virgínea ac divína jánua prodit, ex qua & per quam Deus, qui rebus ómnibus supérior est, in orbem terrárum corporáliter introívit. Hódie de radíce Jesse virga orta est, ex qua mundo flos divínitùs existens, ascendit. Hódie ex terréna natúra cœlum in terra ille cóndidit, qui olim firmamentum ex aquis finxerat, atque in altum extúlerat. Ac sanè hoc illo longè divínius est. Nam qui in illo condíderat solem, ex hoc ipse justítiæ sol ortus est.

℟. vi. Benedixit te Dóminus in virtúte sua, quia * Per te ad níhilum redégit inimícos nostros. *Judith.* 13. 22. ℣. Fecit poténtiam in bráchio suo: dispersit supérbos mente cordis sui. *Luc.* 1. 51. * Per te. ℣. Glória. * Per te. *Resumitur* Benedixit.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. g. Arca ferebátur super aquas, & aquæ prævaluérunt nimis super terram. *Gen.* 7. 18. 19.

*Ant.* 1. a. Sicut lux auróræ oriente sole, manè absque núbibus rútilat. 2. *Reg.* 23. 4.

*Ant.* 7. d. Tota pulchra es, & mácula non est in te. *Cant.* 4. 7.

℣. Gloriósa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Psal.* 86. 3.

pistola beáti Pauli
istoli ad Gálatas.
o VII. c. 3. v. 6.
*æ promittens Deus.*
Braham crédidit
Deo, & reputátum
est illi ad justítia.
Scite ergo quia qui
e sunt, ii sunt filii
æ. Próvidens au-
criptúra, quia ex fi-
tíficat gentes Deus,
ntiávit Abrahæ:
benedicentur in te
s gentes. Igitur qui
e sunt, benedicen-
um fidéli Abraham.
amque enim ex opé-
legis sunt, sub ma-
o sunt. Scriptum est
: Maledíctus omnis
non permánserit in
bus quæ scripta sunt
ro legis, ut fáciat ea.
iiam autem in lege
justificátur apud
a, manifestum est:
justus ex fide vivit.
utem non est ex fi-
d, Qui fécerit ea,
in illis. Christus nos
nit de maledícto le-
actus pro nobis ma-
tum: quia scriptum
Maledíctus omnis
endet in ligno: ut in
bus benedíctio A-
e fíeret in Christo Je-
pollicitatiónem spí-
accipiámus per fi-
Fratres, secundùm
nem dico, tamen
nis confirmátum te-
stamentum nemo spernit, aut superórdinat. Abrahæ dictæ sunt promissiónes, & sémini ejus. Non dicit: Et semínibus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et sémini tuo, qui est Christus.

℟. VII. Draco stetit ante mulíerem quæ erat paritúra; * Et projectus est Draco ille magnus, qui sedúcit universum orbem. *Apoc.* 12. 4. 9. ℣. Per manum féminæ percussit illum Dóminus Deus noster. *Judith.* 13. 19. * Et.

LECTIO VIII. c. 4. v. 1.
*Filius Dei factus ex muliere.*

QUanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dóminus ómnium, sed sub tutóribus & actóribus est usque ad præfinítum tempus à patre: ita & nos cùm essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Quóniam autem estis filii, misit Deus spíritum Fílii sui in corda vestra clamantem: Abba pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quód si filius: & hæres per Deum.

℟. VIII. Dixit, se júvenes occisúrum: * Dóminus autem omnípotens trádidit eum in manus féminæ, & confódit eum. *Judith.* 16. 6. 7. ℣. Irátus est draco in mulíerem. *Apoc.* 12. 17. * Dñs.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 1. v. 1.

*Christi genealogia.*

LIber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

*Sermo de 12. prærog. B. Mariæ Virg. n. 8.*

QUid micat in generatióne Maríæ? planè quòd ex régibus orta, quòd ex sémine Abrahæ, quòd generósâ ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde quòd generatióni illi ob singuláre privilégium sanctitátis divínitùs nóscitur esse concessa; quòd longè antè eísdem pátribus cœlitùs repromíssa; quòd mysticis præfiguráta miráculis; quòd oráculis prænuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális virga, dum sine radíce flóruit; hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccæ áreæ máduit; hanc in Ezechiélis visióne Orientális porta, quæ nulli umquam pátuit, præsignábat. Hanc dénique præ cæteris Isaías, nunc virgam de radíce Jesse oritúram promittébat; nunc evidéntiùs vírginem paritúram. Méritò signum hoc magnum in cœlo apparuisse scríbitur, quod tantò antè de cœlo nóscitur fuisse promissum. Dóminus ait: Ipse dabit vobis signum: Ecce virgo concípiet. Magnum profectò signum dedit, quia & magnus ipse qui dedit. Hujus ergo prærogatívæ fulgor quorum non vehementer revérberat áciem oculórum?

℟. IX. Erat virgo desponsáta viro cui nomen erat Joseph, de domo David; & * Nomen vírginis María. *Luc.* 1. 27. ℣. Tu ipse, Dómine Deus, qui elegisti, & posuisti nomen ejus. 2. *Esd.* 9. 7. * Nomen. ℣. Glória. * Nomen. *Resumitur* Erat.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Adjuvábit eam Deus, ℟. Manè dilúculo. *Ps.* 45. 6.

*Ant.* BEnedícta tu, filia, 8. G. à Dómino Deo excelso, præ ómnibus muliéribus super terram. *Judit.* 13. 23.

*Ant.* 3. a. Dóminus Deus tuus in médio tuî; fortis, ipse salvábit. *Soph.* 3. 17.

*Ant.* 7. a. In omni gente quæ audíerit nomẽ tuum, magnificábitur super te Deus Israël. *Judit.* 13. 23.

*Ant.* 5. C. Ex te egrediétur.

*Canticum.* Judic. 5. 3.

AUdíte, reges; áuribus percípite, príncipes: * Ego sum, ego sum, quæ Dómino canam; psallam Dómino Deo Israël.

Dómine, cùm exíres de Seïr, & transíres per regiónes Edom: * terra mota est, cœlíque ac nubes distillavérunt aquis.

Montes fluxérunt à fácie Dómini, * & Sinaï à fácie Dñi Dei Israël.

Cessavérunt fortes in Israël, & quievérunt; * donec súrgeret mater in Israël.

Nova bella elégit Dóminus: * & portas hóstiũ ipse subvertit.

Salvátæ sunt relíquiæ pópuli: * Dóminus in fórtibus dimicávit.

Glória Patri.

*Ant.* Ex te egrediétur qui sit dominátor in Israël, & egressus ejus à diébus æternitátis. *Mic.* 5. 2.

*Ant.* 1. a. In te benedicentur universæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12. 3.

*Capitulum.* Cant. 6. 9.

QUæ est ista quæ progréditur quasi auróra consurgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

*Hymnus.* S. V.

AURORA quæ solem paris,
Et ipsa Solis fília,
Quàm spléndidum, cùm násceris,
Affers diem mortálibus?

TE luce Sol vestit suâ,
Tibíque Luna stérnitur:
Aptáta sacro vértici
Nectunt corónam sídera.

TE mille virtútũ chori,
Te turma cingit cœlitum;
Ambit suo te númine,
Qui te facit matrẽ Deus.

UTI potens exércitus
Tu, Virgo, terror hóstiũ:
Te sic obumbrátam Deo
Pavent tremuntque tártara.

QUI tabe nos inféccerat,
Serpentis elídis caput:
Attrítus æterno jacet,
Non jam timendus, vúlnere.

FAC, Virgo, quem scimus Deum
Venisse terris hóspitem,
Per te manens nobis adhuc,
Nostri sit hospes péctoris.

SIT laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Fílius
Infúdit alvo vírginis.
Amen.

℣. Super áspidem & basilíscum ambulábis, ℟.

Et conculcábis leónem & dracónem. *Ps.* 90. 13.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 3. E. Benedictus Dóminus, qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Jud.* 13. 24. *Oratio.*

DEus, qui in beneplácito tuo mundum tibi reconciliáre voluisti: præsta, quæsumus, ut qui Nativitátem sanctæ Dei Genitrícis celebrámus, ipsam quam Fílius ejus operátus est salútem, matris intercessióne consequámur; Per eumdem.

AD HORAS.

*Doxologia.*

Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Fílius
Infúdit alvo vírginis.
Amen.

*Psalmi de Dominica.*

AD PRIMAM.

*Ant.* 8. G. Benedicta.

℟. *br.* Christe, &c. ℣. Qui natus es de María vírgine.

*CANON.*

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6. *de Justif. can.* 23.

SI quis hóminem semel justificátum díxerit... posse in tota vita peccáta ómnia, étiam veniália, vitáre, nisi ex speciáli Dei privilégio: quemádmodum de beáta Vírgine tenet Ecclésia; anáthema sit.

AD TERTIAM.

*Ant.* 3. a. Dñs Deus.

*Capitulum.* Isa. 62. 2. 3.

VOcábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit: & eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui.

℟. *br.* Concupíscet rex decórem tuum: * Allelúia, allelúia. *Repet.* Concupíscet. ℣. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Concupíscet.

℣. Vultum tuū deprecabúntur, ℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44. 12. 13.

AD SEXTAM.

*Ant.* 7. a. In omni gente.

*Capitulum.* Judith 13. 25.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

℟. Dóminus custódit te, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Dóminus. ℣. Dñs protéctio tua. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Dóminus. *Ps.* 120. 5.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

AD NONAM.

*Ant.* 1. a. In te benedicentur.

*Capitulum.* Mich. 5. 3.

DAbit eos usque ad tempus in quo par-

ns páriet, & relí-
: fratrum ejus conver-
ur ad filios Israël.
. *br.* Propè timentes
ainum, salutáre ipsíus,
lelúia, allelúia. *Rep.*
è. ℣. Ut inhábitet
ia in terra nostra. *
lúia. ℣. Glória. *Rep.*
è.
, Misericórdia & vé-
obviavérunt sibi; ℟.
tia & pax osculátæ
. *Ps.* 84. 10. & 11.

VESPERAS.

*nt. de Laudibus: Psal-*
*e Officio parvo Beatæ*
*iæ Virginis.*

*tulum.* Bar. 5. 3. 4.
Eus ostendet splen-
dórem suum in te
i qui sub cœlo est:
inábitur tibi nomen
eo in sempiternum:
justítiæ & honor pie-
.

*ymnus.* Vatum pa-
, *ut in primis Vespe-*

, Diffúsa est grátia
biis tuis: ℟. Propté-
benedixit te Deus in
num. *Ps.* 44. 3.
d Magníficat, *Ant.*
. Ecce tabernáculum
cum homínibus, &
tábit cum eis. *Apoc.*
|.
*ratio suprà, ad Lau-*

COMPLETOR.
*ntiph. & Psalmi de*
*inica. Hymnus.* Vir-
gíneis títulis. *ut in Officio parvo B. Mariæ in Sabbato.*

Intra Octavam
NATIVITATIS
B. MARIÆ.

*AD OFFIC. NOCT.*
*Invitatorium, Hymnus, ut in die Festo. Tres Antiphonæ, Versic. & Resp. ex Nocturno occurrente. Psal. de Feria, per Offic. integrum.*

*I. & II. Lectio de Scriptura occurrente; ex tribus duæ. Tertia, Sermo ut in quolibet die.*

*AD LAUDES. Psalmi Feriæ cum Cantic. diei sub hac Ant.* Ex te egrediétur.

*AD HORAS, Psalmi Feriales; cætera ut in die.*

*AD VESP. Psal. Feriæ sub hac Ant.* Erit radix Jesse.

*AD COMPLET. Psal. Feriæ; Hymn. ut in Offic. B. Mariæ in Sabbato.*

DIE IX.
De Octava
NATIVITATIS
B. MARIÆ.
*Semiduplex.*

Sermo sancti Bernardi
Abbátis.
*In Nativitate B. Mariæ Virginis.*

LECTIO III.

INtuére, ô homo, consílium Dei; agnosce consílium sapiéntiæ,

consílium pietátis. Redemptúrus humánum genus, prétium universum cóntulit in Maríam. Ut quid hoc? fortè ut excusarétur Heva per filiam, & queréla viri adversùs féminam deinceps sopirétur. Ne díxeris ultrà, ô Adam: Múlier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vétito: dic pótiùs; Múlier quam dedisti mihi, me cibávit fructu benedícto. Piíssimum sanè consílium; sed latet fórsitan áliud, nec totum hoc est. Altiùs ergo intueámini, quanto devotiónis affectu, à nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinē pósuit in María: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre.

DIE X.

In Festo

SANCTI SALVII,

Albigensis Episcopi.

*Semiduplex.*

*De Communi unius Pontificis. Oratio.* Dírige. *p.* xxij.

*Fit commemoratio Octavæ.*

LECTIO IV.

*Ex Greg. Turon. & Hist. gen. Occit.*

SAlvius, ex ipsa Diœcési Albigensi oriundus, ut créditur, cùm adhuc júvenis in causis agendis aliquándiu cum laude óperam dedisset, forensem tumultum póstea exósus, aliudque vitæ genus pietáti colendæ magis idóneum éxpetens, Monastérium est ingressus. In quo per annos áliquot commorátus; ibíque humilitáte, obediéntiâ, charitáte, ódio suî, cæterísque vitæ religiósæ virtútibus ita excélluit, ut diffúsâ póstmodum sanctitátis viri famâ, ad Episcopátum Albigensem ómnium votis eléctus fúerit, invitusque ordinátus. Eo ferè témpore, cùm Mómmolus Patrícius, Didierum Tolósæ ducem qui Lemovicensem Provínciam armis occupáre moliebátur, ingenti clade profligasset; expugnatâque ac devastátâ Albigensi urbe, plúrimos hinc captívos victor secum addúceret, gravī dolóre pércitus pius Póntifex, Mómmolo óbviam occurrit: tantamque apud ipsum charitátis ac sanctitátis splendóre sibi grátiam conciliávit, ut summo honóre receptus id étiam effécerit, ut emptâ captivórum libertáte plúrimum ipsi de prétio concederétur.

LECTIO V.

ANno quingentésimo octogésimo, Concí-

ranæ hábito inter-
perhibétur : in quo
éntiæ veritatísque
or integérrimus unà
iliis concílii Epísco-
regórium Turonen-
in quem Fredegun-
tias accusatiónes ar-
nfláverat , objécti
nis insontem decla-
Chilpérico Regi di-
res scriptis tractáre
nti , ac pérperam de
nárum in Deo di-
ióne sentienti , forti
o paríque sapiéntiâ
t. Albigam póstmo-
eversus, cùm omnes
ílis múneris partes
ri stúdio impléret ,
per totam latè re-
m acerbíssima pes-
coríri. Tum máxi-
mma illíus in ple-
suam cháritas ení-
Nam cùm in civitá-
bigensi dira lues cru-
mè sævíret , infir-
o morbo laborantes
actúque invísens, in
andis reficiendísque
própriæ salútis há-
atióne , totus incú-
Ipse tandem pesti-
, correptus , ægro-
m domos adíre non
it , donec inter oves
erâ labe affectas con-
que, bonus Pastor
icórdiam Dei exó-
ipsi ánimam exhalá-
ie décima mensis
mbris , anno quin-
gentésimo octogésimo
quarto.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 24. v. 42.

*Vigilantia.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

*Serm. 1. de Dispensatoribus Domini. §. 3.*

NE quis nostrûm, solos Apóstolos dispensatóres factos exístimet, negléctóque milítiæ spiritális offício, servus piger, infidéliter, imprudenterque dormítet ; ipse beátus Apóstolus, Epíscopos quoque dispensatóres esse osténdens, ait : Oportet enim Epíscopum sine crímine esse sicut Dei dispensatórem. Servi ergò patrisfamílias sumus, dispensatóres Dómini sumus : mensúram trítici quam vobis erogémus, accépimus. Quæ verò sit ista mensúra trítici, si quærámus, beátus Paulus osten dit, dicens : Unicuíque sicut Deus divísit mensúram fidei. Quam ergò mensúram trítici Christus núncupat, ipsam fidei mensúram Paulus appellat : ut agnoscámus non áliud esse spiritále tríti-

cum, quàm Christiánæ fidei venerábile sacramentum ...... Ex illa trítici mensúra, sicut Deus dívidit, universi pascámur: inde alimenta bonæ vitæ sumámus: ut ad ætérnæ vitæ præmia perveníre possímus: in illum credentes, in illo sperantes, illum præ ómnibus, & in ómnibus diligentes, qui seipsum nobis alimentũ præstat ne deficiámus in via; & præmium servat, ut gaudeámus in pátriâ. Christus est alimentum nostrum: Christus erit præmium nostrum.

DIE XI.
De Octava
NATIVITATIS
B. MARIÆ.
*Semiduplex.*
Sermo sancti Joannis Damascéni.
*Orat. 1. de Nativitate beatæ Mariæ.*

LECTIO III.

HOdiè mundi salus inchoátur: jubiláte Deo, omnis terra, cantáte, & exultáte & psállite, quóniam nobis nata est Dei mater in sancta probática, ex qua Dei Agnus qui mundi peccáta tollit, in lucem edi vóluit. Exultáte, montes, hoc est, ratióne præditæ natúræ; quæque ad spirituális contemplatiónis fastigium assúrgitis: síquidem claríssimus Dei mons páritur, qui collem omnem ac montem, id est, Angelórum & hóminum sublimitátem exsúperat, ex quo citra ullam mánuũ óperam corpóreo modò éxscindi vóluit lapis anguláris Christus, una persóna distinctas natúras cópulans, divinitátem nimírum & humanitátem, mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo.

DIE XII.
De Octava
NATIVITATIS
B. MARIÆ.
*Semiduplex.*
Sermo sancti Petri Chrysólogi.
*Serm. 143.*

LECTIO III.

VIdétis quibus est virgo oppignieráta munéribus. Ave, grátiâ plena. Hæc est grátia quæ dedit cœlis glóriam, terris Deum, fidem Géntibus, finem vítiis, vitæ órdinem, móribus disciplínam. Hanc grátiã détulit Angelus, accépit virgo salútem séculis redditúra. Ave, grátiâ plena. Quia síngulis grátia se est largíta per partes: Maríæ verò simul se totam grátiæ plenitúdo. Omnes, inquit Evangelista, de plenitúdine ejus accépimus.

nde & David dicit: Descéndit sicut plúvia in vellus. Vellus cùm sit de córpore, nescit córporis passiónes: sic virgínitas cùm in carne, vítia carnis nórat. Cœlestis ergò imber virgíneum in vellus plácido se fudit illapsu, & ta divinitátis unda bíbulo se nostræ carnis cerit in véllere, donec per stíbulum crucis expressum terris ómnibus in plúviam salútis effúnderet.

DIE XIII.

De Octava
NATIVITATIS
B. MARIÆ.

*Semiduplex.*

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

*De Verbis Apocalypsis.*

LECTIO III.

Omnibus ómnia facta est María; sapiéntibus & insipiéntibus copiosíssimâ caritáte debitrícem se fecit. Omnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi, captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam; dénique tota Trínitas glória, Filii persona carnis humánæ substántiam, ut non sit qui se abscondat à calóre ejus. Nonne ipsa est sole amicta múlier? Esto síquidem, ut de præsenti Ecclésia id intelligendú prophéticæ visiónis séries ipsa demonstret; sed id planè non inconvenienter Maríæ vidétur attribuendum: nimírum ea est, quæ velut álterum solem índuit sibi. Quemádmodum enim ille super bonos & malos indifferenter óritur; sic ipsa quoque prætérita non díscutit mérita: sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam præbet, ómnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserátur affectu.

DIE XIV.

In Exaltatione
SANCTÆ CRUCIS.

*Duplex-majus.*

IN I. VESPERIS.

*Ant.* 1. g. Levábit signum in natiónes, & congregábit prófugos Israël, & dispersos Juda cólliget à quátuor plagis terræ. *Isai.* 11. 12.

*Ant.* 2. D. Dabit lignum fructum suum; & scient, quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum. *Ezech.* 34. 27.

*Ant.* 3. a. Quóniam potens es, Dómine, ex ómnibus salváre, exíguo ligno hómines transeuntes mare liberáti sunt. *Sapient.* 14. *v.* 4. 5.

*Ant.* 4. D. Dóminus as-

tendit Móysi lignū, quod cùm misisset in aquas, in dulcédinem versæ sunt. *Exod.* 15. 25.

*Ant.* 5. a. Benedictum est lignum, per quod fit justítia. *Sapient.* 14. 7.

*Capitulum.* Ezech. 17. 24.

Exaltávi lignum húmile, & frondére feci lignum áridum: ego Dóminus locútus sum, & feci.

℟. Radix Jesse qui stat in signum populórum; * Ipsum Gentes deprecabuntur, † Et erit sepulchrū ejus gloriósum. *Isai.* 11. 10. ℣. Jesum occidérunt suspendentes in ligno. *Act.* 10. 30. *Ipsum. ℣. Glória. † Et erit.

*Hymnus.* S. V.

Crux alma, salve, Crux venerábilis,
Torrente Christi sánguinis ébria:
Testis dolórum, tu supréma
Verba Dei morientis audis.

Tu celsa sedes, unde suos docet;
Vitális, in quo nos péperit, thorus;
Currus triumphantis, tribúnal
Júdicis, atque litantis ara.

Non rapta cæsis hóstibus ímpia
Hìc arma fulgent, nec dómiti duces
Graves caténis hìc trahuntur:
Nobílior Crucis est triumphus.

Orbis redempti quália pígnora!
Crux tincta Christi sánguine adhuc madet:
Speráte, mortáles; salútem
Plena necis monumenta præstant.

Crux certa cœli sémita, quæ Patris
Thronum petenti pandis iter Deo;
Nunc alterâ nobis nefas est
Ire viâ malè delicátos.

Laus summa Patri, qui creat ómnia;
Natóque, mundum qui réparat Cruce;
Qui cuncta replet, summa sancto
Spirítui; tribus una semper. Amen.

℣. Apud Dóminum misericórdia, ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 129. 7.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 7. G. Justificábit ipse justus multos, & iniquitátes eórum ipse portábit. *Isai.* 53. 11.

*Oratio.* Deus, qui nos, *ut infrà ad Laudes.*

*Fit commemor. Octavæ Nativitatis B. Mariæ.*

AD OFF. NOCTUR.

*Invit.* Jesum propter passiónem mortis glóriâ

& honóre coronátum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 2. 9.

*Psalm.* Veníte. *pag.* 2.

*Hymnus.* Crux alma, *ut ad j. Vesperas.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. à. Ab inítio cùm períerent supérbi gigantes, spes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remísit século semen nativitátis. *Sap.* 14. 6.

*Ant.* 6. F. Cùm concidísset Abraham ligna in holocaustum, ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus. *Gen.* 22. *v.* 3.

*Ant.* 5. C. Cùm leváret Móyses manus, vincébat Israël; Aaron autem & Hur sustentábant manus ejus ex utráque parte. *Exod.* 17. 11. 12.

℣. Deus rex noster ante sécula, operátus est salútem, ℟. In médio terræ. *Psal.* 73. 12.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

*Post j. Lect.* ℟. Quòd nunc vivo in carne, * In fide vivo Fílii Dei qui dilexit me & trádidit semetipsum pro me. *Gal.* 2. 20. ℣. Dómine, óculi tui respíciunt fidem. *Jer.* 5. 3. * In fide vivo.

*Post ij. Lect.* ℟. Christus dilexit nos, * Et trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem & hóstiã Deo in odórem suavitátis. *Ephes.* 5. 2. ℣. Vulnerátus est propter iniquitátes nostras. *Isai.* 53. 5. * Et trádidit.

*Post iij. Lect.* ℟. Commendat charitátem suam Deus in nobis, * Quóniã cùm adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. *Rom.* 5. 8. 9. ℣. Deus adimplévit propitiatiónem suam. *Eccli.* 18. 11. * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. c. Mórsibus colubrórum exterminabantur, sed ad correptiónem in brevi turbáti sunt, signum habentes salútis. *Sap.* 16. 5. 6.

*Ant.* 2. D. Qui convérsus est, non per hoc quod vidébat, sanabátur, sed per te ómnium salvatórem. *Sap.* 16. 7.

*Ant.* 4. E. Neque herba, neque malagma sanávit eos, sed tuus, Dómine, sermo, qui sanat ómnia. *Sap.* 16. 12.

℣. Misit verbum suum, & sanávit eos, ℟. Et erípuit eos de interitiónibus eórum. *Ps.* 106. 20.

LECTIO IV.

*Ex Theophane & Paulo Diacono.*

CHósroes Persárum rex, extrémis Phocæ impérii tempóribus, Ægypto & Africâ occupátis, ac Jerosólymâ captâ,

multisque ibi Christianórum míllibus, partim cæsis, partim in captivitátem cum Zacharía patriarcha adductis, Crucem étiam Dómini quam Helena in monte Calváriæ collocâ-rat, in Pérsidem asportávit, anno Christi sexcentésimo décimo quarto. Heráclius qui jam ab annis quátuor Phocæ succésserat, étiam per sequentes annos multis belli incómmodis, & calamitátibus affectus, pacem bis à Chósroa pétiit: sed hanc ille pertináciter utrâque vice denegávit, nisi Crucifixo abnegáto, sol adorarétur à Románis. Quam impietátem detestátus Heráclius, imploráto Dei auxílio, bellum quasi sacrum suscépit, militesque ad martyrium hortátus, signa cum hoste cóntulit. Post diuturnum bellum, anno demum sexcentésimo vigésimo séptimo exeunte, Persas ingenti prælio superávit.

℞. IV. Christus crucifixus est ex infirmitáte, sed vivit ex virtúte Dei; * Et nos infirmi sumus in Christo, sed vivémus cum eo ex virtúte Dei. 2. *Cor.* 13. 4. ℣. Móyses pósuit serpentem æneum pro signo: quem cùm percussi aspícerent, sanabantur. *Num.* 21. v. 9. * Et nos.

LECTIO V.

Victus ígitur Chósroes, in fuga, quâ trajícere Tigrim parábat, Medarsen filium, sócium regni designat. Quam contuméliam cùm Síroes Chósroæ major natu filius ægrè ferret, patre simul & fratre interemptis, regno Persárum potítus est, pacemque cum Heráclio fecit, quibusdam acceptis conditiónibus, quarum ea prima fuit, ut Crucem Dómini restitúeret. Captívos ítaque, in primis Zacharíam patriarcham, dimísit cum áliquot crucis sanctæ partículis, quarum thecam argénteam íntegram, illæsáque sigilla ipse Patriarcha agnóvit. Igitur Crux sancta quatuórdecim post annos quàm vénerat in Persárũ potestátem, recepta est: & deláta primùm Constantinópolim, & anno sequenti Jerosólymam, in locum prístinum restitúta est; actæque Deo de victóriis grátiæ. Exinde Exaltatiónis sanctæ Crucis festívitas, quæ hâc die quotannis agebátur, celébrior haberi cœpit.

℞. V. In médio civitátis sanctæ Jerúsalem lignum vitæ, * Et fólia ligni ad sanitátem géntium, & omne maledictum non erit ámpliùs. *Apoc.* 22. 2.

gnum étiam vitæ
) paradísi. *Gen.* 2.
ólia.
:TIO VI.
eâdem die sanc-
Ludovícus, Fran-
:x, anno milléſi-
ntéſimo quadra-
rimo, partem Do-
Crucis, quæ in
ılo pígnoris apud
ios mílites re-
t, à Baldúino O-
mperatóre acce-
n ália non módi-
ne, ex qua Impe-
Ecclésiis & amícis
ıs dare consuéve-
ília multa Domí-
ſiónis instrumen-
ſios, præcedente
lémniter tránſtu-
rex piíſſimus ma-
hibuit chriſtiánæ
ırgumentū, cùm,
véſtibus régiis, &
ıdátus, in urbem
ıſtrumentum quo
prétium perſolú-
Demum conſtru-
:gio Palátio ma-
apellâ, ſacroſan-
:mptiónis noſtræ
religiósè in ea aſ-
óluit.
. Chirógraphum
, quod erat con-
nobis, tulit Chri-
médio, affígens
uci, * Et expó-
incipátus & po-
, traduxit confi-
† Palàm trium-
phans illos in ſemetipſo. *Coloſſ.* 2. 14. 15. ℣. Redémit nos ab inimícis noſtris, quóniam in æternum miſericórdia ejus. *Pſal.* 135. 24. * Et expólians. ℣. Glória. † Palàm.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Factus eſt principátus ſuper húmerum ejus, & vocábitur nomen ejus Admirábilis. *Iſ.* 9. 6.

*Ant.* 8. G. Verbum crucis pereúntibus ſtultítia eſt: iis qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt. *1. Cor.* 1. 18.

*Ant.* 7. c. Si commórtui ſumus, & convivémus; ſi ſuſtinébimus, & conregnábimus. 2. *Tim.* 2. *v.* 11. 12.

℣. Tu es ipſe Rex meus, ℟. Qui mandas ſalútes Jacob. *Pſ.* 43. 5.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Philippenſes.

LECTIO VII. c. 2. v. 5.

*Chriſtus humiliatus.*

HOc enim ſentíte in vobis, quod & in Chriſto Jeſu: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapínam arbitrátus eſt eſſe ſe æquálem Deo; ſed ſemetipſum exinanívit formam ſervi accípiens, in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo. Humiliávit ſemetipſum factus obé-

diens usque ad mortem, mortem autem crucis.

℟. VII. Qui peccátum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, * Peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. 1. *Petr.* 2. *v.* 22. 24. ℣. Disciplína pacis nostræ super eum, & livóre ejus sanáti sumus. *Is.* 53. 5. *Peccáta.

Lectio VIII. v. 9.

*Christus exaltatus.*

PRopter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nómine Jesu omne genu flectátur, cœléstium, terréstrium & infernórum; & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris. Itaque, charíssimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præséntia meî tantùm, sed multò magis nunc in abséntia mea, cum metu & tremóre vestram salútem operámini.

℟. VIII. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, * Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Gal.* 6. 14. ℣. Mihi adhærére Deo bonum est; pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72. 28. * Per quem mihi mundus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio IX. c. 12. v. 31.

*Christus in Cruce exaltatus.*

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórũ; Nunc judícium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs: & ego si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meipsum. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

*Serm.* 8. *de Passione Domini.*

EXaltáto, dilectíssimi, per Crucem Christo, non illa tantùm spécies aspéctui mentis occurrat, quæ fuit in óculis impiórum, quibus per Móysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante óculos tuos, & timébis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifixo Dómino præter fácinus suum cogitáre potuérunt, habentes timórem, non quo fides vera justificátur, sed quo consciéntia iníqua torquétur. Noster verò intelléctus, quem Spíritus veritátis illúminat, glóriam Crucis cœlo terráque radiantem puro ac líbero corde suscípiat, & interióre ácie vídeat, quale sit quod Dóminus cùm de passiónis suæ loquerétur instántiã,

: Nunc judícium
li est, nunc princeps
mundi ejiciétur fo-
& ego si exaltátus
à terra, ómnia tra-
ad me. O admirábi-
téntia Crucis! ô in-
lis glória passiónis!
a & tribúnal Dómi-
judícium mundi, &
tas est Crucifixi: tra-
enim, Dómine, óm-
l te; & cùm expandís-
stâ die manus tuas
pulum non creden-
& contradicentem ti-
onfitendæ majestátis
ensum totus mundus
it. Traxísti, Dómi-
omnia ad te; cùm in
ationem Judáici scé-
unam protulérunt
a elementa senten-
; cùm obscurátis lu-
ribus cœli, & con-
in noctem die, ter-
oque mótibus nutá-
sólitis, universaque
íra impiórum úsui se
et. Traxísti, Dómi-
nnia ad te: quóniam
templi velo, Sancta
órum ab indígnis
fícibus recessérunt;
ura in veritátem,
etía in manifestatió-
& lex in Evangélium
rétur.

ıx. Humiliávit se-
ipsum, factus obé-
usque ad mortem,
em autem crucis; *
ter quod † Et Deus
exaltávit illum. *Phil.* 2. *v.* 8. ℣. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit. *Isai.* 53. *v.* 4. * Propter. ℣. Glória. † Et Deus.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confitémini Dómino quóniam bonus. ℟. Quóniam in æternum misericórdia ejus. *Ps.* 135. *v.* 1.

*Ant.* 1. D. CHristus mórtuus est pro peccátis nostris, & resurrexit. 1. *Cor.* 15. 3.

*Ant.* 3. a. Si mórtui sumus cum Christo, simul étiam vivémus cum Christo. *Rom.* 6. 8.

*Ant.* 8. G. Fecit utraque unum, solvens inimicítias in carne sua. *Eph.* 2. 14.

*Ant.* 4. f. Vetus homo noster crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti. *Rom.* 6. 6.

*Ant.* 5. a. Justificáti in sánguine Christi, salvi érimus ab irâ per ipsum. *Rom.* 5. 9.

*Capitulum.* Gal. 3. v. 13. 14.

CHristus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledíctus omnis qui pendet in ligno: ut in Géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Christo Jesu.

*Hymnus.* S. V.

UNcta Crux Dei cruóre,
Quàm potens & éfficax!
Hujus attactu jacentes
Erigunt se mórtui:
Christus olim quâ pependit,
Tanta vis fuit Crucis!

Publici fontes salútis,
Sacra Christi vúlnera;
Vulnerátos illa sanant
Instar anguis æneì.
Quisquis æger speret, & spe
Non suâ fraudábitur.

Crux tribúnal quo sedébit
Justus ultor críminum;
Sponte sed nos judicémus,
Cedet ira Júdicis:
Nosque primi puniámus,
Ne secundus púniat.

Totius fons sanctitátis,
Sancta quo sunt ómnia;
Qui tuo quodcúmque crimen
Expiasti sánguine;
Labe puros, Christe, serves
Christiános móribus.

Sempiterna laus Parenti,
Qui creávit ómnia:
Filióque, qui redémit
Morte nos volens suâ:
Flaminíque, cujus almo
Recreámur hálitu.
Amen.

℣. In humilitáte nostra memor fuit nostrî; ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135. 23.

*Ad* Benedíctus, *Ant.* 1. D. Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. *Apoc.* 5. 12.

*Oratio.*

DEus, qui nos hodiernâ die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnuâ solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis præmia in cœlo mereámur; Per eumdem Christum.

*Fit commem. Octavæ.*

AD PRIMAM.

*Ant.* 2. D. Christus.

AD TERTIAM.

*Ant.* 3. a. Si mórtui.

*Capitulum.* Gal. 2. v. 19.

CHristo confixus sum Cruci. Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Christus.

℟. *br.* Remisísti * Iniquitátem plebis tuæ. *Repet.* Remisísti. ℣. Operuísti ómnia peccáta eórum. * Iniquitátem. ℣. Glória. *Repet.* Remisísti.

℣. Mitigasti omnem iram tuam; ℟. Avertísti ab ira indignatiónis tuæ. *Ps.* 84. *v.* 3. 4.

AD SEXTAM.

*Ant.* 8. G. Fecit.

*Capitulum.*

. Eph. 1. v. 5. 7.
destinávit nos
us in adoptiónem
ı per Jesum Chri-
ipsum, secundùm
tú voluntátis suæ,
habémus redemp-
er sánguinem ejus.
r. Fortitúdo mea
us mea Dóminus.
ortitúdo. ℣. Et fa-
t mihi in salútem.
us. ℣. Glória. *Rep.*
do. *Ps.* 117. 14.
go autem annun-
ı séculum: ℟. Can-
leo Jacob. *Ps.* 74.

NONAM.
5. a. Justificáti.
1. Pet. 2. v. 21. 22.
ristus passus est pro
obis, vobis relin-
exemplum, ut se-
iī vestígia ejus, qui
am non fecit, nec
us est dolus in ore

r. Déxtera Dómini
t virtútem. *Repet.*
a. ℣. Dextera Dó-
xaltávit me. * Fecit
m. ℣. Glória. *Rep.*
a. *Ps.* 117. 16.
Dómine adjútor
℟. Et redemptor
*Ps.* 18. 15.

VESPERAS.
. *de Laudibus.*
*ulum.* Heb. 2. 10.
lecbat eum prop-
er quem ómnia, &
uem ómnia, qui
*utumnalis Carc.*

multos filios in glóriam addúxerat, autórem salútis eórum per passiónem consummáre.

*Hymnus*, Crux alma, *ut suprà ad I. Vesperas.*

℣. Dóminus illuminátio mea, ℟. Et salus mea. *Ps.* 26. 1.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 7. *d.* Parébit signum Fílii hóminis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & vidébunt Fíliū hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa & majestáte. *Matt.* 24. 30.

*Oratio*, Deus, qui nos, *ut suprà ad Laudes.*

*Fit commemoratio Octavæ Nativitatis Beatæ Mariæ, ut in I. Vesp. Festi.*

*Oratio*, Deus, qui Vírginem, *ut infrà ad Laudes.*

*Quatuor Tempora Septembris celebrantur Feriâ IV. VI. & Sabbato post Festum Exaltationis sanctæ Crucis. Quibus diebus Officium fit ut infrà, pag.* 483. *& seq. Si occurrat Festum Semiduplex aut Simplex, de eo fit tantùm commemoratio, & post tertium Responsorium legitur Lectio de Sancto. De Octava beatæ Mariæ fit Officium, & tunc post sextum Responsorium legitur Homilia Feriæ majoris si occurrat.*

DIE XV.
Octava
NATIVITATIS
B. MARIÆ
Virginis.

*Duplex-minus.*

*Omnia ut in die Festo, servato ritu Duplicis-minoris, exceptis quæ sequuntur.*

*Ad Officium Nocturnum dicuntur Psalmi Feriales sub Antiphonis novem diei: post sextam Antiph. Vers. II. Nocturni cum ejusdem Nocturni Responsoriis.*

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*De Laudibus Virg. matris Hom. 2. in fine.*

LECTIO IV.

SI insurgant venti tentatiónum, si incurras scópulos tribulatiónum; réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis, si detractiónis, si æmulatiónis, réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra navículam concússerit mentis; réspice ad Maríam. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fœditáte confúsus, judícii horróre perténitus, báratro incípias absórberi tristítiæ, è desperatiónis abysso, cógita Maríam.

LECTIO V.

IN perículis, in angústiis, in rebus dúbiis, Maríam cógita, Maríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat à corde, & ut ímpetres ejus oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exemplum. Ipsam sequens, non dévias; ipsam rogans, non despéras; ipsam cógitans, non erras. Ipsâ tenente, non córruis; ipsâ protegente, non métuis; ipsâ duce, non fatigáris; ipsâ propítiâ, pérvenis: & sic in temetipso experiéris, quàm méritò dictum sit: Et nomen Vírginis María.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 1. 1.

*Christi Genealogia.*

LIber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

*Hom. 2. in Matth.*

AUdítu quidem mirábile est, quòd ineffábilis Deus, & qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehendi, Patríque per ómnia coæquális, per Vírginis ad nos venit úterum, & fieri ex mulíere

nátus est, & habére genitóres David & Abraham. Et quid dico David & Abraham? étiam s, quod magis stupendum est, mulíeres, Uríæ uxorem, Thamar & Ruth. ... igitur áudiens mente surge, nihilque húmile ... péris; sed pótiùs pro ... r hoc ipsum máximè ... áre, quia cùm verus dilectus Fílius sit sempiterni Dei, étiam Fílius David esse dignátus est, ... ideò ut te fílium fáceret ... servum patrem habere dignátus est, ut tibi ... patrem fáceret ipsũ ... um.

*Oratio.*

DEus, qui Vírginem quam matrem elegisti, nómine Maríæ voluisti insignítam, abundantes in isto nómine effunde grátias in fílios, ... per carnem in María assumptam adoptáre dignatus es; Qui vivis.

*Ad Vesperas pro comm.* *Cornelii Papæ & Cypriani Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, Martyrum.* ... Exultábitis. ℣. Custodit. xlij. *Oratio.* Beatorum Mártyrum. *p.*xviij.

*Pro commemor. sanctæ Euphemiæ Virginis & Martyris. Ant.* Dómina. ℣. Regnábit. xlvij. *Oratio*, Deus, qui inter cetera, lj.

FERIA QUARTA. QUATUOR TEMPORUM Septembris.

*Officium fit de Feria, exceptis quæ sequuntur.*

*Lectio j. de Scriptura occurrente, ex tribus una.*

Sermo S. Leónis Papæ. *Serm. 5. de jejunio septimi mensis.*

LECTIO II.

JEjúnium vobis, dilectíssimi, séptimi mensis indícimus, in quo vos non solùm de cibórũ abstinéntiâ, sed étiam de pietátis opéribus commonémus: ut quod vestris úsibus religiósâ parcitáte subtráhitis, in alimóniá páuperum, & in cibos debíliũ transferátis: ómnibus quidem indigéntibus generáli benevoléntiâ consulentes, sed máximè eórũ mémores, qui sunt de membris córporis Christi, & nobis unitáte Cathólicæ fídei copulantur: plus enim debémus nostris pro consórtio grátiæ, quàm aliénis pro communióne natúræ. Abundet ergò in vobis, dilectíssimi, benígnitas christiána: & sicut recurréntia anni témpora desiderátis, ut plena sint frúctibus; ita & corda vestra pascendis sint fœcunda paupéribus. Mirabíliter providéntia divína dispósuit, ut essent in Ecclésia & sancti páuperes,

& divites boni, qui invicem sibi ex ipsa diversitáte prodessent, cùm ad æterna & incorrupta præmia promerenda Deo grátias ágerent largientes. Quarta ígitur & sextâ feriâ jejunémus: sábbato verò apud beatíssimum Petrum Apóstolum vigílias celebrémus, sperantes nos ita ipsíus oratiónibus adjuvandos, ut Deus misericordiárum jejúnii nostri sacrificiū placátus accípiat.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

LECTIO III. c. 9. v. 13.

*Dæmonia ejiciuntur in oratione & jejunio.*

IN illo témpore; Véniens Jesus ad discípulos suos, vidit turbam magnam circa eos & Scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis pópulus videns Jesum, stupefactus est & expavérunt, & accurrentes salutábant eum. Et interrogávit eos: Quid inter vos conquíritis? Respondens Jesu unus de turba, dixit: Magister, áttuli fílium meum ad te, habentem spíritū mutum. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

*Homil. 58. in Matth.*

SI fide opus est, ut ejiciantur dæmones, cur jejunáre oportet? quia scílicet unà cum fide non parvas vires affert jejúnium: quamvis non jejúnio solùm, sed oratióne quoque, ac multò magis oratióne opus sit. Qui enim orat & jejúnat ut oportet, is multis rebus non índiget; qui verò multis non índiget, numquam fiet avárus: & qui non est avárus, prónior semper ad misericórdiam erit. Qui jejúnat, levior est, & vigilanter orat, & cupiditátis incéndia extinguens, ac ánimam suam humílians, fácilè Deum placat; idcircò & Apóstoli ferè semper jejunábant. Si verò imbecillis córpore jejunáre semper non potes, non eris tamen ad orandum infírmus, neque ad contemnendas ventris delícias inválidus. Jejunáre quidē non potes, sed non vívere in delíciis potes; quod sanè parvum non est, nec magno intervallo à jejúnio distat. Sed súfficit étiam hoc, diáboli furórē deprímere, cui nemo magis amícus est, quàm qui delíciis & ebrietáte maculétur. Hic enim fons, hæc mater, atque orígo vitiórum ómnium est.

AD LAUDES.

*Capitulum.* Zach. 8. 19.

JEjúnium séptimi, & jejúnium décimi erit

Juda in gáudium
tiam, & in solem-
præcláras : veritá-
ntùm & pacem di-

Benedictus, *Ant.*
ıcrepávit Jesus spí-
immundum, & sa-
ıúerum, & réddidit
patri ejus. Stupé-
ıtem omnes in ma-
ine Dei. *Luc. 9. v.*

*es flexis genibus,*
*'Salterio.*

*Oratio.*

fericórdiæ tuæ re-
nédiis, quæsumus,
ıe, fragílitas nostra
ır, ut quæ suâ con-
: attéritur, tuâ cle-
. reparétur ; Per
ıum nostrum Jesum
ım Fílium tuum ;
cum.

*)ratio dicitur etiam*
*as.*

*A N O N.*

oncílio Turonensi
tértio.

. 813. *can.* 47.

nia quando gene-
ter pro áliqua ne-
e indicuntur, dili-
ab ómnibus custo-
sunt & observan-
c se áliquis impro-
gulæ patiátur cor-
; ne de commúni
io segregátus, ef-
jejúnii, quem cum
abstinendo cón-
lébuit, inglúvie ventris victus túrpiter amittat.

*AD VESPERAS, si sint de Feria, dicitur ad* Magníficat, *Ant. ut in Psalterio, cum Precibus, flexis genibus, & Oratione de Dominica. Et sic in Feria VI. sequenti.*

## FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM Septembris.

*Lectio j. de Scriptura occurrente, ex tribus una.*

Sermo sancti Leónis Papæ.

*Serm. 92. de jejunio septimi mensis cap. 1.*

### LECTIO II.

SCio quidem, dilectíssimi, plúrimos vestrûm ita in iis quæ ad observántiam Christiánæ fidei pértinent, esse devótos, ut nostris cohortatiónibus non indígeant admonéri. Quod enim dudum & tradítio decrévit, & consuetúdo firmávit, nec erudítio ignórat, nec píetas prætermittit. Sed quia sacerdotális offícii est, erga omnes Ecclésiæ fílios curam habére commúnem, in id quod & rúdibus prosit, & doctis, quos simul dilígimus, páriter incitámus, ut jejúnium quod nobis séptimi mensis recursus indícit, fide álacri per castigatiónem ánimi & córporis celebrémus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. c. 7. 36.

*Christus apud Pharisæum manducans.*

IN illo tempore; Rogábat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducáret cum illo: & ingressus domum Pharisæi discúbuit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*Homil. 33. in Evangel. habita in Basilica sancti Clementis, Feriâ sextâ Quatuor Temporum Septemb. circa medium.*

QUem Pharisæus de falsa justítia præsúmens, nisi Judáïcum pópulum; quem peccátrix múlier, ad vestígia Dómini véniens & plorans, nisi conversam Gentilitátem designat? Nos ergò illa múlier expressit, si toto corde ad Dóminum post peccáta redeámus, si ejus pœniténtiæ luctus imitémur. Si ígitur recta ópera ágimus, quibus opiniónis bonæ odóre Ecclésiam respergámus, quid in Dómini córpore nisi unguentum fúndimus? Secus pedes Jesu múlier stetit. Si ad veram pœniténtiam post peccáta convértimur, jam retrò secùs pedes Dómini stamus, quia ejus vestígia séquimur, quem impugnabámus. Lácrymis múlier pedes ejus rigat; quod nos quoque veráciter ágimus, si quibúslibet últimis membris Dómini per compassiónis affectum inclinámur, si sanctis ejus in tribulatióne compátimur, si eórum tristítiam nostrá putámus. Capillis múlier pedes quos rigáverat, tersit; capillis quoque pedes Dómini térgimus, quando sanctis ejus, quibus ex charitáte compátimur, étiam ex his quæ nobis supérfluunt, miserémur: quátenùs sic mens per compassiónem dóleat, ut étiam larga manus affectum dolóris ostendat. Plorat, & non tergit, qui verba quidem dolóris tríbuit, sed non ministrando quæ desunt, vim dolóris mínimè abscindit. Osculátur múlier pedes quos tergit: quod nos quoque plenè ágimus, si studiósè dilígimus quos ex largitáte continémus; ne gravis nobis sit necéssitas próximi, ne ipsa nobis ejus indigéntia quæ sustentátur, fiat oneróſa, & cùm manus necessária tríbuit, ánimus à delectatióne torpescat.

AD LAUDES.

*Capitulum.* Eccli. 37. 34.

PRopter crápulam multi obiérunt: qui autē ábstinens est, adjíciet vitā,

*Ad* Benedictus, *Ant.* 6. F. Dixit Jesus ad mulíerem: Fides tua te salvam fecit. *Luc.* 7. 50.

*Preces flexis genibus, ut in Psalterio.*

*Oratio.*

ADesto, quæsumus, omnípotens Deus; & in jejúnio corporáli, mentem nostram opéribus tuórum réfice mandatórum; Per Dóminum.

*Dicitur etiam ad Horas.*

*CANON.*

Ex Concílio Coloniensi.

*An.* 1536. *p.* 1. *c.* 21.

QUo affectu ac propósito accédant Ordinandi videndum, & accuráte investigandum est: num vidélicet Dei causâ tantùm, an pótiùs suæ commoditátis grátiâ ad Ordines capessendos aspírent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.

SABBATO

QUATUOR TEMPORUM

Septembris.

*Lectio j. de Scriptura occurrente, ex tribus una.*

Sermo sancti Leónis Papæ.

*Serm.* 92. *de jejunio septimi mensis, cap.* 1.

LECTIO II.

HIs, dilectíssimi, cohortatiónibus, quibus nos ad bona incommutabília & ad gáudia invítat æterna, plenæ sunt omnes divinárum páginæ litterárum; & hoc nobíscum agit Testamenti utriusque doctrína, ut inhæreámus veris, & contineámus à vanis. Non enim apprehendi potest quod promíttitur, nisi custodítum fúerit quod jubétur. Quid jústius quàm ut homo, cujus fert imáginem, fáciat voluntátem, & per abstinéntiam cibi jejúnet à lege peccáti? Ideò enim ipsa continéntiæ observántia, quátuor est assignáta tempóribus, ut in idipsum totíus anni redeunte decursu, cognoscerémus nos indesinenter purificatiónibus indigére, semperque esse nitendum, dum hujus vitæ varietáte jactámur, ut peccátum quod fragilitáte carnis & cupiditátum pollutióne contráhitur, jejúniis atque eleemósynis deleátur.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. c. 13. 6.

*Parabola ficulnea.*

IN illo témpore; Dicébat Jesus hanc similitúdinem: Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invénit. Dixit autem ad cultórem víneæ: Ecce anni tres sunt ex quo vénio quærens fructum in ficúlnea hac, & non invénio: succíde ergò

illam, ut quid étiam terram óccupat? Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*Homil. 31. in Evangel. habita Sabb. Quatuor Temporum Sept. circa initium.*

TErtiò Dóminus víneæ ad ficúlneam venit, quia natúram géneris humáni ante legem, sub lege, sub grátiâ, expectando, admonendo, visitando, requisívit. Dixit autem ad cultórem víneæ: Ecce anni tres sunt, ex quo vénio fructum quærens in ficúlnea hac, & non invénio. Venit ante legem, quia per naturálem intellectũ, quid unusquisque exemplo suî, quáliter erga próximum ágere debuisset, innótuit. Venit in lege, quia præcipiendo dócuit. Venit post legem per grátiam, quia pietátis suæ præséntiam exhibendo monstrávit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenisse conquéritur; quia quorumdã pravórũ mentes nec inspiráta lex naturális córrigit, nec præcepta erúdiunt, nec Incarnatiónis ejus mirácula convertunt. Quid verò per cultórem víneæ, nisi præpositórum ordo exprímitur? qui dum præsunt Ecclésiæ, nimírùm Domínicæ víneæ curam gerunt.

AD LAUDES.

*Capitulum.* Tob. 12. 8.

BOna est orátio cum jejúnio, & eleemósyna magis quàm thesauros auri recóndere: quóniam eleemósyna à morte líberat, & ipsa est, quæ purgat peccáta, & facit inveníre misericórdiam & vitam ætérnam.

*Ad* Benedíctus, *Ant.* 2. D. Ecce múlier, quæ habébat spíritũ infirmitátis annis decem & octo; & erat inclináta, nec omníno póterat sursùm respícere. Quam cùm vidéret Jesus, vocávit eam ad se, & ait illi: Múlier, dimíssa es ab infirmitáte tua. *Luc.* 13. *v.* 11. 12.

*Preces flexis genibus, ut in Psalterio.*

*Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui per continéntiam salutárem corpóribus medéris & méntibus: majestátem tuã suppliciter exorámus, ut piâ jejunántium deprecatióne placátus, & præséntia nobis subsídia tríbuas & futúra; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum Qui tecum.

*Dicitur etiam ad Horas.*

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 23. *de reform. c.* 11.

Cum (à minóribus Ordínibus) ad altióres gradus & sacratíssima Mystéria fit ingressus; nemo iis initiétur, quem non sciéntiæ spes majóribus Ordínibus dignum osténdat. Hi verò non nisi post annum à susceptióne postrémi gradûs minórum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur; nisi necéssitas, aut Ecclésiæ utílitas, judício Epíscopi, áliud exposcat.

D i e xvi.

In Festo

SS. CORNELII Papæ et Cypriani,

Epíscopi & Ecclesiæ Doctoris, Martyrum.

*Semiduplex.*

*Omnia de Communi plurium Martyrum.*

*Oratio*, Beatórum. *pag.* xvij.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

Lectio iv.

*Ex Epist. S. Cypr. ad Antonianum, ex lib. S. Hieron de Script. Eccl. & Actis apud Ruinart.*

Factus est Cornélius Epíscopus de Dei & Christi ejus judício, de Clericórum penè ómnium testimónio, de plebis quæ tunc áffuit suffrágio, & de Sacerdótum antiquórum & bonórum virórum collégio; cùm nemo ante se factus esset; cùm Fabiáni locus, id est, cùm locus Petri & gradus Cáthedræ sacerdotális vacáret: quo occupáto de Dei voluntáte, atque ómnium nostrûm consensióne firmáto, quisquis jam Epíscopus fieri volúerit, foris fiat necesse est, nec hábeat Ecclesiásticam ordinatiónem, qui Ecclésiæ non tenet unitátem. Quanta in ipso suscepto Episcopátu suo, virtus? quantum robur ánimi? qualis fírmitas fidei? quod nos símplici corde & perspícere pénitùs & laudáre debémus: sedisse intrépidum Romæ in sacerdotáli Cáthedra eo témpore, cùm tyrannus infestus Sacerdótibus Dei fanda atque infanda comminarétur: cùm multò patiéntiùs & tolerabíliùs audíret levári adversùs se æmulum príncipem, quàm constítui Romæ æmulum Sacerdótem. Nonne hic summo virtútis & fidei testimónio prædicandus est? Nonne inter glorióssos Confessóres & Mártyres deputandus, qui tantùm témporis sedit, expectans corpóris sui carnífices, & tyranni ferocientis ultóres?

Lectio v.

Cypriánus Afer primùm gloriósè Rhetóricam dócuit; exinde suadente Presbytero Cæcílio, à quo & cognomentum sortítus est, Christiánus factus, omnem substántiam suam paupéribus erogávit: ac post non multùm temporis electus in Presbyterum, étiam Epíscopus Carthaginensis constitútus est. Tempore Valeriáni & Gallieni, oblátus Galério Máximo Procónsuli sanctus Martyr., respondit: Ego sum Cypriánus; Christiánus sum, & diis sacrificáre non pótero. Tunc irátus Proconsul his dictis, decrétum ex tabella recitávit: Cypriánū gládio animadverti placet. Cypriánus Epíscopus dixit: Deo grátias. Perductus autem in agrum Sexti, cùm ibi se lacerno birro & dalmáticâ expoliasset, stans in línea, spiculatórem expectábat; qui cùm venisset, jussit suis ut ei viginti quinque áureos darent. Pósteà verò manu suâ óculos sibi texit, & sic gládio percussus occúbuit. Cujus corpus nocte adveniente, cum céreis in área cujusdam Cándidi procuratóris magno triumpho sepultum est.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vi. c. 16. v. 25.

*Contemptio seculi.*

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Qui perdíderit ánimā suá propter me, invéniet eá: quid enim prodest hómini, si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm.* 311.

Audíerant Apóstoli, Quid prodest hómini, si totum mundum lucrétur, ánimæ autem suæ detrimentum patiátur? Non retardávit illécebra séculi, festinantes; transitúra, migrantes, quantúmlibet & quomodólibet fulgens felícitas hìc dimittenda, ad áliam vitam non transferenda, aliquando hìc & à vivéntibus relinquenda. Contémnite ergò séculum, Christiáni; contémnite séculum. Contempsérunt Mártyres, contempsérunt Apóstoli, contempsit beátus Cypriánus, cujus hódie memóriam celebrámus. Divites esse vultis, honoráti esse vultis, sani esse vultis; totum ille contempsit ad cujus memóriam convenistis. Quid, óbsecro, tantum amátis

quod contempsit quem sic honorátis? quem si ista non contempsisset, non útique sic honorarétis. Quare te invénio eárum rerum amatórem, quarum veneráris contemptórem? Certè illum, si hæc amârat, non venerareris. Et tu, noli amáre: non enim intrávit, & óstium contra te clausit. Contemne & tu; & intra post illum. Patet, quâ intres: Christus est jánua; & tibi est óstium apertum, quando est latus ejus lánceâ perforátum. Quid inde manávit, récole; & élige quâ possis intráre. Aqua sanguisque profluxit: in uno est mundátio tua; in áltero, redémptio tua.

*Pro comm. S. Euphemiæ Virg. & Mart. Ant.* Felix est. ℣. Corónat. *Orat.* Deus, qui inter. lj.

DIE XIX.

In Festo

SANCTI JANUARII

Episcopi & Martyris.

*Simplex.*

*De Comm. unius Martyris. Orat.* Fac nos. xj.

*Lectio j. & ij. de Script. occurrente, ex tribus duæ.*

LECTIO III.

*Sur. ad 23. Sept. Till. t. 5. Bar. ad ann. 305 Ruin. Act. select. Mart.*

JAnuárius Beneventi Epíscopus, sub Diocletiáno & Maximiáno, quòd christiánam religiónem palàm profiterétur, ad Timótheũ Campániæ præsidem, Nolam perdúcitur. Ibi, jussu Præsidis, in ardentem fornácem conjectus, illæsus evásit. Hinc ímperat Præses, Mártyrem dístrahi, quoad nervórum artuumque compáges solvantur. Festus intéreà ejus Diáconus & Desidérius Lector comprehensi, unà cum Epíscopo, ante rhedam Præsidis, Putéolas pertrahuntur, & in eumdem cárcerem in quo Sósius, Misénas, Próculus, Puteolánus Diáconus, Eútyches & Acútius láïci ad béstias damnáti detinebantur, simul conjiciuntur. Pósterâ die omnes in amphitheatro feris objecti sunt; quæ naturális oblítæ feritátis, ad Januárii pedes se prostravêre. Id Timótheus mágicis tríbuens cantiónibus, cùm senténtiam cápitis in Christi Mártyres pronuntiasset, óculis repentè captus, Januárii précibus lumen recépit. Quo miráculo hóminum ferè quinque míllia Christi fidem suscepérunt. Sed ingrátus judex tanti benefícii ímmemor, sanctũ Epíscopum cum sóciis, gládio pércuti jussit. Januárii corpus Neápolim

asportátum multis miráculis cláruit. Imprímis illud memorandum, quòd ejus sanguis qui in ampulla vitrea concrétus asservátur, cùm in conspectu cápitis pónitur mirábili modo colliquefíeri & ebullíre perinde atque effúsus, ad hæc usque témpora cérnitur.

DIE XX.

In Vigilia

S. MATTHÆI.

[ *In Fer. Quatuor Temporum nihil fit de hac Vigilia.* ]

*I. Lectio de Scriptura; ex tribus una.*

℟. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntiū; * Et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. *Is.* 52. 10. ℣. Sedéntibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. *Matth.* 4. 16. * Et.

Ex libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra hæreses.

LECTIO II. c. 1. *Sec.* 2.

NOn per álios dispositiónem salútis nostræ cognóvimus, quàm per eos, per quos Evangélium pervénit ad nos: quod quidem túnc præconavérunt, póstea verò per Dei voluntátem in Scriptúris nobis tradidérunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futúrum. Nec enim fas est dícere, quóniam antè prædicavérunt quàm perfectam habérent agnitiónem, sicut quidam audent dícere, gloriantes, emendatóres se esse Apostolórum. Pósteà enim quàm surrexit Dóminus noster à mórtuis, & indúti sunt superveniéntis Spíritûs sancti virtúte ex alto, de ómnibus adimpléti sunt, & habuérunt perfectam agnitiónem; exiérunt in fines terræ, ea quæ à Deo nobis bona sunt evangelizantes, & cœlestem pacem homínibus annuntiantes, qui quidem & omnes páriter, & sínguli eórum habentes Evangélium Dei. Ita Matthæus in Hebræis ipsórū linguâ scriptúram édidit Evangélii, cùm Petrus & Paulus Romæ evangelizárent, & fundárent ecclésiam. Post verò horum excessum Marcus discípulus & interpres Petri, & ipse quæ à Petro annuntiáta erant, per scripta nobis trádidit: Lucas autem sectátor Pauli, quod ab illo prædicabátur Evangélium in libro cóndidit. Pósteà & Joannes discípulus Dómini, qui & supra pectus ejus recumbébat, & ipse édidit Evangélium, Ephesi Asiæ cómmorans.

ddent mites in Dó-
lætítiam, * Et páu-
hómines in Sancto
exultábunt. *Is.* 29.
℣. Quicumque in-
erit nomen Dñi, sal-
it. *Act.* 2. 21. * Et.
o sancti Evangélii
cundùm Lucam.
io III. c. 5. v. 27.
*latthæi vocatio.*
illo témpore: Vidit
sus Publicánum, nó-
Levi, sedentem ad
ium, & ait illi: Sé-
me. Et réliqua.
ília sancti Ambrósii
Epíscopi.
*In Luc. lib.* 5.
Ystica hæc est vo-
cátio Publicáni quē
tus sequi jubet, non
oris gressu, sed mentis
tu. Itaque ille priùs
de mercédibus, du-
labóribus periculis-
autárum emolumen-
nquírens, verbo vo-
, própria derelíquit,
rapiébat aliéna: ac
llud sedíle destítuens,
post Dóminum ve-
mentis incédit: con-
quoque magni éxhi-
pparátum. Qui enim
icílio Christum réci-
nterno, máximis de-
tiónibus exuberán-
páscitur voluptátum.
ae Dóminus libenter
éditur; & in ejus qui
iderit, recumbit affe-
Sed rursùs accéndi-
tur invídia perfidórum, & futúræ pœnæ spécies figurátur. Epulántibus enim fidélibus, & in illo cœlórum recumbéntibus regno, perfidia jejúna torquébitur. Simul étiam osténditur quantum intersit inter æmulos legis & grátiæ: quòd illi qui legem sequuntur, jejúnæ mentis famem patiantur æternā; qui verò verbum in interióribus ánimæ recepérunt, alimenti cœlestis & fontis ubertáte recreáti, esuríre & sitíre non possunt.

℟. Audient in die illa surdi verba libri, * Et de ténebris & calígine † Oculi cœcórum vidébunt. *Is.* 29. 18. ℣. Appropinquávit regnum cœlórum. *Matth.* 10. *v.* 7. * Et de. ℣. Glória. † Oculi.

*Preces flexis genibus.*

*Oratio.*

Acceptum tibi sit, quæsumus, Dómine, jejúnium nostrum; & ad sancti Apóstoli tui & Evangelistæ Matthæi puriórcs fáciat nos veníre festivitátem; Per.

DIE XXI.

In Festo

S. MATTHÆI,

Apostoli & Evangelist.

*Duplex-majus.*

*De Communi Apostól.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Lectiones de Script. occur.*

*IN II. NOCTURNO.*

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus ecclesiásticis.

Lectio iv. c. 3.

Matthæus, qui & Levi, ex publicáno Apóstolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumcisióne crediderant, Evangeliū Christi Hebráicis litteris verbísque compósuit. Quod quis pósteà in Græcum transtúlerit, non satis certum est. Porrò ipsum Hebráicum habétur usque hódie in Cæsariensi bibliothéca, quam Pámphilus martyr studiosíssimè confécit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Berœa, urbe Syriæ, hoc volúmine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animadvertendum quòd ubicumque Evangelista, sive ex persóna sua, sive ex persóna Dómini Salvatóris, véteris Scriptúræ testimóniis abútitur, non sequátur Septuaginta translatórum auctoritátem; sed Hebráicam, è quibus illa duo sunt, Ex Ægypto vocávi Filiū meū; &, Quóniā Nazaræus vocábitur.

Ex libro sancti Epiphánii Epíscopi adversùs hæreses.

Lectio v. *Hæres.* 51.

Matthæus, primus Evangélium scríbere aggressus est, ei quippe inítio prædicandi Evangélii munus est commissum, idque méritò: oportébat enim ut ille qui ad salútem humáni géneris advénerat, quíque díxerat, Non veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam; ad exemplum eórum qui salvandi erant, ei hómini potíssimùm prædicandæ salútis munus injúngeret, qui à peccátis conversus & à telónio suscitátus fúerat: ut ab illo, quanta sibi esset adventu Christi benígnitas colláta, hómines díscerent. Nam post remissiónem peccatórum largítus est étiam ipsi suscitatiónem mortuórum, & mundatiónem lepræ, & virtútes sanatiónum, & fugatiónem dæmonum, ut non solùm verbo persuadéret auditóribus, sed facto étiā Evangélia pérditis homínibus prædicáret, quòd scílicet possent per pœniténtiā recuperári.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

*In Matth. Hom.* 1.

Lectio vi.

In véteri testaménto cùm Móyses ascendísset in montem, descéndit Deus: in novo verò, cùm nostra in cœlum esset eleváta natúra, Spíritus sanctus descéndit de cœ-

10. Non descendérunt Apóstoli de monte tábulas lapídeas afferentes in mánibus, sicut Móyses; sed sanctum Spíritum mente portantes, & thesaurum quemdam dógmatum donorumque gestantes. Sic innumerábiles pópulos attraxérunt, Deo per illórum linguam cunctis accedéntibus differente; à quo étiam Matthæus replétus Spíritu Evangéliũ conscripsit; Matthæus ille publicánus, non enim ab arte sua illum erubúerim nuncupáre, nec réliquos: hoc est enim quod máximè ostendit Spíritûs sancti grátiam, eorumque virtútem. Non abs re verò scriptiónem suam Evangélium vocávit: síquidem pœnárum sublatiónem, véniam peccatórum, sanctificatiónem, justítiam, redemptiónem, adoptiónem filiórum, cœlórum hæreditátem, & cum Dei Fílio fraternitátem, ómnibus nuntiávit.

*IN III. NOCTURNO.*

De libro Apocalypsis.

Lectio VII. c. 4. v. 6.

*Quatuor animalia.*

IN conspectu sedis tamquam mare vítreum símile crystallo: & in médio sedis, & in circúitu sedis, quátuor animália plena óculis antè & retrò. Et ánimal primum símile leóni, & secundum ánimal símile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volanti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas; & in circúitu, & intùs plena sunt óculis; & réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui est, & qui ventúrus est.

Lectio VIII. v. 9.

*Dant gloriam Deo.*

ET cùm darent illa animália glóriam, & honórem, & benedictiónem sedenti super thronum, viventi in sécula seculórum, procidébant vigintiquátuor senióres ante sedentem in throno, & adorábant viventem in sécula seculórum, & mittébant corónas suas ante thronum dicentes: Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, & honórem, & virtútem: quia tu creasti ómnia, & propter voluntátem tuam erant, & creáta sunt.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio IX. c. 9. v. 9.

*Matthæi vocatio.*

IN illo tempore: Vidit Jesus hóminem sedentem in telónio, Matthæũ

nómine; & ait illi: Séquere me. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*In Matth. Lib. 1.*

CÆteri Evangelistæ, propter verecúndiam & honórem Matthæi, noluérunt eum nómine appelláre vulgáto; sed dixérunt Levi: dúplici quippe vocábulo fuit. Ipse autem Matthæus, (secundùm illud quod à Salomóne præcípitur, Justus accusátor est suî in princípio sermónis: & in álio loco, Dic tu peccáta tua, ut justificéris;) Matthæum se & publicánum nóminat: ut ostendat legéntibus, nullum debére salútem desperáre, si ad melióra conversus sit: cùm ipse de Publicáno in Apóstolum sit repentè mutátus. Arguit in hoc loco Porphyrius, & Juliánus Augustus, vel imperítiam históríci mentientis, vel stultítiam eórum qui statim secúti sint Salvatórem, quasi irrationabíliter quēlibet vocantem hóminem sint secúti, cùm tantæ virtútes tantaque signa præcésserint, quæ Apóstolos ántequam créderent, vidisse non dúbium est. Certè fulgor ipse, & majestas divinitátis occultæ, quæ étiam in humána fácie relucébat, ex primo ad se videntes tráhere póterat aspectu.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 3. a. Relictis ómnibus, Levi secútus est Jesum; & fecit ei convívium magnum in domo sua. *Luc.* 5. 28. 29.

*Oratio.*

DEus, qui ineffábili misericórdiâ beátū Matthæum, ex Publicáno Apóstolum elígere dignátus es; da nobis, ejus exemplo & intercessióne, ut post te, relictis ómnibus, ambulantes, tibi fírmiter adhærére valeámus; Qui vivis.

*AD VESPER. fit commemor. SS. Mauritii & sociorum Mart. Ant.* Exultábitis. ℣. Custódit. xiij. *Orat.* Mártyris tui. xvij.

DIE XXII.

In Festo

SS. MAURITII

& Sociorum, Martyrū.

*Semiduplex.*

*De Comm. plurium Mart.*

*Orat.* Mártyris tui. xvij.

*Lectiones de Script. occur.*

Ex Epístola sancti Euchérii Lugdunensis ad Sylvium Epíscopum.

LECTIO IV.

ERat in exércitu Maximiáni légio mílitum qui Thebæi appellabantur. Hi in auxílium Maximiáno ab Oriéntis pártibus accíti vénerant, viri in rebus bel-

ténui ; & virtúte
, sed nobilióres fi-
gnito Maximiánus
órum responso, ob
ta impéria décimũ
ue ex eádem legió-
lio feríri jubet, quò
cæteri régiis præ-
térriti metu céde-
redintegratísque
tis, edícit ut reli-
persecutióne Chri-
um cogantur. Ubi
d Thebæos denun-
teráta pervénit, vo-
io passim in castris
ur, affirmántium
iam se ulli in hæc
acrílega ministéria
s: Christiánis se im-
Sacris, unum san-
initátis Deum có-
xtréma experíri sá-
e, quàm adversùm
iánam fidem vení-
s deinde compertis,
iánus ímperat ut
décimus eórum
detur: cæteri nihiló-
ad hæc quæ spérne-
compellantur.

ECTIO V.

Jibus jussis dénuò
n castris perlátis, se-
us atque percussus
i décimus sorte ob-
it. Réliqua verò se
m multitúdo mútuo
ne instigábat, ut in
ræcláro ópere per-
nt. Incitamentum
ium fidei penes san-
Maurítium fuit, pri-
micérium tunc legiónis:
qui cum Exupério cam-
pi ductóre & Cándido
senatóre mílitum, accen-
debat exhortando síngu-
los. His ítaque primóribus
suis atque autóribus ani-
máti, Maximiáno mandá-
ta mittunt, sicut pia, ita
& fórtia, in hunc modum:
Mílites sumus, Imperá-
tor, tui; sed tamen servi
Dei: tibi milítiam debé-
mus, illi innocéntiam: se-
qui Imperatórem in hoc
nequáquam póssumus, ut
autórem negémus, Deum
autórem nostrum, Deum
autórẽ, velis, nolis tuum.
Cùm hæc tália Maximiá-
nus audisset, unâ senten-
tiâ intérfici omnes decré-
vit. Cædebantur ítaque
passim gládiis, non recla-
mantes aut repugnantes,
sed depósitis armis cerví-
ces persecutóribus præ-
bentes. Victor autẽ Mar-
tyr eméritæ milítiæ vete-
ránus, cùm incidisset in
hos qui epulabantur læti
Mártyrum spóliis, ad con-
vescendum invitátus, de-
testátus est convívas &
convívium; requiréntibus
autem num & ipse Chri-
stiánus esset, Christiánum
se respondit, ac statim ab
irruéntibus interfectus
est; cæterísque Martyri-
bus in eódem loco sicut
& morte, ita honóre con-
junctus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO VI. c. 21. v. 9.

*Persecutiones prædictæ.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cùm audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri: oportet primùm hæc fieri; sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*Homil. 35. in Evang.*

DOminus ac Redemptor noster peritúri mundi præcurréntia mala denúntiat, ut eò minùs perturbent veniéntia, quò fúerint præscíta. Minùs enim jácula fériunt quæ prævidentur: & nos tolerabíliùs mundi mala suscípimus, si contra hæc per præsciéntiæ clypeum munímur. Ecce enim dicit: Cùm audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri. Pensanda sunt verba Redemptóris nostri, per quæ nos áliud intériùs, áliud extériùs passúros esse denúntiat. Bella quippe ad hostes pértinent, seditiónes ad cives. Ut ergo nos índicet intériùs exteriúsque turbári, áliud nos fatétur ab hóstibus, áliud à frátribus pérpeti.

AD LAUDES.

*Capitul.* 2. Mach. 7. 5. 6.

INvicem se hortabantur mori fórtiter, dicentes; Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis.

AD VESPERAS.

*A Capitulo de S. Thecla, Virgine & Martyre, ut in Communi.* xlvj. *Deinde commemor. SS. Mauritii & socior. Ant.* Hi sunt. ℣. Oculi. xviij. *Oratio.* Mártyris. xvij.

*Postea commemoratio S. Lini Papæ & Martyris. Ant.* Pro certo. ℣. Justus. vij. *Oratio.* Omnípotens. *p.* xj.

DIE XXIII.

In Festo

SANCTÆ THECLÆ, Virginis & Martyris.

*Semiduplex.*

*De Communi Virginum præter Lectiones. Oratio.* Deus qui inter. lj.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus.

LECTIO IV. l. 2. c. 3.

THecla cópulam fúgiens nuptiálem, & sponsi furóre damnáta, natúram étiam bestiárum virginitátis veneratióne mutávit. Namque paráta ad feras, cùm aspectus quoque declináret virórum, ac vitália ipsa sævo offerret leóni, fecit ut qui impudícos detúlerant óculos, pudícos referrent. Cérnere erat lingentem pedes béstiam cubitáre

humi, muto testificantem sono quòd sacrum vírginis corpus violáre non posset. Ergo adorábat prædam suam béstia; & própriæ oblíta natúræ, natúram indúerat quam hómines amíserant. Vidéres, quâdam natúræ transfusióne, hómines feritátem indútos, sævítiam imperáre béstiæ; béstiam exosculantem pedes vírginis, docére quid hómines debérent. Tantum habet virgínitas admiratiónis, ut eam étiam leónes mirentur. Non, impastos, cibus flexit; non, citátos, ímpetus rápuit; non, stimulátos, ira exaspcrávit; non usus decépit assuétos; non, feros, natúra possédit. Docuérunt religiónem, dum adórant mártyrem. Docuérunt étiam castitátem, dum vírgini nihil áliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram óculis tamquam verecundántibus, ne mas áliquis vel béstia vírginem nudam vidéret.

Ex sermóne sancti Gregórii Nysséni in Cántica.

*Homil.* 14. *in Cant.*

LECTIO V.

MYrrham olim Paulus effundébat ex ore suo mixtam cum puro pudicítiæ lílio, in sanctæ vírginis aures. Illa autem virgo erat Thecla, quæ præclárè ánimo suo defluéntibus de lílio guttis intra se receptis, hóminem externum morte ópprimit, omní cogitatióne & cupiditáte carnáli extínctâ. Cujus post perceptam illam bonam doctrínam, & juventus extincta erat, & externa venustas extíncta, & extíncta ómnia córporis sénsuum órgana, solo sermóne in ipsa vivente, per quem totus ei mundus mórtuus erat, & virgo ipsa mundo erat mórtua.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 22. v. 23.

*In resurrectione neque nubent, neque nubentur.*

IN illo die accessérunt ad Jesum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectiónem; & interrogavérunt eum. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib.* 1. *de Virginibus, c.* 7.

QUòd nuptúræ præ cæteris concupiscunt, ut sponsi decóre se jactent, eò necesse est ímpares sacris se fateantur esse virgínibus, quibus solis contingit dícere: Speciósus formâ præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis. Quis est iste sponsus? Non vílibus addíctus obséquiis, non

cadúcis superbus divítiis; sed cujus sedes in sæculū sǽculi. Fíliæ regum in honóre ejus. Astitit regína à dextris tuis, in vestítu deauráto, varietáte circūamícta virtútū. Audi ígitur, fília, & vide, & inclína aurem tuam, & oblivíscere pópulum tuum & domum patris tui: quóniam concupívit Rex spéciem tuam, quia ipse est Deus tuus.

*Pro sancto Lino.*

Ex libro sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris adversùs hæreses.

*Lib. 3. cap. 3.*

LECTIO VII.

MAxima & antiquíssima, & ómnibus cógnita à gloriosíssimis duóbus Apóstolis, Petro & Paulo, Romæ fundáta & constitúta Ecclésia, eam habet ab Apóstolis Traditiónem, & annuntiátam homínibus fidem per successiónem Episcopórum perveniente usque ad nos, quam vindicantes confúndimus omnes eos qui quoquómodò vel per suî placéntiam malā, vel vanam glóriam, vel per cæcitátem & malam senténtiam, præterquàm oportet, cólligunt. Ad hanc enim Ecclésiam propter potentiórem principalitátem necesse est omnem convenire Ecclésiam; hoc est, eos, qui sunt, úndique fidéles; in qua semper ab his qui sunt úndique, conserváta est ea, quæ est ab Apóstolis, Tradítio. Fundantes ígitur & instruentes Apóstoli Ecclésiam, Lino Episcopátum administrandæ Ecclésiæ tradidérunt. Hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timótheum Epístolis méminit. Succédit autem ei Anaclétus.

*AD LAUDES, Commemoratio S. Lini Papæ & Martyris. Ant.* Vitâ. ℣. Justus. x. *Orat.* Omnípotens. xj.

DIE XXV.

In Festo

SANCTI FIRMINI

Epíscopi & Martyris.

*Simplex.*

*De Communi unius Martyr. Oratio.* Fac nos. *p.* xj.

*Lectio prima & secunda de Scriptura occurrente, ex tribus duæ.*

LECTIO III.

*Ex actis apud Bosg. lib. 5. Histor. Eccles. Gall. & le Cointe. tom. 4.*

FIrmínus Pompelonensis à beáto Honesto sancti Saturníni Epíscopi Tolosáni discípulo baptizátus, & à sancto Honoráto Saturníni successóre Epíscopus ordinátus, primùm Aginnénsibus, deinde Arver-

nis, tum Andégavis, ac demùm Bellóvacis Evangélium prædicávit. Inde Ambiános venit; ubi post vária tormenta, cápite truncátus est in persecutióne Diocletiáni, Rictio Varo Præside. Elapsis quátuor ferè séculis sanctus Sálvius ejusdem civitátis Epíscopus, reveláto sibi divinitùs Mártyris sepulchro, eductum inde corpus in urbē cum hymnis & cánticis, solemníque pópuli concursu vestimenta sua substernentis tránstulit; atque in crypta Basílicæ, quam ipse cónstrui curáverat, honorificè cóndidit; sepulchrumque auro & gemmis ornávit.

DIE XXVII.

In Festo

SS. Mart. COSMÆ ET DAMIANI.

*Semiduplex.*

*De Commun. plurium Martyrum.*

*Oratio infrà ad Laudes.*

LECTIO IV.

*E lib. 1. hist. Gregorii Turon. cap. 98. & aliis.*

Cosmas & Damiánus fratres Arabes, arte médici, mártyres celebérrimi antiquíssimo ritu coluntur tam in Occidentáli quàm in Orientáli Ecclésia. In urbe Cyro, in quam primùm eórum córpora creduntur fuisse transláta, sub eórum nómine erectam fuisse Basílicam, testis est século quinto Theodorétus, ejusdem urbis Epíscopus. Hanc urbem Justiniánus Imperátor, teste Procópio auxit, munívit & decorávit, in memóriam recuperátæ divínitùs sanctórū Mártyrum beneficio valetúdinis. Idem Imperátor Constantinópoli Basílicam sub eórum nómine & quidem magnificentíssimam construxit, destructâ véteri, quæ jam à tempóribus Theodósii junióris fúerat sub eórum invocatióne Deo dicáta. Hæc jam pridem erat clara miráculis; quorum, ut refert Marcellínus comes, auxit famam & celebritátem sánitas sanctórum Mártyrum ope restitúta Laurentio Epíscopo Lychnidis.

LECTIO V.

In séptima Synodo œcuménica referuntur mirácula quædam sanctórum Cosmæ & Damiáni patrocínio à Deo impetráta; traditurque coli solére depictas in Basílicis & privátis in ædibus horum Mártyrum imágines, eorumque ope salútem ægris étiam desperátis plerumque fuisse restitútam. Romæ autem eórum cultum non minùs solemnem fuisse testátur non solùm di-

cáta Deo sub illórum nómine in foro Románo à sancto Felíce sancti Gregórii magni átavo Ecclésia; sed étiam insertum jam ántea Cánoni Missæ sanctórum Mártyrum nomen. Horum relíquias Joannes de Bellomonte Eques, dum ab expeditióne sacra, témpore Alexandri Papæ tértii, reverterétur, asportávit in Gállias, & apud Lusarcam in Basílica sancti Æterni Ebroïcensis Epíscopi sub custódia Canonicórum depósuit, præter portiúnculam quâ Ecclésiam Parisiensem donávit.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio VI. c. 6. v. 17.

*Christus omnes sanans.*

IN illo témpore; Descendens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

*In Matthæum* 14.

QUando novum áliquid fit & inopinátum, ac polítiæ cujusdam introdúctio, signa Deus fácere consuévit, præstans quædam pignora suæ poténtiæ his qui legem ejus acceptúri sunt. Sic cùm hóminem factúrus esset, priùs mundum creávit, ac tum demum facto hómini legem in paradíso dedit. Judæis cùm esset legem datúrus, priùs mirabília illa & prodígia magna osténdit. Ita hìc quoque cùm sublímem quamdam vivendi introductúrus esset disciplínam, autoritátem mandátis suis præstrúxit claritáte signórum. Quia enim æternum regnum quod prædicábat, non apparébat; ex his quæ videntur, étiam illud quod nondum apparébat, facit manifestum. Consídera verò quemádmodū Evangelista non síngulos nobis eórum qui curabantur enúmeret, sed nubes quasdam signórum grandi quâdam verbŏrum parcitáte transcurrat. Sequámur étiam Christum nos: vários síquidem languóres habémus animárum: & hi sunt, quibus principáliter vult medéri: proptérea enim étiam illas ægritúdines sanat, ut istas de nostris animábus expellat.

*Oratio.*

MAgníficet te, Dómine, sanctórum tuórum Cosmæ & Damiáni veneranda solémnitas; quâ & illis glóriam sempiternam & opem nobis ineffábili providéntiâ contulisti; Per Dóminum nostrum.

VESPERAS.
commemor. sancti
rii Episcopi. Ant.
t. ℣. Beátus. p. xix.
o. Dírige. p. xxij.
)IE XXVIII.
In Festo
EXUPERII
Episcopi.
Simplex.
Communi unius Pon-
. p. xxij.
o. Dírige oves tuas.

tio j. & ij. de Scrip-
occurrente, ex tribus

píſtola sancti Hieró-
mi Presbyteri ad
Rústicum.
LECTIO III.
pist. 95. aliàs 4.
nctus Exupérius,
Tolósæ Epíscopus, ví-
luæ Sareptensis imi-
, esúriens pascit á-
& ore pallente jejú-
fame torquétur alié-
omnemque substán-
Christi viscéribus e-
rit. Nihil illo dítius,
orpus Dómini cani-
vimíneo, sánguinem
ut in vitro: qui ava-
n ejécit è templo: qui
ne funículo & incre-
ine, cáthedras ven-
ium columbas, id
dona sancti Spíritûs,
sasque subvertit mã-
æ, & nummulariórum
dispersit: ut domus
domus vocétur ora-
tiónis, & non latrónum spelunca. Hujus è vicíno sectáre vestígia, & cæterórum qui virtútum illíus símiles sunt, quos sacerdótium & humilióres facit & páuperes.

DIE XXIX.
In Festo
S. MICHAELIS
ARCHANGELI,
& omnium Angelorum.
Duplex-majus.
Psalmi de Feria.
IN I. VESPERIS.
Antiphonæ ut infrà ad Laudes.

Capitulum. Dan. 10. 21.

ANnuntiábo tibi quod expressum est in Scriptúra veritátis: & nemo est adjútor meus in ómnibus his, nisi Míchaël princeps vester.

℟. Erat númerus Angelórum míllia míllium dicéntium: * Sedenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, † Et potestas in sécula seculórum. Apoc. 5. 11. 13. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, & décies millies centéna míllia assistébant ei. Dan. 7. 10. * Sedenti. ℣. Glória. † Et potestas.

Hymnus. S. V.

CHRISTE, qui sedes Olympo,
Par Deo Patri Deus,
Quem tremiscunt intuendo

Purióres spíritus,
Da, choris junctos supernis
Ore puro psállere.
Quotquot astant sempiternum
Qui tribúnal ámbiunt,
Hi tot ardent imperantis
Ferre jussa præpetes;
Ire terris, & redíre,
Sacra per commércia.
Inter omnes fulguránti
Ense victor émicat,
Qui dracónis insolentem
Cóntudit feróciam:
De polo trusit rebellem
In profunda tártara.
Dum superbum sternis hostem,
Intonas: Quis ut Deus?
Obstináta turba præceps
Clade communi ruit:
Te triumphantem corónat,
Qui tibi dat víncere.
Tu decóre vincis omnes,
Alitûm pulchérrime;
Assides Deo propinquus,
Cónsilî tu párticeps;
Astra claudis & reclúdis,
Nosque sistis júdici.
Te tremendo poscat æger
Mortis in luctámine,
Advolantis efficácem
Sentiet præséntiam:
Córporis vinclis solútum
Mox ad astra tránsferes.
Sit supréma laus Parenti
Qui creávit ómnia,
Filióque, qui redémit
Morte nos volens suâ;
Flaminíque, cujus almo
Recreámur hálitu.
Amen.

℣. Qui sedes super Chérubim, osténde fáciem tuam; ℟. Et salvi érimus. *Ps.* 79. 2. 4.

*Ad Magníficat, Ant.* 7. *d.* Consurget Míchaël princeps magnus, & in témpore illo salvábitur pópulus omnis qui inventus fúerit scriptus in libro. *Dan.* 12. 1.

*Oratio infrà ad Laudes.*

AD OFFIC. NOCT.

*Invit.* Deum cui ministrant Angeli, * Veníte, adorémus. *Matt.* 4. 11.

*Psal.* Veníte.

*Hymnus.* Christe, qui sedes. *ut suprà.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. a. Benedícite, Angeli Dómini, Dómino, laudáte & superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3. 58.

*Ant.* 4. a. Benedícite, omnes Virtútes Dómini, Dómino. *Dan.* 3. 6.

*Ant.* 5. a. Servi vestri sumus; fœdus iníte nobiscum. *Jos.* 9. 11.

℣. Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, ℟.

℟. Potentes virtúte, faciéntes verbum illíus. *Ps.* 102. 2.

*Lectiones de Scripturâ occurrente.*

*Post j. Lect.* ℟. Dómine exercítuum, Deus Israël, * Qui sedes super Chérubim, tu es Deus solus ómnium regnórum terræ: † Tu fecisti cœlum & terram. *Isai.* 37. 16. ℣. Tu creasti ómnia, & propter voluntátem tuam erant & creáta sunt. * Qui. *Apoc.* 4. 11.

*Post ij. Lect.* ℟. Factum est prælium magnum in cœlo, Míchaël & ángeli ejus præliabantur cum dracóne; * Et projectus est draco ille magnus, & ángeli ejus cum illo. *Apoc.* 12. *v.* 7. 9. ℣. Quómodo cecidisti de cœlo, Lúcifer? corruisti in terram, ad inférnum detráheris in profundum laci. *Isai.* 14. 12. 15. * Et projectus est draco.

*Post iij. Lect.* ℟. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * In conspectu angelórum psallam tibi. *Ps.* 137. *v.* 1. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam & honórem. *Apoc.* 4. *v.* 11. * In conspectu. ℣. Glória. * In.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Ecce Míchaël unus de princípibus primis, venit in adjutórium. *Dan.* 10. 13.

*Ant.* 2. c. Missus est ángelus Gábriël à Deo ad Vírginem, & nomen vírginis María. *Luc.* 1. 26.

*Ant.* 3. D. Missus est ángelus Dómini sanctus Ráphaël, ut curáret eos. *Tob.* 3. 25.

℣. Benedícite Dómino, omnes Virtútes ejus, ℟. Minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. *Ps.* 102. *v.* 21.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

*Homil.* 34. *in Ev. n.* 17.

LECTIO IV.

NOvem Angelórum órdines esse, testante sacro elóquio, scimus: Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim atque Séraphim. Esse namque Angelos & Archángelos penè omnes sacri elóquii páginæ testantur. Chérubim verò atque Séraphim sæpè, ut notũ est, libri Prophetárũ loquuntur. Quátuor quoque órdinũ nómina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens: Supra omnem Principátum, & Potestátem, & Virtútem, & Dominatiónem. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: Sive Throni, sive Dominatiónes, sive Princi-

pátus, sive Potestátes. Dum ergo illis quátuor quæ ad Ephésios dixit, conjunguntur Throni, quinque sunt órdines: quibus dum Angeli & Archángeli, Chérubim atque Séraphim adjuncta sunt, procul dúbio novem esse Angelórum órdines inveniuntur.

℟. IV. Machabæus & qui cum eo erant, * Cum lácrymis rogábant Dóminum ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israël; appáruit præcédens eos eques veste cándidâ. 2. *Mac.* 11. 6. 8. ℣. Oculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eórum. 1. *Petr.* 3. 12. *Cum.

Lectio V. n. 8. & 9.

Sciendum quoque, quòd Angelórum vocábulum nomen est offícii, non natúræ. Nam sancti illi cœlestis pátriæ spíritus, semper quidem sunt spíritus, sed semper vocári Angeli nequáquã possunt; quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos áliqua nuntiantur; unde & per Psalmistam dícitur: Qui facit Angelos suos, spíritus, Ac si patenter dicat: Qui eos, quos semper habet spíritus, étiam cùm volúerit, Angelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, Angeli; qui verò summa annúntiant, Archángeli vocantur. Hinc est enim quòd ad Maríam vírginẽ non quílibet Angelus, sed Gábriel Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium, summum Angelum veníre dignum fúerat, qui summum ómnium nuntiábat. Qui idcirco étiam privátis nomínibus censentur, ut signétur per vocábula étiam in operatióne quid váleant. Míchael namque, Quis ut Deus? Gábriel autem, Fortitúdo Dei: Ráphael verò dícitur, Medicína Dei.

℟. V. Nunc, Dominátor cœlórum, * Mitte Angelum tuum bonum ante nos in timóre & tremóre magnitúdinis bráchii tui. 2. *Mac.* 15. 23. ℣. Dómine, salva nos, perímus, *Matt.* 8. 25. * Mitte.

Lectio VI. n. 9.

Et quóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchael mitti perhibétur; ut ex ipso actu & nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere quod fácere prævalet Deus. Unde & ille antíquus hostis, qui Deo esse per supérbiã símilis concupívit, dicens: In cœlum conscendam, super astra cœli exaltábo sólium meum, símilis ero Altíssimo; dum in fine mundi in sua vir-

iste relinquétur extrémo supplício perimendus, cum Michàéle Archángelo præliatúrus esse perhibétur; sicut per Joannem dícitur, Factum est prælium cum Michaéle Archángelo. Ad Maríam quoque Gábriel míttitur, qui Dei Fortitúdo nominátur. Illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellandas aéreas potestátes húmilis apparére dignátus est. Ráphael quoque intérpretátur, ut díximus, Medicína Dei: quia vidélicet dum Tobíæ óculos quasi per officium curatiónis tétigit, cæcitátis ejus ténebras tersit.

℟. VI. Viginti quátuor senióres, qui in conspectu Deí sedent in sédibus suis, cecidérunt in fácies suas, dicentes: * Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens. *Apoc.* 11. 16. 17. ℣. Benedictus es, Dómine, qui intuéris abyssos & sedes super Chérubim. *Dan.* 3. 35. * Grátias. ℣. Glória. * Grátias ágimus.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. ç. Angeli cólligent de regno Deí ómnia scándala, & eos qui fáciunt iniquitátem. *Matt.* 13. 41.

*Ant.* 6. F. Mittet Fílius hóminis Angelos suos cum tuba & voce magna: & congregábunt electos ejus à quátuor ventis. *Matth.* 24. 31.

*Ant.* 8. G. Ipse Dóminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei descendet de cœlo. 1. *Thess.* 4. 15.

℣. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, ℟. Et erípiet eos. *Ps.* 33. 8.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

LECTIO VII. c. 1. v. 16.

*Christus supra Angelos exaltatus.*

NOn cesso grátias agens pro vobis memóriam vestrî fáciens in oratiónibus meis: ut Deus, Dñi nostri Jesu Christi Pater glóriæ, det vobis Spíritum sapiéntiæ & revelatiónis in agnitióne ejus; illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hereditátis ejus in sanctis, & quæ sit superéminens magnitúdo virtútis ejus in nos, qui crédimus secundùm operatiónem poténtiæ virtútis ejus; quam operátus est in Christo, súscitans illum à mórtuis, & constítuens ad déxteram suam in cœléstibus, supra omnem Principátũ, & Potestátem, & Virtútẽ, & Dominatiónem, & omne nomen, quod nominátur non solùm in hoc sæ-

culo, sed étiam in futúro. Et ómnia subjécit sub pédibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclésiam.

℟. VII. Relíquit Jesum diábolus, * Et ecce Angeli accessérunt, & ministrábant ei. *Matt.* 4. 11. ℣. Adoráte eum, omnes Angeli ejus. *Ps.* 96. *v.* 7. Et ecce.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

LECTIO VIII. c. 1. v. 14.

*Angeli in Christo creati.*

HAbémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum: qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ; quóniam in ipso cóndita sunt univérsa in cœlis & in terra, visibília & invisibília, sive Throni, sive Dominatiónes, sive Principátus, sive Potestátes: ómnia per ipsum, & in ipso creáta sunt; & ipse est ante omnes, & ómnia in ipso constant.

℟. VIII. Angelus Dómini descendit cum Azária & sóciis ejus in fornácem, * Et excussit flammam de fornáce, & non tétigit eos omninò ignis. *Dan.* 3. 49. 50. ℣. Misit Dóminus Angelum suum. *Act.* 12. 11. * Et excussit flammam.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 18. 1.

*Angeli faciem Patris vident.*

IN illa hora accessérunt discípuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

*In Matth. c.* 18.

VIdéte ne contemnátis unũ de pusillis istis, qui credunt in me. Arctíssimum vínculum mútui amóris impósuit ad eos præcípuè qui verè in Dómino credidissent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident: quia Filius hóminis venit salváre quæ pérdita sunt. Ergo & Fílius hóminis salvat; & Deum Angeli vident; & Angeli pusillórum sunt. Fidéliũ oratiónibus præesse Angelos absolúta auctóritas est. Salvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deo ófferunt. Ergo periculósè ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad æternum & invisíbilem Deum ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehuntur. Atque ut ingentem esse in cœlis lætítiam réditu humánæ salútis osténderet; comparatiónis pósuit e-

um, ejus qui oves
ntanovem in món-
eliquisset & erran-
am requisisset: quâ
ì plus gáudii sit
habebátur in nona-
t novem conserva-
etítiæ.
r. Tu ipse, Dómi-
lus, * Tu fecisti
, & cœlum cœló-
omnem exércitum
, & tu vivíficas óm-
c: † Et exércitus
adórat. 2. Esd. 9.
Quis non timébit
mine, & magnifi-
omen tuum? Apoc.
Tu fecisti. ℣. Gló-
Et exércitus.
Deum.

LAUDES.

acerdotal. Dómine
eus, magnificátus
menter; ℟. Qui fa-
gelos tuos spíritus.
. 4.
Enedíctus es qui
intuéris abyssos
super Chérubim.
. 55.
7. d. Thronus ejus
ignis: míllia míl-
ministrábant ei.
9. 10.
5. a. De throno
bant fúlgura, &
tonítrua; & sep-
mpades ardentes
ronum, qui sunt
spíritus Dei. Apoc.

3. 2. Benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino: laudáte & superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3. 65.

*Ant.* 2. D. Omnes Angeli cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, & adoravérunt Deum. *Apoc.* 7. 11.

*Capitulum.* Apoc. 15. 11.

FActæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes: Factum est regnum hujus mundi, Dómini nostri & Christi ejus, & regnábit in sécula seculórum: Amen.

*Hymnus.* S. V.

MIlle, quem stipant sólio sedentem
Córporis puræ sine mole mentes,
Christe, quos fuso tibi consecrasti
Sánguine, serva.

Quas tenent celsas super astra sedes
Angeli, nobis quoque præparasti;
Ut viam monstrent, sócios fidéles
Próvidus addis.

Qui Dei nunquam violanda jura
Víndicat sacris metuendus armis,
Justa vertendos Míchael in hostes,
Arma ministret.

Nuntius felix melióris ævi,
Fausta qui mundo, Gábriel, tulisti,

Creber è cœlo vénias, amíca
Núntia portans.
Corporis morbos, tenebrásque mentis
Pelle, divínas médicus per artes,
Qui seni cæco, Ráphael, dedisti,
Cérnere Solem.
Gratias Regi Súperûm canámus,
Fonte de cujus bona cuncta manant;
Quem fides veri studiósa Trinum,
Credit & Unum.
Amen.
℣. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, ℟. Omnia subjecisti sub pédibus ejus. *Ps.* 8. 6. 8.
*Ad* Benedictus, *Ant.* 3.E. Christus est in déxtera Dei, subjectis sibi Angelis, & Potestátibus, & Virtútibus. 1. *Petr.* 3. *v.* 22.

*Oratio.*

Deus, qui miro órdine, Angelórum ministéria hominumque dispensas; concéde propítius, ut à quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur; Per Dóminum nostrum Jesum.

AD PRIMAM.

*Ant.* 8.G. Benedictus es.

AD TERTIAM.

*Ant.* 7.d. Thronus.
*Capitulum.* Heb. 12. 22. 24.
Accessistis ad Sion montem & civitátem Dei viventis, Jerúsalem cœlestem, & multórum míllium Angelórum frequéntiam, & Ecclésiam primitivórum, qui conscripti sunt in cœlis, & júdicem ómnium Deum & spíritus justórum perfectórum, & testamenti novi mediatórem Jesum.
℟. *br.* Laudáte Dóminum * In cymbalis jubilatiónis. *Repet.* Laudáte. ℣. Omnis spíritus laudet Dóminum. * In. ℣. Glória. *Repet.* Laudáte. *Psal.* 150. 5. 6.
℣. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus, ℟. In omni loco dominatiónis ejus. *Ps.* 102. 22.

AD SEXTAM.

*Ant.* 5.a. De throno.
*Capitulum.* Apoc. 22. 8. 9.
Cecidi ut adorárem ante pedes Angeli qui mihi hæc ostendébat; & dixit mihi: Vide ne féceris; conservus enim tuus sum, & fratrum tuórum Prophetárum, & eórum qui servant verba prophetíæ libri hujus: Deum adóra.
℟. *br.* Intende voci oratiónis meæ, *Rex meus & Deus meus. *Repet.* Intende. ℣. Quóniam ad te orábo. * Rex. ℣. Glória. *Repet.* Intende.

.dorábo ad templū
n tuum, ℟. In ti-
io. Ps. 5. 3. 8.
› NONAM.
D. Omnes Angeli.
um. Hebr. 1. 6. 7.
n introdúcit Pri-
ɔgénitum in orbem
dicit : Et adórent
nes Angeli Dei.
Angelos quidem
Qui facit Angelos
ritus ; & minístros
mmam ignis.
. Laudáte Dómi-
Omnes Angeli e-
ıer. Laudáte. ℣.
: eum, omnes
s ejus, * Omnes.
ia. Reper. Laudáte
um.
Hymnus ómnibus
ejus, ℟. Fíliis
pópulo appropin-
ibi. Ps. 148. v. 2.

I. VESPERAS.
ıonæ de Laudibus.
um. 2. Theff. 1.
itia vobis, & pax
Deo Patre nostro,
ino Jesu Christo ;
habeámini in re-
i, & revelatióne
Jesu de cœlo,
gelis virtútis ejus.
mr. Christe, ut in
is. p. 503.
i sedes super Ché-
manifestáre ; ℟.
Ephraïm, Bénja-
Manasse. Ps. 79.

*Ad Magníficat, Ant.* 1. D. Poténtiam virtútis operátus est Deus in Christo, illum constítuens ad déxteram suam, supra omnem Principátum, & Potestátem, & Virtútem, & Dominatiónem. *Ephes.* 1. 19. 21.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

*Fit commem. S. Hieronymi, Presbyt. & Doct. Ant.* Ipse. ℣. Beátus. *p.* xxv. *Oratio.* Deus, qui. *infrà.*

DIE XXX.

S. HIERONYMI,
Presbyteri & Ecclesiæ
Doctoris.

*Duplex-minus.*

*De Communi unius Doctoris.*

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

LECTIO IV.

*Ex operibus S. Hieronymi.*

HIerónymus Eusébii fílius Stridóne natus, puer à Donáto célebri grammático liberálibus disciplínis Romæ est institútus. Suscepto baptismo, ad sacras lítteras ánimum adjíciens, Gállias studiórum causâ peragrávit. Deinde in Chálcidis Syriæ solitúdinem se recépit : ibíque Judæo præceptóre usus, linguam Hebraïcam dídicit. Exacto in eo secessu quadriénnio, vexátus ab ínvidis,

& hæréseos accusátus, Antiochíam pétiit, ubi à Paulíno eâ conditióne se Presbyterum ordinári passus est, ut, quam amplexus fúerat, solitáriam vitam non desereret.

LECTIO V.

ROmam profectum Dámasus Papa retínuit, ut eo uterétur in conscribendis epístolis. Post óbitum Dámasi Béthleem se recépit, ubi in extructo à Paula monastério majórem vitæ partem exégit. Sacros códices commentáriis illustrávit, & quò cértiùs genuínum eórum sensum assequerétur, síngula Palestínæ loca sédulò invísit, adhíbitis Judæórum eruditíssimis. Novo testamento Græcæ fídei réddito, vetus juxta Hebráïcam tránstulit. Insuper Psaltérium, quo deinceps Ecclésia Latína usa est, correxit. Vários hæréticos scriptis ácriter insectátus est. In extréma senectúte febre correptus, ad Dóminum migrávit, Honório & Theodósio junióre imperántibus. Corpus ejus apud Béthleem vicum sepultum est.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 5. v. 13.

*Doctores sal terræ.*

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis; Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo salliétur? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*Comment. in cap. 2. Aggei.*

COnsídera sacerdótii esse officii, de lege interroganti respondére. Si Sacerdos est, sciat legem Dómini: si ignórat legem; ipse se árguit non esse Dómini Sacerdótem. Sacerdótis enim est scire legem, & ad interrogatiónem respondére de lege. Quod quidem & in Deuteronómio légimus: ut sícubi in úrbibus Israël quæstio fúerit exorta inter sánguinem & sánguinem, inter judícium & judíciū, lepram & lepram, contradictiónem & contradictiónem, eant ad Sacerdótes atque Levítas, & ad Pontíficem, qui in diebus illis fúerit constitútus; & quærant ab eo legem Dómini: quibus respondéntibus fáciant quod jubentur. Quod si non fécerint, exterminentur de pópulo. Et ne fórsitan in véteri solùm Testamento hæc præcepta videantur, lóquitur & Apóstolus ad Timótheum, Epíscopum non solùm irreprehensíbilem esse debére, sed étiam doctórem. Hæc pósui, ut tam ex véteri, quàm ex novo Testamento, Sacerdótum

fficium novérimus, legem Dei, & resere ad quæ fúerint ogáti: nec simplici- & cibórum contiam in magistro suffínisi quod ipse facit, & álios erudíre.

) LAUDES.

*ulum.* Eccli. Prolog. Edit se ad diligéntiam lectiónis Legis, ophetárum, & alióibrórum, qui nobis éntibus tráditi sunt: t & ipse scríbere álihorum quæ ad docn & sapiéntiam pért.

*Oratio.*

DEus, qui Ecclésiæ tuæ in exponendis sacris Scriptúris beátum Hierónymum doctórem máximum providére dignátus es: præsta, quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, quod ore simul & ópere dócuit, te adjuvante, exercére valeámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

AD VESPERAS.

*Fit commemor. sancti Remigii Episc. Ant.* Elégit. ℣. Beátus. xix. *Orat.* Deus, qui. *infrà.*

---

# FESTA OCTOBRIS.

DIE I.

In Festo CTI REMIGII, Episcopi.

*Semi-duplex.*

*Communi unius Pon*r, xviij. *Orat.* Deus, *nfrà.*

LECTIO IV.

Emígius Laudúni natus est parentibus Æmílio & san- Celíniâ jam ætáte ctis. Ejus ortum præat solitárius quidam s, Montánus nómiqui & visum póstea it, admóto ad óculcte, quo infans Remígius alebátur. Annos natus duos & viginti, ob seníles in adolescéntia mores ad Episcopátum Remensem præter voluntátem raptus est. Cùm autem Clodovéus Alamannos, Tolbíaci, invocáto Christi nómine, debellasset, & instanti Remígio, ut fidem profiterétur, respondisset veréri se ut per pópulum sibi licéret; ubi id rescívit pópulus, statim reclamávit: Mortáles deos abígimus, pie rex, & Deũ quem Remígius prædicat immortálem, sequi paráti sumus, Tum Remígius

Clodovéum, quem fidei documentis imbúerat, baptizávit ipso die Natális Dómini, his eum verbis allocútus: Mitis depóne colla, Sicamber: adóra quod incendisti, incende quod adorasti. Baptizátum sacro inunxit Chrísmate cum signáculo crucis Christi.

LECTIO V.

De exércitu autem ejus ter mille & ámpliùs baptísmo initiáti sunt, simul & Albofledis soror Clodovéi; quæ cùm paulò pòst decessisset, Remígius per lítteras regem est consolátus. Lanthildis quoque áltera ejus soror ab Ariána hæresi revocáta, sacro Chrísmate reconciliáta est Ecclésiæ. Clodovéum Gothis bellum parantem, utilíssimis regno administrando consíliis per lítteras instruxit, eidemque auctor fuit ut Concílium Aurelianense indíceret. Cleméntiâ in pœnitentes erat singulári; neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Novos Episcopátus instítuit; Teruannæ, ubi sanctum Antimundum; Atrébatis, ubi sanctum Vedastum; Laudúni, ubi sanctum Genebaldum præfécit. Sub finem vitæ oculórum usu orbátus est, quem tamen paulò ante mortem recuperávit. Sénio tandem conféctus, óbiit die décimâ tértiâ Januárii. Inter ália quæ édidit mirácula, mórtuum suscitávit, ut refert liber de ejus vita à Gregório Turonensi laudátus, qui & méminit festivitátis ejus quæ jam suo témpore inítio mensis Octóbris celebrabátur.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 24. v. 42.

*Omni horâ vigilandum.*

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Athanásii Epíscopi.

*Contra Arian. orat. p. 501.*

Ut rerum incerti, & semper expectatióne suspensi, quotidiè proficiámus, enitamurque ad ea quæ à fronte sunt, oblíti ínterim eórum quæ à tergo sunt; eâ de causâ subjunxit Salvátor: Vigiláte, quóniam neque à vobis scitur, quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit: &, Quâ horâ non putátis, Fílius hóminis véniet. Ergò ob utilitátem quæ in ignoratióne sita erat, dictum est hoc à Salvatóre. His enim verbis hoc egit, ut semper accincti & ex-

essémus, quasi di-
: Vos quidem nes-
ego tamen, qui Dó-
sum, cógnitum há-
quando statúerim
íre. Dóminus ígi-
ui méliùs quàm no-
plorátum fuit, id ad
m cómmodum cé-
eâ ratióne discípu-
os cautióres réddi-

*Oratio.*

Eus, qui pópulo tuo
ætérnæ salútis beá-
emígium minístrum
sti: præsta, ut quem
rem vitæ habúimus
ris, intercessórem ha-
nereámur in cœlis;
Dóminum nostrum
Christum Fílium
, qui tecum vivit &
t in unitáte Spíritûs
i Deus.

SPERÆ de se-
i.

DIE II.
In Festo
ANGELORUM
CUSTODUM.
*Duplex-minus.*

I. VESPERIS.

*Antiphonæ de Laudibus.*
*ulum.* Exod. 23. 20.
Ecce ego mittam An-
gelum meum, qui
dat te, & custódiat
, & introdúcat in
quem parávi.
Erat númerus An-
um, míllia míllium
tium; * Sedenti in
throno & Agno, benedíc-
tio, & honor, & glória,
† Et potestas in sécula
seculórum. *Apoc.* 5. 11.
13. ℣. Míllia míllium mi-
nistrábant ei, & décies
míllies centéna míllia as-
sistébant ei. *Dan.* 7. 10.
* Sedenti. ℣. Glória. †
Et potestas.

*Hymnus.*

CUSTODES hóminũ psállimus Angelos,
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cœléstis cómites, insidiántibus
Ne succúmberet hóstibus.

NAM quòd corrúerit próditor Angelus,
Concessis méritò pulsus honóribus,
Ardens invídiâ, péllere nítitur,
Quos cœlo Deus ádvocat.

HUC Custos ígitur pérvigil ádvola,
Avertens pátriâ de tibi créditâ
Tam morbos ánimi, quàm requiéscere
Quidquid non sinit íncolas.

QUI lucis Pater est, glória sit Patri:
Qui lux ipsa Patris, glória Fílio:
Amborumque tibi nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus.
Amen.

℣. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, ℟. In protectióne Dei cœli commorábitur. *Ps.* 90. 1.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 2. D. Si fúerit pro hómine Angelus loquens unus de míllibus, ut annúntiet hóminis æquitátem, Deus miserébitur ejus. *Job.* 33. 23. 24.

*Oratio ut infrà ad Laud.*

*Fit comm. S. Remigii.* *Ant.* Státuit. ℣. Sacerdótes. *Orat.* Deus qui. *suprà.*

AD OFFIC. NOCT.

*Invit.* In conspectu Angelórum, * Veníte, adorémus Dñm. *Ps.* 137. 1.

*Ps.* 94. Veníte. *p.* 2.

*Hymn.* Custódes, *sup.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Antiphonæ ut in die S. Michaëlis; & sic in sequentibus Nocturnis. Post tertiam Antiphonam, statim sequitur Nocturnus II.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Post sextam Antiph. dicitur* ℣. *Noct. II. ejusdem diei S. Michaëlis. Et sic in Noct. III.*

*Lectiones de Scriptura occurrente.* ℟℟. *ut in die S. Michaëlis Noct. II.*

*IN III. NOCTURNO.*

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*In Ps.* Qui habitat. *Serm.* 12. *n.* 4.

LECTIO IV.

Angelis suis mandávit de te. Mira dignátio, & verè magna diléctio charitátis! Quis enim, quibus, de quo, quid mandávit? Studiósè considerémus, fratres, diligenter commendémus memóriæ hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? Cujus sunt Angeli? cujus mandátis obtémperant? cujus obédiunt voluntáti? Nempe Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: nec cunctantur, quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo Majestas mandávit Angelis, & Angelis suis mandávit. Illis útique sublímibus, tã beátis, tam próximis, sibi cohæréntibus, tam familiáriter adhæréntibus, & verè doméśticis Dei. Mandávit autem de te. Tu, quis es? Dómine, quid est homo, quòd memor es ejus; aut filius hóminis, quóniam réputas eum? Quasi verò non sit homo putrédo, & filius hóminis vermis. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reveréntiam, afferre devotiónem, conferre fidúciam! Reveréntiam pro præséntia, devotiónem pro benevoléntia, fidúciam pro custódia.

℟. Relíquit Jesum. *pag.* 508.

Lectio v.

Autè ámbula, ut
videlicet cui adsunt
geli, sicut eis mandá-
 est, in ómnibus viis
. In quovis diversó-
, in quovis ángulo,
gelo tuo reveréntiam
e. Tu-ne áudeas illo
sente, quod vidente
non audéres? An præ-
tem esse dúbitas quem
 vides? Adsunt ígitur,
dsunt tibi; non modò
um, sed étiam pro te.
sunt ut prótegant, ad-
t ut prosint. In máni-
 portábunt te. In tuis
dem viis custódient
, & dedúcent párvu-
a, quà potest párvulus
bulare. Cæterùm non
patientur tentári suprà
àm sustinére potes; sed
mánibus tollent, ut
tránseas offendículū.
àm fácilè transit, qui
s portátur in mánibus?
óties ergo gravíssima
nitur urgére tentátio,
tribulátio vehemens
minére; ínvoca custó-
m tuum, ductórem
m, adjutórem tuum
opportunitátibus, in
bulatióne. Incláma eū,
dic: Dómine, salva
s; perímus. Non dor-
t neque dormítat, etsi
tempus quandóque dis-
nulet: ne fortè pericu-
siùs ab illíus te máni-
s ipse præcípites, si te
eis ignoráveris sustentá-
tum.

℟. Angelus. pag. 508.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio vi. c. 18. 1.

*Angeli faciem Patris vident.*

In illa hora accessérunt discípuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et reliqua.

Homília S. Hierónymi Presbyteri.

*In caput. 18. Matth.*

Dico vobis quia Angeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei. Suprà díxerat per manum, pedem & óculum, omnes propinquitátes & necessitúdines, quæ scándalum fácere póterant, amputandas; austeritátē ítaque senténtiæ subjecto præcepto témperat dicens: Vidéte ne contemnátis unum ex pusillis istis. Sic, inquit, præcípio severitátem, ut commiscéri cleméntiam dóceam; quia Angeli eórum in cœlis vident semper fáciem Patris. Magna dígnitas animárum ut unaquæque hábeat ab ortu nativitátis in custódiam suî Angelum delegátum. Unde légimus in Apocalypsi Joannis, Angelo Ephesi, & reliquárum Ecclesiárum, scribe hæc.

℟. Tu ipse. pag. 509.
Te Deum.

AD LAUDES.

℣ Sacerd. Dñe Deus meus, magnificátus es vehementer, ℟. Qui facis Angelos tuos spíritus. Ps. 103. 1. 4.

Ant. 6. F. ECce unus de princípibus primis, venit in adjutórium meum. Dan. 10. 13.

Ant. 7. c. Angele Dómini, óbsecro te ut acquiescas précibus meis. Judicum. 13. 15.

Ant. 1. a. Valdè mirábilis es, & fácies tua plena est gratiárum. Est. 15. 17.

Ant. 4. E. Fac ergò misericórdiam in servum tuum, quia fœdus Dómini me fámulum tuum tecum iníre fecisti. 1. Reg. 20. 8.

Ant. 8. c. Non dimittā te, nisi benedíxeris mihi. Gen. 32. 26.

Capit. 4. Reg. 6. v. 15. 16.

MInister viri Dei vidit exércitum in circúitu civitátis, nuntiavitque ei dicens: Heu, dómine mi, quid faciémus? At ille respondit: Noli timére: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.

Hymnus. S. V.

REGNATOR Orbis summus & árbiter,
Cui prona servit cúria Cœlitum,
Quæ voce solâ tu creasti,
Perpétuâ regis ipse curâ,
NOBIS fidéles próvidus Angelos
Missos olympo suppéditas duces;
Qui nos tot obsessos periclis
Incólumes sine labe servent.
NE nos malignis fráudibus óccupet,
Incauta fallat péctora súbdolus
Suásor malórum, ne redemptam
Abrípiat, lanietque prædam.
LAUS summa Patri, summaque Fílio,
Tibíque compar glória, Spíritus,
Qui per salútis tot ministros
Das pátrias remeáre sedes.
Amen.

℣. Laudáte Dóminum, omnes Angeli ejus, ℟. Laudáte eum; omnes Virtútes ejus. Ps. 148. 2.

Ad Benedictus, Ant. 5. C. Vivit ipse Dóminus, quóniam custodívit me Angelus ejus. Judith. 13. 20.

Oratio.

DEus, qui ineffábili providéntiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris; largíre supplícibus tuis, & eórum semper protectióne defendi, &

æternâ societáte gaudére; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* 6. F. Ecce unus.

AD TERTIAM.

*Ant.* 7. ç. Angele.

*Capitulum.* Exod. 23. 21.

OBserva Angelũ meũ, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cùm peccáveris, & est nomen meum in illo.

℟. *br.* In conspectu Angelórum * Psallam tibi, Dómine. *Repet.* In conspectu. ℣. Et confitébor nómini tuo. *Ps.* 137. *v.* 1. 2. * Psallam. ℣. Glória Patri. *Rep.* In conspectu.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, ℟. In timóre tuo. *Ps.* 5. 8.

AD SEXTAM.

*Ant.* 1. a. Valdè.

*Capitulum.* Exod. 23. 22.

QUod si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, & affligam affligentes te: præcedetque te Angelus meus.

℟. *br.* Dómine, quid est homo, * Quia innotuisti ei? *Rep.* Dómine. ℣. Aut fílius hóminis, quia réputas eum? * Quia innotuisti ei? ℣. Glória Patri. *Rep.* Dómine.

℣. Emitte manum tuã de alto, ℟. Et líbera me de aquis multis. *Ps.* 143. 3. 7.

AD NONAM.

*Ant.* 8. c. Non dimittam te.

*Capitulum.* Eccl. 5. 5.

NE dicas coram Angelo: Non est providéntia; ne fortè irátus Deus contra sermónes tuos, díssipet cuncta ópera mánuum tuárum.

℟. *br.* Benedícite Dómino, * Omnes Virtútes ejus. *Repet.* Benedícite. ℣. Ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. *Psal.* 102. 21. * Omnes. ℣. Glória Patri. *Repet.* Benedícite.

℣. Adoráte eum, omnes Angeli ejus, ℟. Audívit & lætáta est Sion. *Ps.* 96. *v.* 7. 8.

AD VESPERAS.

*Omnia ut inf. Vesperis.*

*Ad* Magníficat, *Ant.* 8. G. Omnes sunt administratórii spíritus in ministérium missi, propter eos qui hæreditátem cápient salútis. *Heb.* 1. 14.

*Oratio*, Deus qui, *ut suprà ad Laudes.*

DIE IV.

In Festo

S. FRANCISCI ASSISIATIS, Ordinis Minorum Institutoris.

*Semiduplex.*

*De Comm. unius Justi.* xl. *Oratio*, Deus, qui te. *infrà.*

Lectio iv.

*Ex vita, autore S. Bonaventura.*

Franciscus Assisii in Umbria natus, à prima ætáte patris exemplum secútus, mercatúram fecit. Quodam die páuperem pro Christi amóre pecúniam flagitantem, cùm præter consuetúdinem repulisset, repentè eo facto commótus, largè ei misericórdiâ impertívit. Quâ ex die Deo promísit se némini umquam poscenti eleemósynam negatúrum. Cùm verò in gravem morbum incidisset, receptâ sanitáte, cœpit ardéntiùs cólere officia charitátis. Quâ in exercitatióne tantùm profécit, ut Evangélicæ perfectiónis cúpidus, quidquid habéret, pauperibus largirétur. Cùm autem illud ex Evangélio audisset: Nolíte possidére aurum neque argentum in zonis vestris, non peram in via, neque duas túnicas, neque calceamenta; sibi eam régulam servandam propósuit. Itaque detractis cálceis, & unâ contentus túnicâ, cùm duódecim sócios adhibuisset, Ordinem Minórum instítuit, conscriptâ régulâ, quam anno millésimo ducentésimo nono Innocéntius tértius, ad quem Franciscus supplex cum sóciis Romam accésserat, confirmávit. Inde reversus, habitávit cum iis in Tugúrio juxta Assisium, ubi in labóre multo magnâque inópiâ, piis meditatiónibus vacábat.

Lectio v.

Docébat eos honoráre præcípuâ reveréntiâ Sacerdótes, & fidei quam Romána tenet Ecclesia, firmiter adhæréscere. Jubébat quoque mulíerum familiaritátes, collóquia & aspectus sollicítiùs evitári. Otium, ómnium malárum cogitatiónum sentínam, summóperè fugiendum prædicábat; dicebatque: Volo fratres meos laboráre & exercitári, ne ótio déditi, per illícita corde aut linguâ vagentur. Fosdem duxit pósteà ad sanctam Maríam Angelórum, unde in finítimis locis regnum Dei annuntiábat, dícere sólitus, salúti animárum nihil esse anteponendũ. Hinc cùm fratres in várias orbis partes dimítteret, ipse iter Parísios dirígere instítuit, singulárem propensiónem testátus erga hanc Ecclésiam. Cùm verò id illi propter suborta quædam negótia non licéret, quosdam ex sóciis Lutétiam misit, quibus Custódis

hómine primus in hospítio præpósitus est Agnellus, ántequàm domum própriam habérent, quam tandem in território sancti Germáni de Pratis, concedéntibus Mónachis, consecúti sunt. Franciscus autem martyrii cúpidus in Syriam trajécit, ubi à Meledíno Babylónis Ægypti Soldáno liberáliter exceptus, cùm nihil profíceret, rédiit in Itáliam. Gráviter ægrótans deferri vóluit in Ecclésiam sanctæ Maríæ Angelórum, ut ubi grátiæ Spíritum accéperat, ibi spíritum vitæ rédderet. Eo in loco fratres ad paupertátem ac patiéntiam, & sanctæ Románæ Ecclésiæ fidem servandam cohortátus, Psalmum illum pronúntians: Voce meâ ad Dóminum clamávi; in eo versículo, Me expectant justi donec retríbuas mihi, efflávit ánimam anno Christi millésimo ducentésimo vigésimo sexto. Miráculis clarum Gregórius nonus paulò pòst sanctis ascripsit.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 10. v. 9.

*Apostolorum missio.*

IN illo témpore, dixit Jesus discípulis suis: Nolíte possidére aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris. Et réliqua.

Homília: sancti Joannis Chrysóstomi.

*In Matth.* 33.

CHristus radícem malórum ómnium evéllere volens, ait: Non possideátis aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas túnicas, neque calceamenta, neque virgam. Non dixit, Non accipiátis vobiscum; sed, etsi aliunde súmere possis, fuge perniciósam ægritúdinē. Illud quidem multa compléctitur cómmoda. Primò, nulla hinc discípulis póterat esse suspício. Secundò, ab omni cura sic eos líberat, ut prædicatióni solùm vacárent. Tértiò, poténtiam suam ipsis patefácit, quod & pósteà declarávit cùm dixit: Numquid vobis tunc áliquid défuit, quando vos nudos & sine cálceis misi? Certè cùm hæc eis injunxit, sublimióris vitæ fundamenta jácere vóluit. Sic álibi eos hortátur, nullam de crástino curā habére. Cùm enim ad orbem universum ipsos missúrus esset; ad angélicā, ut ita díxerim, disciplínam, ex humána vita tradúcit, ab omni rerum seculárium curâ líberos red-

dens, ut uni rei, prædicatióni scílicet Evangelii, solùm vacárent: imò ab hac étiã sollicitúdine eos liberávit, cùm dixit: Ne sollíciti sitis quáliter vel quid loquámini. Ita, quod laboriosíssimum videbátur, facíllimum ipsis réddidit. Nihil enim magis tranquillitátẽ ánimi gaudiumque párere solet, quàm omnem curam & sollicitúdinem depónere: præsertim cùm tali sollicitúdine líberi, nullum detrimentũ accípere possint; Deo vidélicet in præsente, omniaque ipsis abundè suppeditante.

*Oratio.*

Deus, qui te párvulis & humílibus reveláre non dedignáris: tríbue nobis, quæsumus, imitatióne beáti Francisci & stultam hujus mundi dedíscere sapiéntiam, & solum edíscere Jesũ Christum crucifixum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte.



# DIE V.

*(Extra Cathedralem, de Feria.)*

*IN CATHEDRALI,*

# ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

*SOLEMNE-MAJUS.*

IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* 1. D. ÆDificávit Noë altáre Dómino, & óbtulit holocausta. Odoratusque est Dóminus odórem suavitátis. *Gen.* 8. *v.* 20. 21.

*Ant.* 2. D. Venit Abram, & habitavit juxta convallem Mambre, ædificavitque ibi altáre Dómino. *Gen.* 13. 18.

*Ant.* 3. a. Ædificávit Isaac altáre, & invocáto nómine Dómini, extendit tabernáculum suum. *Gen.* 26. 25.

*Ant.* 4. D. Erexit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper, dicens: Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste vocábitur domus Dei. *Gen.* 28. *v.* 18. 20. 21. 22.

*Ant.* 5. C. Tabernáculū erexit Móyses, unxitque & sanctificávit altáre, simíliter & ómnia vasa ejus. *Num.* 7. 1.

*Capit.* Ezech. 37. *v.* 26. 27.

HÆc dicit Dóminus: Percútiam fíliis Israël fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis; & fundábo eos, & multiplicábo; & dabo sanctificatiónem meam in médio eórum in perpétuum, & erit tabernáculum meū in eis.

℟. David invénit grátiam ante Deum, & pétiit ut inveníret tabernáculum Deo Jacob; * Sálomon autem ædificávit illi domum. *Act.* 7. *v.* 46. 47. ℣. Vocavitque Salomónem filium suum, & præcépit ei ut ædificáret domum Dómino. 1. *Par.* 22. *v.* 6. * Sálomon autem. ℣. Glória. * Sálomon autem.

*Hymnus*, URBS Jerúſalem, *ut infrà ad ij. Veſp.*

℣. Tranſíbo in locum tabernáculi admirábilis, ℟. Uſque ad domum Dei. *Pſ.* 41. 5.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 6. F. Vénient portantes holocauſtum, & víctima, & ſacrificium, & thus; & ínferent oblatiónem in domũ Dñi. *Jerem.* 17. 26.

*Oratio*, Deus, qui nobis, *ut infrà ad Laudes.*

AD COMPLETOR.

*Pſalmi Feriæ & Hymnus.*

*Ad* Nunc dimittis, *Ant.* 2. A. Cívitas non eget ſole, neque lunâ, ut lúceant in ea; lucerna ejus eſt Agnus. *Apoc.* 21. 23.

*Dicitur per octavam.*

AD OFFIC. NOCT.

*Invit.* Dóminum in templo ſancto ſuo, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 10. 4.

*Pſ.* Veníte, *pag.* 2.

*Hymnus.*

ANGULARIS fundamentum
Lapis Chriſtus miſſus eſt,
Qui paríetum compáge
In utróque néctitur,
Quem Sion ſancta ſuſcépit,
In quo credens pérmanet.

OMNIS illa Deo ſacra,
Et dilecta cívitas,
Plena módulis, in laude
Et canóre júbilo,
Trinum Deum unicumque
Cum fervóre prædicat.

HOC in templo, ſumme Deus,
Exorátus ádveni:
Et clementi bonitáte
Precum vota ſúſcipe;
Largam benedictiónem
Hìc infunde júgiter.

HIC promereantur omnes
Petíta acquírere,
Et adepta poſſidére
Cum ſanctis perénniter,
Paradíſum introíre
Tranſláti in réquiẽ.

SIT decus, laus & poteſtas,
Sit ſupréma glória,
Qui creávit nos, Parenti;
Qui redémit, Fílio;
Templa cujus ſunt fidéles,
Sit ſacro laus Flámini.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*In Pſ.* Verba mea. *pag.* 86.

*Ant.* 7. d. Ad te orábo, Dómine; manè exáudies vocem meam. *Pſ.* 5. 4.

*In Pſ.* Dómini eſt terra. *pag.* 64.

*Ant.* 3. a. Quis aſcendet in montem Dómini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? *Pſ.* 23. 3.

*In Pſ.* Júdica me, Dómine. *pag.* 70.

*Ant* 4. E. Dómine, dilexi

domûs tuæ & lo-
itatiónis glóriæ
. 25. 8.
ud te laus mea ,
, ℟. In ecclésia
'ſ. 21. 26.
ſecundo Parali-
ómenon.
1. c, 7. v. 1.
*us Domini in templo.*
m compleſſet Sá-
non fundens pre-
s , ignis deſcen-
ɛlo & devorávit
:a & víctimas : &
Dómini implé-
m. Nec póterant
:es íngredi tem-
ómini , eò quòd
majeſtas Dómi-
um Dómini. Sed
s filii Iſraël vidé-
:ſcendentem ig-
glóriam Dómini
mum : & corruen-
i in terram ſuper
ıtum ſtratum lá-
oravérunt & lau-
t Dóminum; quó-
mus , quóniam in
miſericórdia e-
ε autem & omnis
immolábant ví-
coram Dómino.
:t ígitur rex Sálo-
:tias, boum vigin-
míllia , aríetum
viginti míllia : &
it domum Dei rex
erſus pópulus.
Fílii Iſraël vidé-
eſcendentem ig-
nem & glóriam Dómini
ſuper domum : * Et cor-
ruentes proni ſuper pavi-
mentum,adoraverunt Dó-
minum. 2. *Par.* 7. *v.* 3,
℣. Implétum eſt templum
fumo à majeſtáte Dei &
de virtúte ejus. *Apoc.* 15,
8. * Et corruentes.

LECTIO II. v. 6.

*Solemnitas dedicationis templi.*

SAcerdótes autem ſta-
bant in officiis ſuis ;
& Levítæ in órganis cár-
minum Dómini quæ fecit
David rex ad laudandum
Dóminum : Quóniam in
æternum miſericórdia e-
jus ; hymnos David ca-
nentes per manus ſuas.
Porrò Sacerdótes cané-
bant tubis ante eos, cun-
ctuſque Iſraël ſtabat.San-
ctificávit quoque Sálo-
mon médium átrii ante
templum Dómini : obtú-
lerat enim ibi holocauſta
& ádipes pacificórum ;
quia altáre æneum quod
fécerat , non póterat ſu-
ſtinére holocauſta , & ſa-
crificia , & ádipes. Fecit
ergo Sálomon ſolemnitá-
tem in témpore illo ſep-
tem diébus , & omnis I-
ſraël cum eo , ecclésia ma-
gna valdè , ab intróitu E-
math uſque ad torrentem
Ægypti , fecitque die oc-
távo collectam , eò quòd
dedicaſſet altáre ſeptem
diébus , & ſolemnitátem

celebraſſet diebus ſeptem.

℟. II. Verè Dóminus eſt in loco iſto ; * Quàm terríbilis eſt locus iſte ! non eſt hic áliud niſi domus Dei & porta cœli. *Gen.* 28. 16. ℣. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus. *Apoc.* 21. 3. * Quàm.

LECTIO III. v. 11.

*Eum qui oraverit in templo Domini, exaudiet Dominus.*

COmplevitque Sálomon domum Dómini, & domum regis, & ómnia quæ diſpoſúerat in corde ſuo ut fáceret in domo Dómini & in domo ſua, & proſperátus eſt. Appáruit autem ei Dóminus nocte, & ait : Audívi oratiónem tuam, & elégi locum iſtum mihi in domum ſacrificii. Si cláuſero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locuſtæ ut dévoret terram, & míſero peſtiléntiam in pópulum meum : converſus autem pópulus meus, ſuper quos invocátũ eſt nomen meũ, deprecátus me fúerit, & exquiſíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis ſuis péſſimis, & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & ſanábo terram eórum : óculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad oratiónem ejus qui in loco iſto oráverit. Elégi enim & ſanctificávi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. III. Elégit Judas Sacerdótes ſine mácula, & mundavérunt Sancta : ædificavérunt altáre novum, & fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo ; * Et facta eſt lætítia in pópulo magna valdè. 1. *Mach.* 4. 42. 43. 47. 56. 58. ℣. Facta ſunt encænia in Jeroſólymis ; & hiems erat, & ambulábat Jeſus in templo, in pórticu Salomónis. *Joan.* 10. v. 22. 23. * Et facta eſt. ℣. Glória. * Et facta eſt.

*IN II. NOCTURNO.*

*In Pſ.* Dóminus illuminátio. 112. *Ant.* 1. D. Unam pétii à Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dñi ómnibus diébus vitæ meæ. *Pſ.* 26. 7.

*In Pſ.* Deus noſter refúgium. 157. *Ant.* 8. c. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei. *Pſ.* 45. 5.

*In Pſ.* Magnus Dóminus. 157. *Ant.* 5. C. Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam in médio templi tui. *Pſ.* 47. 10.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine, ℟. In ſécula ſeculórum laudábunt te. *Pſ.* 83. 5.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

LECTIO IV.

*Serm. 1. de Dedic. n. 1.*

Feſtívitas hodierna, fratres, tantò nobis debet eſſe devótior, quantò familiárior eſt. Nam cæteras quidẽ Sanctórum ſolemnitátes cum Eccléſiis áliis habémus commúnes: hæc verò ſic nobis eſt própria, ut neceſſe ſit, vel à nobis eam, vel à némine, celebrári. Noſtra eſt quia de Eccléſia noſtra: magis autem noſtra, quia de nobis ipſis. Mirámini fórſitan, & erubéſcitis celebrári feſta de vobis. Sed quid lápides iſti potuérunt ſanctitátis habére, ut eórum ſolémnia celebrémus? Habent útique ſanctitátem, ſed propter córpora veſtra. An verò córpora veſtra ſancta eſſe quis dúbitet, quæ templum ſancti Spíritûs ſunt; ut ſciat unuſquíſque poſſidére vas ſuum in ſanctificatióne? Itaque ſanctæ ſunt ánimæ propter inhabitantem Spíritum Dei in vobis: ſancta ſunt córpora propter ánimas: ſancta eſt propter córpora domus.

℟. IV. Qui habet in cœlis habitatiónem, * Viſitátor & adjútor eſt loci illíus, & venientes ad malefaciendum pércutit ac perdit. 2. *Mach.* 3. 39. ℣. Si quis templũ Dei violáverit, diſperdet illum Deus, 1. *Cor.* 3. 17. * Viſitátor.

LECTIO V.

*Ibid. num.* 3. 4.

Quando domus iſta per manus Pontíficum dedicáta eſt Dómino, propter nos ſine dúbio factum eſt. In nobis proinde ſpirituáliter impléri neceſſe eſt, quæ in pariétibus viſibíliter præceſſérunt. Et ſi vultis ſcire, hæc útique ſunt: aſpérſio, inſcríptio, inúnctio, illuminátio, benedíctio. Hæc útique in hac visíbili domo fecére Pontífices: hæc & Chriſtus aſſiſtens Póntifex futurórum bonórum inviſibíliter quotídie operátur in nobis. Aſpergit nos hyſſópo ut mundémur, lavémur, dealbémur; lavat, inquam, nos in confeſſióne, lavat nos lacrymárum imbre, lavat ſudóre pœniténtiæ: magis autem lavat nos aquâ illâ pretioſíſſimâ quæ de fonte pietátis, id eſt, ab ejus látere emanávit. Non ſolùm autem, ſed inſcríbit dígito Dei, in quo ejiciébat dæmónia, haud dúbiũ quin in Spíritu ſancto. Inſcríbit, inquam, legẽ ſuam, non jam in lápide, ſed in tábulis cordis carnálibus, prophéticam implens pro-

miſſiónem, quâ ſe pollícitus eſt ablatúrum cor lapídeum, & cárneum cor eſſe datúrum, id eſt, non durum, non obſtinátum, non Judáïcum, ſed pium, ſed manſuetum, ſed tractábile, ſed devótum.

℟. v. Habitábit cum eis, & ipſi pópulus ejus erunt, * Et ipſe Deus cum eis erit eórum Deus. *Apoc.* 21. 3. ℣. Ergo-ne credíbile eſt ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? 2. *Par.* 6. 18. * Et ipſe.

LECTIO VI.

*Ibid. num.* 4. 5. 6.

BEátus quem tu erudíeris, Dómine, & de lege tua docúeris eum! Beáti, inquam, qui docti & mémores ſunt mandatórum ejus, ſed ad faciendum ea! alióquin ſcienti bonum & non facienti, peccátum eſt illi; & ſervus ſciens voluntátem dómini ſui, & non fáciens, plagis vapulábit multis. Unde neceſſe eſt ut únctio ſpirituális grátiæ ádjuvet infirmitátem noſtrã, obſervantiárum iſtárum & multímodæ pœniténtiæ cruces devotiónis ſuæ grátiâ líniens: quia nec eſt ſine cruce ſequi Chriſtũ; & ſine unctióne, crucis aſperitátem ferre quis poſſet? Hinc eſt quòd multi abominantur & fúgiunt pœniténtiam, crucem quidem videntes, ſed non étiam unctiónem. Vos qui experti eſtis, ecce ſcitis quia verè crux noſtra inuncta eſt, & per grátiam Spíritûs adjuvantis, ſuávis & delectábilis eſt pœniténtia noſtra, & ut ita dicam, amaritúdo noſtra dulcíſſima. At poſtquàm únctio grátiæ hujus præceſſerit, jam lucernam ſuam Chriſtus non ponit ſub módio, ſed ſuper candelábrum: quia tempus eſt ut lúceat lux noſtra coram homínibus. Jam verò benedictiónem quidẽ expectámus in fine, quando apériet manum ſuam, & implebit omne ánimal benedictióne. Nam in quátuor præmiſſis mérita conſtant, in benedictióne ſunt præmia. In benedictióne tota complébitur grátia ſanctificatiónis, quando jam in domum transíbimus non manufactam, ætérnam in cœlis. Ipſa eſt quæ conſtrúitur vivis ex lapídibus, ángelis ſcílicet & homínibus. Simul enim ædificátio & dedicátio ipſa complébitur.

℟. vi. Salomóni ſubjécit Deus omnes hoſtes, ut cónderet domum in nómine ſuo, * Et paráret ſanctitátem † In ſempitérnum. *Eccli.* 47. v. 15. ℣.

. Christus dilexit Eccléum, & seipsum trádidit :o ea ut illam sanctificát. *Eph.* 5. 25. 26. * Et uráret. ℣. Glória. † In mpiternum. *Resumitur* . Salomóni.

*N III. NOCTURNO.*

*In Ps.* Te decet hymns. 87. *Ant.* 1. a. Santum est templum tuum, irábile in æquitáte. *Ps.* 4. 5. 6.

*In Ps.* Quàm dilecta. 13. *Ant.* 2. D. Mélior est ies una in átriis tuis suer míllia. *Ps.* 83. 11.

*In Psal.* Fundamenta. 58. *Ant.* 6. F. Gloriósa icta sunt de te, cívitas Dei. *Ps.* 86. 3.

℣. Introíbo in domum uam, ℟. In holocaustis. *Ps.* 65. 13.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO VII. c. 6. 14. 7. 1.

*Fideles templum Dei.*

NOlíte jugum dúcere cum infidélibus. Quæ enim participátio justítiæ cum iniquitáte? Aut quæ sócietas luci ad ténebras? Quæ autem convéntio Christi ad Bélial? Aut quæ pars fidéli cum infidéli? Qui autem consensus templo Dei cum idólis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus, & ipsi erunt mihi pópulus. Propter quod exíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus, & immundum ne tetigéritis: & ego recípiam vos: & ero vobis in Patrem, & vos éritis mihi in fílios & filias, dicit Dóminus omnípotens. Has ergo habentes promissiónes, charíssimi, mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritûs, perficientes sanctificatiónem in timóre Dei.

℟. VII. Quàm dilecta tabernácula tua, Dñe virtútum! * Concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Cor meum & caro mea exultavérunt in Deum vivum. * Concupíscit. *Ps.* 83. 1. 2.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

LECTIO VIII. c. 2. v. 4.

*Ad Christum lapidem vivum accedant credentes.*

AD Dóminum accedentes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem electum & honorificátum: & ipsi tamquam lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum, offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum. Propter

quod cóntinet Scriptúra: Ecce pono in Sion lápidē ſummum angulárem, electum, pretióſum: & qui credíderit in eum, non confundétur. Vobis ígitur honor credéntibus: non credéntibus autem, lapis quem reprobavérunt ædificantes, hic factus eſt in caput ánguli, & lapis offenſiónis, & petra ſcándali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & póſiti ſunt. Vos autem genus electum, regále ſacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis: ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen ſuum.

℞. VIII. Domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, * In longitúdinem diérum. *Pſ. 92, 5.* ℣. Eſt Eccléſia Dei vivi columna & firmamentum veritátis. *1. Tim. 3. 15.* * In.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio IX. c. 19. v. 1.

*Zachæus excepit Chriſtum in domo ſuâ.*

In illo témpore: Ingreſſus Jeſus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus; & hic princeps erat publicanórum, & ipſe dives: & quærébat vidére Jeſum quis eſſet; & non póterat præ turba, quia ſtatúrâ puſillus erat. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*De verb. Apoſt. Serm. 7. circa medium.*

Dominus, qui Zachæum in corde ſuſcéperat, in domum ejus dignátus eſt ſúſcipi: & dixit: Zachæe, deſcende, quóniam in domo tua oportet me manére. Magnum beneficium ille arbitrabátur Chriſtum vidére. Qui magnum & ineffábile beneficium putábat tranſeuntem vidére, ſúbitò méruit in domo habére. Infúnditur grátia, operátur fides per dilectiónem, ſuſcípitur Chriſtus in domum, qui jam habitábat in corde. Dicit Chriſto Zachæus: Dómine, dimídium rerum meárum do paupéribus, & ſi quid áliquem fraudávi, quádruplum reddo. Quaſi díceret: Ideò mihi dimídium téneo, non quod hábeam, ſed unde reddam. Verè ecce quod eſt ſuſcípere Jeſum, in cor ſuſcípere. Ibi enim erat Chriſtus, in Zachæo erat; & de illo ſibi dicébat, quod ex ore ejus audiébat. Sic enim Apóſtolus dicit: Habitáre Chriſtum per fidem in córdibus veſtris.

℞. IX. Tu, Dómine univerſórum, qui nullius

indiges, voluisti templum habitatiónis tuæ fieri in nobis, * Conserva in ætérnum impollútam domum istam. 2. Mach. 14. 35. 36. ℣. Domus Christi sumus nos, si fidúciam & glóriam spei usque ad finem firmam retineámus. Hebr. 3. 6. * Conserva. ℣. Glória. * Conserva. *Resumitur* ℟. Tu.

*Post* IX. ℟. *legitur Evangelium cum Homilia de Dominica, si occurrat: deinde sine* ℟. *dicitur* Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* In conspectu Angelórū psallam tibi, ℟. Et adorábo ad templum sanctum tuum. *Ps.* 137. 2.

*Psalmi de Dominica.*

*Ant.* TU, Dómine, elegisti domum istam, ut esset domus oratiónis pópulo tuo. 1. *Mach.* 7. 37.
7. a.

*Ant.* 5. a. Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Israël. *Num.* 24. 5.

*Ant.* 6. F. Beáti omnes qui díligunt te, cívitas Dei, & qui gaudent super pace tuâ. *Tob.* 13. 18.

*Ant.* 3. a. Natiónes.

*Loco Cantici* Benedícite, *dicitur sequens Canticum.* Tob. 13. 13.

JErúsalem, cívitas Dei, luce spléndidâ fulgébis: * & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longinquo ad te vénient: & múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum, * & terram tuam in sanctificatiónem habébunt.

Nomen enim magnum * invocábunt in te.

Maledicti erunt qui contémpserint te: & condemnáti erunt omnes qui blasphemáverint te: * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in filiis tuis, * quóniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dñm.

Beáti omnes qui díligunt te, * & qui gaudent super pace tua.

Anima mea, bénedic Dóminum, * quóniam liberávit Jerúsalem civitátem suam à cunctis tribulatiónibus ejus.

Beátus ero, si fúerint relíquiæ séminis mei * ad videndam claritátem Jerúsalem.

Portæ Jerúsalē ex sapphíro & smaragdo ædificabuntur: * & ex lápide pretióso omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus sternentur: * & per vicos ejus allelúia cantábitur.

Benedictus Dóminus qui exaltávit eam, * & sit

regnum ejus in ſécula ſe-culórũ ſuper eam. Amen.

*Et dicitur per totam octavam, cùm ſit de octav.*

*Ant.* Natiónes ex longínquo vénient: & múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum. *Ib.* 14.

*Ant.* 1. ſ. Domus tua, Dómine, in ſanctificatióne tua permáneat. *Judith.* 9. 18.

*Capitul.* 2. Paral. 7. 16.

Elégi & ſanctificávi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempitérnum, & permáneant óculi mei & cor meum ibi cunctis diébus.

*Hymnus.*

Patris ætérni ſóboles coæva,
Dum tuæ ſacros pia plebs honóres
Ædis inſtaurat, Deus alme, noſtris
Annue votis.

Hic ſacri fontis látices ab ortu
Inditi purgant máculam reátus:
Hîc & infúſũ nova membra Chriſto
Chriſma coaptat.

Hic ſuâ paſcit pópulos fidéles
Carne, qui mundi ſcelus omne tollit,
Agnus, & fuſi prétium cruóris
Ipſe propínat.

Hic ſalus ægris ánimis parátur,
Hîc reos judex fácilis relaxat,
Atque lethálem redivíva pellit
Grátia culpam.

Cujus in cœlo thronus eſt perennis,
Incolit parvam Deus altus ædem:
Hîc adorátor ſibi quíſque ſedem
Præparat aſtris.

Nullus hanc turbo quatit, irruentis
Nulla vis nimbi, rapidíve fluctus;
Cedit hanc contra furor inferórum
Irritus omnis.

Laus Deo, virtus, honor, & poteſtas
Una ſit Patri, parilíque Proli;
Par ſit ambórum tibi nexus, omni,
Spíritus, ævo.
Amen.

℣. Exaudívit Deus de templo ſancto ſuo vocem meam. ℟. Et clamor meus introívit in aures ejus. *Pſ.* 17. 7.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 8. G. Státuit univérſa eccléſia Iſraël, ut agátur dies Dedicatiónis in tempóribus ſuis, ab anno in annum, per dies octo, cum lætítia & gáudio, allelúia. 1. *Machab.* 4. 59.

*Oratio.*

Deus, qui nobis per ſíngulos annos hu-

jus ſancti templi tui conſecratiónis réparas diem, & ſacris ſemper myſtériis repræſentas incólumes: exaudi preces pópuli tui, & præſta, ut quiſquis hoc templum beneficia petitúrus ingréditur, cuncta ſe impetraſſe lætétur; Per.

*Deinde fit commemorat. Dominicæ, ſi occurrat.*

[*Ipsâ die Dedicationis & per octavam dicitur ſeq.*

*Oratio.*

DEus, qui inviſibíliter ómnia cóntines, & tamen pro ſalúte géneris humáni ſigna tuæ poténtiæ viſibíliter oſtendis: templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illuſtra; & concéde, ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacumque tribulatióne ad te clamáverint, conſolatiónis tuæ beneficia conſequantur; Per Dóminum.]

AD PRIMAM.

*Ant.* 7. a. Tu Dómine.

AD TERTIAM.

*Ant.* 5. C. Quá pulchra.

*Capitul.* Jerem. 7. 2. 3.

AUdíte verbum Dómini, omnis Juda, qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Iſraël: Bonas fácite vias veſtras & ſtúdia veſtra: & habitábo vobiſcum in loco iſto.

℟. *br.* Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Ego. ℣. Introíbo in domum tuam. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Ego.

℣. Adorábo ad templum ſanctum tuum, ℟. In timóre tuo. *Pſ.* 5. 8.

AD SEXTAM.

*Ant.* 6. F. Beáti.

*Capitulum.* Levit. 26. 2.

CUſtodíte ſábbata mea, & pavéte ad Sanctuárium meum. Ego Dóminus.

℟. *brev.* Sanctum eſt templum tuum, * Allelúia. allelúia, *Repet.* Sanctum. ℣. Mirábile in æquitáte. *Pſ.* 64. 5. 6. * Allelúia. ℣. Glória. *Repetit.* Sanctum.

℣. Zelus domûs tuæ comédit me: ℟. Et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me. *Pſ.* 68. 10.

AD NONAM.

*Ant.* 1. f. Domus tua.

*Capitul.* 2. Paral. 20. 9.

STábimus coram domo hac in conſpectu tuo, in qua invocátum eſt nomen tuum: & clamábimus ad te in tribulatiónibus noſtris, & exáudies, ſalvoſque fácies.

℟. *br.* Inhabitábo in tabernáculo tuo, Dómine, in sécula, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Inhabitábo. ℣. Prótegar in

velamento alárum tuárum. * Allelúia. ℣. Glória Patri. *Repet.* Inhabitábo.

℣. Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ: ℟. Dum extollo manus meas ad templum ſanctũ tuum. *Pſ.* 27. 2.

## AD VESPERAS.

*In Pſ.* Lætátus ſum. 76. *Ant.* 3. a. Lætátus sũ in his quæ dicta ſunt mihi, In domum Dómini ibimus. *Pſ.* 121. 1.

*In Pſ.* Qui confidunt. 97. *Ant.* 4. E. Non commovébitur in æternũ, qui hábitat in Jerúſalem. *Pſ.* 124. 1.

*In Pſ.* Memento, Dómine, *cum ſua diviſione.* 161. *Ant.* 7. d. Elégit Dóminus Sion: elégit eam in habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. *v.* 14.

*In Pſ.* Super flúmina. 56. *Ant.* 6. F. Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, oblivióni detur déxtera mea. *Pſal.* 136.

*In Pſ.* Lauda, Jerúſalem. 110. *Ant.* 5. C. Lauda, Jerúſalem, Dóminum: confortávit ſeras portárũ tuárum. *Pſ.* 147. *v.* 12. 13.

*Capitulum.* 1. Cor. 6. 19.

AN neſcítis quóniam membra veſtra templum ſunt Spíritûs ſancti, qui in vobis eſt, quem habétis à Deo, & non eſtis veſtrî?

*Hymnus.*

URbs Jerúſalẽ beáta,
Dicta pacis víſio,
Quæ conſtrúitur in cœlis
Vivis ex lapídibus,
Et ovantûm coronáta
Angelórum ágmine.

Nova véniens è cœlo,
Nuptiáli thálamo
Præparáta, ut ſponſáta
Copulétur Dómino;
Platéæ & muri ejus
Ex auro puríſſimo.

Portæ nitent margarítis,
Adytis paténtibus,
Et virtúte meritórum
Illuc introdúcitur
Omnis qui ob Chriſti nomen
Hîc in mundo prémitur.

Tunsionibus, preſſúris
Expolíti lápides,
Suis coaptantur locis;
Per manus artíficis
Diſponuntur permanſúri
Sacris ædifíciis.

Sit decus, laus & poteſtas,
Sit ſupréma glória,
Qui creávit nos, Parenti;
Qui redémit, Fílio;
Templa cujus ſunt Fidéles,
Sit ſacro laus Flámini.
Amen.

℣. Díligit Dóminus portas Sion, ℟. Super ómnia tabernácula Jacob. *Pſal.* 86. 2.

Magníficat, *Ant.*
mine Deus, sint
li aperti super do-
anc nocte ac die:
omum de qua di-
ixit nomen meum
eilla. 2. *Reg.* 8. *v.*

io. Deus, qui no-
*suprà ad Laudes.*

OMPLETOR.
*ni de Dominica,*
*ut heri.*

INTRA OCTAV.
*ia ut in die Festo,*
*quæ sequuntur.*
*ium fit Semidu-*

*ntum Officium Psal-*
*ales.*
*fficium Nocturnum*
*tres Antiphonæ*
*es.*

1.á. O Israël, quã
est domus Dei &
locus possessiónis
*aruch.* 3. 24.

2.D. Exáudias, Dó-
deprecatiónem pó-
, quodcumque o-
t in loco isto. 3.
, 30.

3.à. Tu es Deus
aures tuæ intentæ
oratiónem quæ fit
isto. 2. *Par.* 6. 40.

. *&* ℟. ℟. *ex No-*
*Festi juxta Feriam.*
*io prima & secun-*
*scriptura occurren-*
*tribus duæ. Tertia,*
*tur infrà pro qua-*
*ie.*

*Ad Laudes Psalmi Feriæ cum Cantico diei sub hac Ant.* 3. c. Sálomon octo diébus celebrávit dedicatiónem. 2. *Mac.* 2. 12.

*Ad Horas ut in die.*

*Ad Vesper. Ps. Feriæ sub hac Ant.* 6. F. In Christo omnis ædificátio constructa crescit in templum sanctum in Dómino. *Ephes.* 2. 21.

*Completorium de Feria.*

DIE VI.

In Festo

SANCTI BRUNONIS

Monachi, Ordinis Carthusianorum Institutoris.

*Semiduplex.*

*De Comm. unius Abbatis.* xxxv. *Oratio* sancti Brunónis, *infrà.*

( *Fit commemor. Octavæ in Cathedrali.* ) *Deinde sanctæ Fidis Virginis & Martyris. Orat.* Deus, qui inter. *ut in Communi.* lj.

LECTIO IV.

*Ex sancti Brunonis vita, à variis Autoribus scripta.*

Bruno, Colóniæ Agrippínæ natus, post emensa Grammáticæ, Philosóphiæ, & Theológiæ stúdia, Ecclésiæ sancti Cuniberti Coloniensis primùm, deinde Remensis Ecclésiæ Canónicus, ibidemque magnórum studiórum Re-

ctor electus est. Solitúdinis amóre flagrans, cum sex áliis familiáribus mundo renuntiávit, ac sanctum Hugónem Epíscopum Gratianopolitánum ádiit; qui causâ eórum adventûs cógnitâ, eosque esse intélligens quos eádē nocte velut septem stellas ad suos pedes corruentes in somnis víderat, montes suæ diœcéseos aspérrimos, qui Carthusiáni dicebantur, incolendos concessit. Illic ædificáto Oratório, ac céllulis separátim extructis, bini in síngulis habitantes, siléntio, oratióni, lectióni vacábant. Hugónem Epíscopum, interdum nimio solitúdinis amóre diútiùs in Carthúsia commorantem, his verbis admonébat: Redi ad oves tibi commissas, eisque quod debes fidéliter exolve.

LECTIO V.

Post sex annos in secessu exactos, Bruno ab Urbáno secundo Romam accersítus, postquàm eum in Synodis celebrandis, gerendisque negótiis Ecclesiásticis, consílio suo per triénnium adjuvisset, ab eo demùm facultátem obtínuit erémi repetendæ, recusáto Archiepiscopátu Rhegiensis Ecclésiæ, quæ prima est Calábriæ Metrópolis. Cùm autem Urbánus, post celebrátum Placéntiæ Concílium, in Gálliā profectúrus esset; métuens Bruno, ne, si ad optátam Carthúsiam reverterétur, aut Románā cúriam effúgere non posset, aut eam sequi viderétur, secessit in erémum prope Scyláceum in Calábria, ubi monastérium ædificávit. Morti próximus, fidei suæ professiónem coram frátribus édidit; eamque contra errórem Berengárii conclúsit his verbis: Credo étiam sacramenta quæ sancta credit & venerátur Ecclésia; & nominátim panem & vinum quæ consecrantur in altári, post consecratiónem verum corpus esse Dómini nostri Jesu Christi, veram carnem & verum sánguinem, quæ & nos recípimus in remissiónem peccatórum nostrórum, & in spe salútis ætérnæ. Quiévit in Dómino, anno millésimo centésimo primo.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO VI. c. 12. 35.

*Vigilantia.*

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris. Et réliqua.

sancti Brunónis
sanórum Insti-
tutóris.
*sóribus, Serm. 7.*
inus quotídie ser-
suos vocat; &
répérit vigilantes
nis opéribus per-
es, secum ad cœ-
dit. Hoc est vigi-
: bonis opéribus
re. Illa ánima
: imò quasi mór-
t, quæ négligens
ósa est, & nihil
erátur. Vígilant
ut custódiant do-
s, & non vigilá-
custódiant áni-
s? Et tamen diví-
óres, & latrónes
sunt hîc quàm
e divítiæ tempo-
nt, istæ ætérnæ.
ines visíbiles sunt,
éri non possunt.
s enim noster diá-
amquam leo rú-
rcuit quærens quē
. Vigiláre quílibet
síquidem latrónes
. Sed istæ vigíliæ
llæ. Ille autem be-
bat, qui ait: Mé-
ste surgébam ad
dum tibi. Ille e-
n solùm vigilábat;
vigilando, Deum
it. Illæ vigíliæ bo-
, quæ otiósæ non
in Dei láudibus
De quibus & álibi
i dédero somnum

óculis meis, & pálpebris meis dormitatiónem, & réquiem tempóribus meis; donec invéniam locum Dómino, tabernáculum Deo Jacob. Iste ergo ídeo vigilábat, ut in sui péctoris habitáculo dignam Deo domum ædificáret, non ut verbis otiósis & vanitátibus vacáret.

*De sancta Fide, Virgine & Martyre.*

LECTIO VII.

*Ex gestis sancti Caprasii apud Surium.*

Fides, Aginni ad Garumnam nobílibus & opuléntis paréntibus nata, ab infántia in fide Christi & pietátis exercítiis instit́úta est. In persecutióne Diocletiáni & Maximiáni accusáta quòd Christum cóleret, ultrò se satellítibus óbtulit, & signo crucis in ore, fronte & péctore se múniens, coram Daciáno præside christiánam fidem professa est. Qui quidem cùm eam blandítiis & munéribus ut Diánæ sacrificáret frustrà tentasset, in lectum æreum inferri, atque igne torquéri jussit. Igitur cratículam virgo conscéndit, ibíque caténis constricta est, subjectis ardéntibus prunis, & ádipe superfúso ut flamma adustis membris tenáciùs adhæréret. Sed repentè con

pióso imbre ignis fuit extinctus. Cùm ergo à flammis divínâ virtúte incólumis exiisset, amputáto cápite martyrium explévit.

*Oratio.*

Sancti Brunónis Confessóris tui, quæsumus, Dómine, intercessiónibus adjuvémur; ut, qui majestátem tuam gráviter delinquendo offéndimus, ejus méritis & précibus, nostrórum delictórum véniam consequámur; Per Dóminum.

(*In Cathedr. fit commemor. Octavæ.*) *Deinde sanctæ Fidis.*

DIE VII.

(*In Cathedrali.*)

De Octava.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de civitáte Dei.

LECTIO III.

*Lib.* 2. *c.* 28.

Ab immundissimárum potestátum tartáreo jugo & societáte pœnáli erui per Christi nomen hómines, & in lucem salubérrimæ pietátis ab illa perniciosíssimæ impietátis nocte transferri, queruntur, & múrmurant iníqui & ingráti, & illo nefário spíritu áltiùs obstrictiusque oppressi, quia pópuli cónfluunt ad Ecclésias castâ celebritáte, honestâ utriusque sexûs discretióne; ubi áudiant quàm benè hîc ad tempus vívere débeant, ut post hanc vitam beátè semperque vívere mereantur: ubi sanctâ Scriptúrâ justitiæque doctrínâ, de superióre loco in conspectu ómnium personante, & qui fáciunt, áudiant ad præmium, & qui non fáciunt, áudiant ad judícium. Quò & si véniunt quidam tálium præceptórum irrisóres, omnis eórum petulántia, aut repentínâ immutatióne depónitur, aut timóre vel pudóre comprímitur. Nihil enim eis turpe ac flagitiósum spectandum imitandumque propónitur: veri Dei aut præcepta insinuantur, aut mirácula narrantur, aut dona laudantur, aut benefícia postulantur.

DIE VIII.

(*In Cathedrali.*)

De Octava.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de civitáte Dei.

LECTIO III.

*Lib.* 10. *cap.* 4.

Dei templum simul omnes, & singuli templa sumus: quia & ómnium concórdiam & síngulos inhabitáre dignátur: non in ómnibus, quàm in síngulis major: quóniam nec mole disténditur, nec participatióne minúitur. Cùm ad illum

fusum est, ejus est altáre cor nostrum. Ejus Unigénito cum sacerdóte placámus. Ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sánguinem pro ejus veritáte certámus. Ei suavíssimum adolémus incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctóque amóre flagrámus. Ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovémus, & réddimus. Ei beneficiórum ejus solemnitátibus, festis & diébus statútis dicámus sacramusque memóriam, ne volúmine témporum ingráta subrépat oblívio. Ei sacrificámus hóstiam humilitátis & laudis in ara cordis igne férvidæ charitátis. Ad hunc vidéndum sicut vidéri póterit, eíque cohærendum, ab omni peccatórum & cupiditátum malárum labe mundámur, & ejus nómine consecrámur.

DIE IX.

In Festo

SANCTI DIONYSII, primi Parisiensis Episcopi, & Sociorum ejus, Martyrum.

*Semiduplex.*

*De Communi plurium Martyrum.* xij. *Oratio*, Deus, qui hodiernâ die, *infrà*.

(*Fit commemoratio Octavæ in Cathedrali tantùm.*)

Ex Martyrológio sancti Adónis Epíscopi.

*vij. Idus Octobris.*

LECTIO IV.

Dionysius Epíscopus, à Pontífice Románo ad Gállias diréctus, ut prædicatiónis óperam pópulis Christi fide aliénis exhibéret, tandem Parisiórum civitátem devénit; & per áliquot annos sanctum opus fidéliter & ardenter execútus, à Præfecto Fescennino Sisínnio comprehensus, & cum eo sanctus Présbyter Eleuthérius, & Rústicus Diáconus, gládio animadversi, martyriũ complevérunt.

Ex libro sancti Gregórii Turonensis de glória Mártyrum.

LECTIO V. l. 1. c. 72.

Dionysius Epíscopus Parisiórum urbi datus est Martyr: témpore verò quo Sigebertus rex cum exércitu ad urbem illam venit, & máximam vicórum ejus partem incéndio concremávit, quidam de primóribus ejus ad Basílicam antedicti Mártyris próperat, non oratiónis devotióne, sed tantùm ut áliquid fraudáret ab æde. Qui scílicet ubi referáta óstia, ac vácuum templum à custódibus reperisset, pallam holosericam, auróque ex-

ornátam & gemmis, quæ sanctum tegebat sepulcrũ, temerário ausu dirípuit, secumque sústulit. Véniens autem ad castra, fuit ei necéssitas navigandi. Cumque puer ejus, quem tunc créditum habébat, suspensis ad collũ ducentis áureis, navem cum eódem ascendisset, súbitò à nullo tactus, de navi déruit, oppressusque aquis numquam pótuit inveníri. Ille judíciũ Dei in se cernens per púeri amissiónem & auri, velóciter líttori de quo digressus fúerat, remeávit; pallamque sepulchri summâ velocitáte restítuit. Et licèt hoc fécerit, tamen diem in quo hæc admíserat, recurrente anni círculo, non áttigit. Alius autem super sepulchrũ sanctum calcáre non métuens, dum columbam áuream lánceâ quærit elídere, elapsis pédibus ab utráque parte, lánceâ in látere defixâ, exánimis est inventus. Id non fortúitò contigisse, sed judício Dei gestum nullus ámbigat.

*Lect. vj. Homilia ut in Codice Lectionum pro pluribus Martyribus.* lxv.

*Oratio.*

DEus, qui hodiernâ die beátum Dionysium Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborasti; quique illi ad prædicandum géntibus glóriam tuam Rústicum & Eleuthérium sociáre dignátus es: tríbue nobis, quæsumus, ex eórum imitatióne pro amóre tuo próspera mundi despícere, & nulla ejus adversa formidáre; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE X.

(*in Cathedrali.*)

De Octava

SS. TYBERII, MODESTI ET FLORENTIÆ Martyrum Agathensium.

*Commemoratio.*

*Pridie ad Vesperas, deinde ad Laudes. Oratio,* Exaudi nos. *p.* xvij.

Ex enarratióne sancti Augustíni Epíscopi, in Psalmum centésimum vigésimum primum.

LECTIO III.

JErúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: Fratres, quando dicébat ista David, perfecta erat illa cívitas, non ædificabátur. Néscio quá ergo civitátem dicit, quæ modò ædificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi, de quibus dicit Petrus: Et vos tamquam lápides vivi coædificámini in domum spiritálem, id est, templum Dei san-

ctum. Quid est, Lápides vivi coædificámini? Vivis, si credis. Si autem credis, efficieris templum Dei: quia dicit Apóstolus Paulus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Ipsa ergo modò cívitas ædificátur: præciduntur de móntibus lápides per manus prædicántium veritátem, conquadrantur ut intrent in structúram sempiternam. Adhuc multi lápides in mánibus artíficis sunt: non cadant de mánibus artíficis, ut possint perfecti coædificári in structúram templi. Est ergo ista Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: fundamentum ipsíus Christus est. Dicit Apóstolus Paulus: Fundamentum enim áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

DIE XI.

In Festo

SANCTI FIRMINI,

Episcopi Ucetiensis.

*Semiduplex.*

*Omnia de Comm. unius Pontificis. p.* xviij. *Orat.* Dírige. *p.* xxij.

(*Commemor. Octavæ in Cathedrali tantùm.*)

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

LECTIO IV.

FIrmínus Narbóne, claro génere natus, relictis ab adolescéntia paréntibus & natáli solo, Ucetiam, Gálliæ Narbonensis urbem, se cóntulit ad Rorícium pátruũ, notæ sanctitátis Antístitem, ut eo duce sanctis informarétur disciplínis. A quo clericáli primùm milítiæ ascriptus est: deinde Diáconus, tum Présbyter ordinátus, mox in partem sollicitúdinis pastorális adscítus. Hoc in múnere ita se gessit, ut jam tum Sedis Episcopális succéssor ómnium votis designarétur, dignus étiam cujus sanctitátem Deus miráculis próderet. Hinc factum, ut mórtuo Rorício jam fere octogenário, commúni Cleri populíque suffrágio, in illíus locum suffectus sit, licèt júvenis, annúmque agens círciter vigesimum secundum.

LECTIO V.

AD dignitátem Episcopálem evectus, Ecclésiam Ucetiensem eâ prudéntiâ, eâque morum sanctitáte rexit, ut novus Apóstolus dici mererétur. Visi sæpíssimè infirmi vel fimbriam ejus vestimenti certátim contíngere, cujus ex contactu sánitas effluébat. Affuit Concíliis Aurelianénsibus quarto & quinto, & Parisiensi secundo. Demum cùm in

Episcopátu exegisset annos séxdecim, in morbū lapsus, óbiit quinto Idus Octóbris, anno quingentésimo quinquagésimo tértio. De illíus sanctitáte cum laude mentiónem facit coætáneus Arátor ad Patrícium Parthénium: eamdemque plúribus post mortem miráculis testátam esse vóluit Deus. Quorum famam étiam nono século célebrem fuisse constat ex epístola Amolónis Lugdunensis Archiepíscopi, ad Theobaldum Epíscopum Lingonensem.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 2. 42.
*Servus fidelis & prudens.*

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.
*Hom. 17. in Evan. n. 14. 15.*

EST, fratres charíssimi, quod me de vita Pastórum vehementer affligit: sed ne cui injuriósum videátur fortasse quod ássero, me quoque páriter accúso, quamvis barbárici témporis necessitáte compulsus, valdè in his jáceo invítus. Ad exterióra enim negótia delapsi sumus: ministérium prædicatiónis relínquimus; & ad pœnam nostram, ut vídeo, Epíscopi vocámur, qui honóris nomen non virtútis tenémus. Implorémus Jeremíæ lácrymas: consíderet mortē nostrā: & deplórans dicat: Quómodo obscurátum est aurum, mutátus est color óptimus, dispersi sunt lápides sanctuárii in cápite ómnium plateárum? Aurum quippe obscurátum est: quia Sacerdótum vita quondam per glóriam virtútum clara, nunc per actiónes ínfimas osténditur réproba. Color óptimus mutátus est: quia ille sanctitátis hábitus per terréna & abjecta ópera ad ignomíniam despectiónis venit. Dispersi sunt lápides sanctuárii in cápite ómnium plateārū: quia hi qui per vitam & oratiónem intùs semper esse debúerant, per vitā réprobam foris vacant. Ecce jam nulla penè est séculi áctio, quam non Sacerdótes administrent. Dū ergo in sancto hábitu constitúti, exterióra sunt quæ exhibent, quasi sanctuárii lápides foris jacent.

DIE XII.

Octava
DEDICATIONIS.
(*In Cathedrali tantùm.*)
*Duplex-minus.*

*Ad I. Vesperas omnia ut in I. Vesperis Festi.*

*Ad Officium Nocturnum Psalmi & Antiphonæ ut in die. Post sextam Ant. dicitur Versus II. Nocturni diei. Deinde tres Lectiones Script. occurr. cum ℟ ℟ ℟. II. Nocturni diei.*

Sermo sancti Cæsárii Epíscopi.

*Serm. 229. qui est in Dedic. Ecclesiæ.*

LECTIO IV.

QUotiescumque, fratres charíssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligenter atténdimus, & sanctè ac justè vívimus; quidquid in templis manufactis ágitur, totum in nobis spirituáli ædificatióne complétur; non enim mentítus est ille qui dixit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos; & íterum: Nescítis quia córpora vestra templum sunt Spíritûs sancti. Quia verò nullis præcedéntibus méritis, sed per grátiam Dei merúimus fieri templũ Dei: quantum póssumus cum ipsíus adiutório laborémus, ne Dóminus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis, invéniat quod óculos suæ majestátis offendat: sed habitáculum cordis nostri evacuétur vítiis, & virtútibus repleátur; claudátur diábolo, & aperiátur Christo.

LECTIO V. *Serm. 230.*

QUia, fratres, habitáre desíderat in nobis Deus; cum ipsíus adjutório ita cor nostrum studeámus bonis semper cogitatiónibus occupáre, & córpora nostra ab omni sorde luxúriæ munda custodíre, ut Deum in nobis delectet habitáre. In templo enim à Salomóne ædificáto légimus duo altária fuisse constitúta, unum foris, áliud intùs: in illo quod foris erat, animálium celebrabátur sacrificiũ; in illo verò quod intùs erat, thymiámatis offerebátur incensum. Videámus ergo ne fortè in nobis duo sint altária constitúta; córporis scílicet & cordis nostri. Dénique duplex à nobis sacrifícium quærit Deus: unum, ut simus casto córpore; áliud, ut mundo corde esse debeámus.

Léctio sancti Evangélii secundum Lucam.

LECTIO VI. c. 19. v. 1.

*Christus apud Zachæum.*

IN illo témpore: Ingressus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus; & hic princeps erat Publicanórum, & ipse dives: & quærébat vidére Jesum, quis esset; & non póterat præ turba, quia statúrâ pusillus erat. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm. 174. de verbis Apost. §. 5. aliàs Serm. 8.*

QUia Zachæus erat, quia princeps Publicanórum erat, quia valde peccátor erat; quasi sana illa turba, quæ impediébat vidére Jesum, admiráta est, & reprehendit quòd in domum peccatóris intrasset Jesus. Hoc erat reprehendere quòd in domum ægróti intrávit médicus. Quia ergo velut peccátor Zachæus irrísus est, irrísus est autẽ ab insánis sanátus, Dñs respondit irridéntibus: Hódiè salus huic dómui facta est. Ecce quare intrávi; salus hódiè facta est. Utique si Salvátor non intrasset, salus in illa domo facta non esset. Quid ergo miráris, ægróte? Voca & tu Jesum: noli tibi sanus vidéri.

DIE XV.

In Festo S. THERESIÆ Virginis.

*Semiduplex.*

*De Comm. unius Virginis*, xlvj.

IN I. VESPERIS.

*Capitulum.* Isai. 32. 16. 17.

HAbitábit in solitúdine judícium, & justítia in Carmel sedébit. Et erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntiũ; & secúritas usque in sempitérnum.

*Orat.* Deus, qui beátæ Therésiæ, *ut infrà ad Laudes.*

LECTIO IV.

*Ex vita & opéribus sanctæ Theresiæ.*

THerésia Abulæ in Hispánia nata, ex perlectis in ténera ætáte Mártyrum actis magnum hausit pietátis sensum; qui pósteà tum equéstrium fabulárum lectióne, tum affínium consuetúdine imminútus, ita moniálium, quarum disciplínæ commissa fúerat, institutióne, & epistolárũ beáti Hierónymi lectióne revixit, ut vigésimo secundo ætátis anno in Abulensi Carmelitárũ cœnóbio vitæ religiósæ votum emíserit. Ibi humilitátis ac charitátis, máximè erga infirmas soróres opéribus, patientiâque singulári in váriis tentatiónibus, gravibusque morbis per annos ferè vigínti perferendis excélluit. Cùm tamen aliquándiù, seculárium familiaritáte, oratiónis intermissióne, & confessariórum imperítiâ áliquid de fervóre pietátis remisisset; tandem ex lectióne Confessiónum sancti Augustíni ad Deum pénitùs

reversa, ingentes in virtúte progressus fecit.

LECTIO V.

MUltis exinde illustratiónibus à Deo donáta est, quas tamen superiórum judício subjiciébat, dícere sólita, se in revelatiónibus décipi posse, in obedientia néutiquam posse. Tanto patienditenebátur desidério, ut eos à quibus lædebátur, máximè dilígeret, ac sæpè exclamáret: Dómine, aut pati, aut mori. Ordinis Carmelitárũ reformatiónem aggressa, plúrimas ob id contumélias, ipsum étiã cárcerem passa est. Soróribus suis oratiónem adversùs grassantes tunc hæreses, labórem mánuum & paupertátis stúdium præcípuè commendávit; nihilque chárius hábuit, quàm ut vírgines sine dote admítteret. Libros scripsit cœlestem pietátem spirantes. Albæ decumbens Ecclésiæ Sacramentis muníta, ad Christum migrávit die décimâ quintâ Octóbris, anno ætátis sexagésimo octávo, Christi millésimo quingentésimo octogésimo secundo. Eam ante & post óbitum miráculis claram Gregórius décimus quintus Sanctórum catálogo ascripsit.

*Lect. vj. Homilia ut in codice Lectionum pro Virgine.* lxxiij.

*Oratio.*

DEus, qui beátæ Therésiæ Vrginis mónitis & exemplo servos tibi & ancillas suscitasti in quos de Spíritu sancto effúnderes; da nobis, ejus imitatióne ac précibus, & cœlestis doctrínæ pábulo nutríri, & veræ perfectiónis desidério accendi; Per ...in unitáte ejusdem Spiritûs.

IN II. VESPERIS.

*Fit commemoratio sancti Bertrandi Episcopi. Ant.* Elégit. ℣. Beátus, *pag.* xix. *Oratio*, Dírige, *p.* xxij.

DIE XVI.

In Festo

S. BERTRANDI

Episcopi.

*Simplex.*

*De Comm. unius Pontificis, p.* xix. *Orat.* Dírige, *p.* xxij.

*Lectio j. & ij. ex Scriptura occurrente, ex tribus duæ.*

LECTIO III.

BErtrandus genere clarissimus, patre Athóne Raymundo, matre Guillelmi cómitis Tolosáni filiâ, natus est in Vascónia circa médium séculi undécimi. Adolescens, abjecto, cui primùm vacábat, milítiæ rudimento, sese collégio

Canonicórũ Regulárium Ecclésiæ Tolosánæ adjunxit. Cujus quidem Ecclésiæ Archidiáconus paulò pòst creátus est; dein ad Episcopátum Convenárum post mortem Oggéri assumptus. Factus Epíscopus clero populóque exímiâ morum innocéntiâ omniumque virtútum exemplis præluxit. Diœcésim assíduè perlustrávit: Cathedrálem Ecclésiam claustro cingi curávit. Canonicórum reguláriũ collégium in eo coégit: urbem ipsam multis auxit ædifíciis. Morti próximus ad Ecclésiam deferri vóluit, ubi post fusas ad Deum preces, datâque pópulo benedictióne, obdormívit in Dómino, anno círciter centésimo vigésimo supra millésimum, Episcopátûs sui ferè quinquagésimo. Miráculis post mortem clarus in sanctórum númerum relátus est à summo Pontífice Clemente quinto.

DIE XVIII.

In Festo

SANCTI LUCÆ,

Evangelistæ.

*Duplex-majus.*

IN I. VESPERIS.

*Antiphonæ ut in primis Vesperis Apostolorum, p. j.*

*Capitulum.* Apoc. 4. 7.

Animal primum símile leóni, & secundum ánimal símile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volanti.

℟. Non sunt loquélæ neque sermónes, quorum non audiantur voces eórum: * In omnem terram exívit sonus eórum, † Et in fines orbis terræ verba eórum. *Ps.* 18. 4. 5. ℣. Illi profecti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperante, & sermónem confirmante. *Marc.* 16. 20. * In omnem. ℣. Glória. † Et in fines.

*Hymnus.* S. V.

CHRISTI perennes Núntii,
Retecta qui cœléstibus
Scriptis Dei mystéria
Totum per orbem spárgitis.

OLIM sub umbris cóndita,
Vates sacri quæ víderant;
Umbris procul cedéntibus,
Vidistis hæc pleno die.

HUMANA quæ tulit Deus,
Divína quæ gessit homo,
Seris legenda pósteris,
Dictante scripsistis Deo.

LOCO remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus;
Et quisque pro ductu Dei,
Pingendo Christum réddidit.

NOS ut docéret, índuit
Vocis sonos Verbum Patris:
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.
UNI sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Ps.* 144. 5.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 7. *d.* Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salútem, dicentis Sion: Regnábit Deus tuus. *Is.* 52. 7.

*Oratio.* Deus, qui beátum Lucam. *infrà in Laudibus.*

AD OFFIC. NOCT.

*Invit.* Christum dantem Evangelistas ad consummatiónem Sanctórũ, * Veníte, adorémus. *Eph.* 4. 11.

*Psal.* Veníte. *pag.* 2.

*Hymn.* Christi perennes. *ut suprà.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. a. Testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi. *Apoc.* 1. 2.

*Ant.* 7. d. Perambulábat confirmans ecclésias, præcípiens custodíre præcepta Apostolórum. *Act.* 15. *v.* 4.

*Ant.* 2. D. Intendébant turbæ his quæ dicebantur, unanímiter audientes, & videntes signa quæ faciébat. *Act.* 8. 6.

℣. Dabis eum, Dómine, in benedictiónem, ℟. In séculum séculi. *Ps.* 20. *v.* 7.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

℟. Consecrátus est Prophéta, * Evértere, & erúere, & pérdere, & íterum ædificáre, & renováre. *Eccli.* 49. 9. ℣. Incitabátur spíritus ejus in ipso. *Act.* 17. *v.* 16. * Evértere, & erúere.

℟. Dilectus à Dómino Deo suo, * Exaltávit vocem suam de terra in prophetía delére impietátem. *Eccli.* 46. 16. 23. ℣. Ipse discípulus erat Jesu. *Matt.* 27. 57. * Exaltávit vocem suam.

℟. In fide sua probátus est Prophéta, * Et cógnitus est in verbis suis fidélis, † Quia vidit Deum lucis. *Eccli.* 46. 17. 18. ℣. Pertránsiens evangelizábat civitátibus cunctis. *Act.* 8. 40. * Et cógnitus. ℣. Glória. † Quia vidit Deum lucis.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. c. Cùm credi-

dilſent evangelizanti de regno Dei, baptizabantur viri ac mulíeres. *Act.* 8. 12.

*Ant.* 3. g. Fuit gratus Deo, & erat potens in verbis & in opéribus ſuis. *Act.* 7. 20. 22.

*Ant.* 6. F. Máximus in ſalútem electórum Dei, quam glóriam adeptus eſt! *Eccli.* 46. 2. 3.

℣. Potens in terra erit ſemen ejus, ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Pſ.* 111. 2.

Ex libro ſancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

LECTIO IV. c. 7.

LUcas, médicus Antiochenſis, ut ejus ſcripta índicant, Græci ſermónis non ignárus fuit, ſectátor Apóſtoli Pauli, & omnis peregrinatiónis ejus comes. Scripſit Evangélium, de quo idem Paulus: Miſimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangélio, per omnes Eccléſias. Et ad Coloſſenſes: Salútat vos Lucas médicus chariſſimus. Et ad Timótheum: Lucas eſt mecum ſolus. Aliud quoque édidit volúmen egrégium, quod título Acta Apoſtolórum prænotátur: cujus hiſtória uſque ad biénnium Romæ commorantis Pauli pérvenit, id eſt, uſque ad quartum Nerónis annum.

℟. Cùm vidiſſet grátiam Dei, gavíſus eſt, * Et hortabátur omnes in propóſito cordis permanére in Dómino. *Act.* 11. 23. ℣. Congregávit congregatióne fidelium & Eccléſiam ſecum. 1. *Mac.* 3. 13. * Et hortabátur omnes.

LECTIO V.

EX quo intellígimus in eádem urbe librum eſſe compóſitum. Igitur períodos Pauli & Theclæ, & totam baptizáti Leónis fábulam, inter apócryphas ſcriptúras computámus. Quale enim eſt, ut individuus comes Apóſtoli, inter cæteras ejus res, hoc ſolùm ignoráverit? Sed & Tertulliánus, vicinus illórum témporum, refert, Presbyterum quemdam in Aſia amatórem Apóſtoli Pauli, convictum à Joanne quòd autor eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amóre feciſſe, & ob id loco excidiſſe.

℟. Erat vir bonus & plenus Spíritu ſancto, & fide, * Et appóſita eſt multa turba Dómino. *Act.* 11. 24. ℣. Teſtimónium præbuit in conſpectu Dómini & Chriſti. *Eccli.* 46. 22. * Et.

LECTIO VI.

QUidam ſuſpicantur, quotieſcumque in e-

pístolis suis Paulus dicit, Juxta Evangélium meum, de Lucæ significáre volúmine; & Lucam non solùm ab Apóstolo Paulo didicisse Evangélium, qui cum Dómino in carne non fúerat, sed à cæteris Apóstolis; quod ipse quoque in princípio sui volúminis declárat, dicens: Sicut tradidérunt nobis, qui à princípio ipsi vidérunt & ministri fuérunt sermónis. Igitur Evangélium, sicut audíerat, scripsit; Acta verò Apostolórum, sicut víderat ipse, compósuit. Vixit octoginta & quátuor annos, uxórem non habens. Sepultus est Constantinópoli; ad quam urbem vigésimo Constántii anno, ossa ejus cum relíquiis Andréæ Apóstoli transláta sunt de Achája.

℟. Plenus grátiâ ac fortitúdine, * Faciébat prodígia & signa magna in pópulo. *Act.* 6. *v.* 8. ℣. Mirátæ sunt terræ, & in nómine Dómini Dei. *Eccli.* 47. 18. 19. * Faciébat prodígia. ℣. Glória Patri. * Faciébat prodígia & signa.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 5. a. Hic est qui fuit in ecclésiâ, qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7. 38.

*Ant.* 1. g. Amplificátus est in mirabílibus suis; & quis potest simíliter sic gloriári tibi? *Eccli.* 48. *v.* 14.

*Ant.* 4. E. Scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini. *Eccli.* 48. 10.

℣. Ecce sic benedicétur homo, ℟. Qui timet Dóminum. *Ps.* 137. 4.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

LECTIO VII. *c.* 4. *v.* 12. *Lucas medicus.*

SAlútat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollícitus pro vobis in oratiónibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntáte Dei. Testimónium enim illi perhíbeo, quòd habet multum labórem pro vobis, & pro iis qui sunt Laodicíæ, & qui Hierápoli. Salútat vos Lucas médicus charíssimus, & Demas. Salutáte fratres qui sunt Laodicíæ, & Nympham, & quæ in domo ejus est, Ecclésiam.

℟. Locútus est ómnia verba quæ díxerat Dñs, * Et fecit signa coram pópulo, & crédidit pópulus. *Exod.* 4. 30. 31. ℣. Apériens os suum, evangelizávit Jesum. *Act.* 8. 35. * Et fecit signa coram pópulo.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio viii. c. 4. v. 7.
*Lucas cum Paulo.*

BOnum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex: non solùm autem mihi, sed & iis qui díligunt adventum ejus. Festína ad me veníre citò. Demas enim me relíquit, díligens hoc séculum, & ábiit Thessalónicam: Crescens in Galátiam, Titus in Dalmátiam. Lucas est mecum solus. Marcum assúme, & adduc tecum: est enim mihi útilis in minístérium.

℟. Deferentes ceremónias patrum suórum, quæ in multitúdine deórum erant, * Unum Deum cœli coluérunt. *Judith.* 5. 8. 9. ℣. Discípuli replebantur gáudio & Spíritu sancto. *Act.* 13. 52. * Unum.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio ix. c. 1. v. 1.
*Christi Evangelium statuit scribere Lucas.*

QUóniam quidē multi conáti sunt ordináre narratiónem, quæ in nobis complétæ sunt, rerum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.
*Proœmio comm. in Matt.*

PLures fuisse qui Evangélia scripsérunt & Lucas Evangelista testátur, dicens: Quóniam quidem multi conáti sunt ordináre narratiónem rerum quæ in nobis complétæ sunt, sicut tradidérunt nobis, qui ab inítio ipsi vidérunt sermónem, & ministravérunt ei; & perseverántia usque in præsens tempus monimenta declárant, quæ à diversis autóribus édita, diversárum hæréseon fuére princípia. Ecclésia autem, quæ supra petram Dómini voce fundáta est, quátuor flúmina paradísi instar eructans, quátuor ángulos & ánnulos habet, per quos quasi arca testamenti & custos legis Dómini lignis immobílibus véhitur. Primus ómnium, Matthæus est, publicánus, cognomento Levi, qui Evangélium in Judæa Hebræo sermóne édidit. Secundus, Marcus interpres Apóstoli Petri, & Alexandrínæ Ecclésiæ primus Epíscopus. Tértius, Lucas médicus, natióne Syrus Antiochensis, cujus laus in Evangélio, qui & ipse discípulus Apóstoli Pauli, in Acháiæ Beotiæque pártibus volúmen cóndidit,

quædam áltiùs répetens: &, ut ipse in prooemio confitétur, audíta magis quàm visa descríbens. Ultimus, Joánnes Apóstolus & Evangelísta, quem Jesus amávit plúrimum: qui supra pectus Dómini recumbens, puríssima doctrinárum fluénta potávit.

℟. Suscipiébat omnes qui ingrediebantur ad eum, *Prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Dómino Jesu Christo, † Cum omni fidúcia. *Ap. 28. 30. 31.* ℣. Tulit abominatiónes impietátis. *Eccli. 49. 3.* * Prædicans. ℣. Glória. † Cum.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Intónuit de cœlo Dóminus, ℟. Et altíssimus dedit vocē suam. *Ps. 17. 14.*

*Ant. 1. a.* BEáti sunt qui te vidérunt, & in amicítia tua decoráti sunt. *Eccli. 48. 11.*

*Ant. 2.* D. Collegísti quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum complésti argentum. *Eccli. 47. 20.*

*Ant. 3.* c. Quis potest simíliter sic gloriári tibi, qui Prophétas facis successóres post te? *Eccli. 48. v. 4. 8.*

*Ant. 4.* D. Eruditus es, & implétus es, quasi flumen, sapiéntiâ. *Eccli. 47. 15. 16.*

*Ant. 5. a.* Ad ínsulas longè divulgátum est nomen tuum, & diléctus es in pace tua. *Eccli. 47. v. 17.*

*Capitulum.* Josue 1. 8.

NOn recédat volúmen legis hujus ab ore tuo; sed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut custódias & fácias ómnia quæ scripta sunt in eo: tunc díriges víam tuam, & intélliges eam.

*Hymnus.* S. V.

SINÆ sub alto vértice,
Cœlo tonante lex data;
Inter tubas & fúlgura
Præsens minabátur Deus.

NUNC, temperáto Númine,
Per vela carnis blándiùs
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans sénsibus.

INSCULPTA saxo lex vetus
Præcepta, non vires dabat;
Inscripta cordi lex nova,
Præcepta dat cum víribus.

SCRIPSISTIS hanc fidâ manu,
Hanc voce, voci cónsonis
Hanc prædicastis móribus;
Signastis hanc & sánguine.

AFFLANTE divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis;
Hæc ille nostris imprimat

Delenda nunquam córdibus.

UNI sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Magna est glória ejus ℟. In salutári tuo, Dómine. Ps. 20. 6.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 8. G. Christus dedit quosdá quidé Apóstolos, alios verò Evangelistas ad consummatiónem Sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem Córporis Christi. *Ephes.* 4. *v.* 11. 12.

*Oratio.*

DEus, qui beátum Lucam médicum inter Evangelistas tuos annumeráre dignátus es; fac ut ipso intercedente, fugiámus quæ nóxia sunt, & quæ docet utília, fidéliter assequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

AD PRIMAM.

*Ant.* 1. a. Beáti.

AD TERTIAM.

*Ant.* 2. D. Collegisti.
*Capitulum.* Eccl. 48. 1.

SUrrexit quasi ignis, & verbum ipsíus quasi fácula ardébat.

℟. *br.* Illic mandávit, Dóminus * Benedictiónem. *Rep.* Illic. ℣. Et vitam usque in séculum. * Benedictiónem. ℣. Glória. *Rep.* Illic mandávit, Dóminus.

℣. Prævenisti eum, Dómine, ℟. In benedictiónibus dulcédinis. *Ps.* 20. *v.* 4.

AD SEXTAM.

*Ant.* 3. c. Quis potest.
*Capitulum.* Col. 1. 27.

VOluit Deus notas fácere divítias sacraménti hujus in géntibus, quod est Christus in vobis spes glóriæ.

℟. *br.* Simulácra géntium * Argentum & aurú. *Rep.* Simulácra. ℣. Opera manuum hóminum. * Argentum. ℣. Glória. *Rep.* Simulácra.

℣. Símiles illis fiant qui fáciunt ea, ℟. Et omnes qui confidunt in eis. *Psal.* 113. 12. 16.

AD NONAM.

*Ant.* 5. a. Ad ínsulas.
*Capitulum.* Act. 18. 25.

HIc erat edoctus viam Dómini, & fervens spíritu loquebátur, & docébat diligenter ea quæ sunt Jesu.

℟. *br.* Vox Dómini * In virtúte. *Repet.* Vox. ℣. Vox Dómini in magnificéntia, * In. ℣. Glória. *Repet.* Vox Dómini. *Ps.* 28. 4.

℣. Ignítum, Dómine, elóquium tuum, ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118.

AD

AD II. VESPERAS.

*Antiphonæ de Laudibus.*

*Capitulum.* Col. 1. 23.

PErmanéte in fide fundáti & stábiles, & immóbiles à spe evangélii quod audistis.

*Hymnus ut in primis Vesperis.*

℣. Misit Dóminus servum suum, ℟. Quem elégit ipsum. *Ps.* 104. *v.* 6.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 3. a. Præcepisti ei, Dómine, scríbere legem tuam coram filiis Israël. *Baruc.* 2. *v.* 28.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

DIE XXI.

In Festo

S. HILARIONIS

Abbatis.

*Simplex.*

*Omnia de Comm. unius Abbatis. Oratio.* Omnípotens. *p.* xxxix.

*Pridiè ad Vesperas pro commemoratione sanctarum Ursulæ & sociarum, Virginum & Martyrum.*

*Ant.* Prudentes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. *Matth.* 25. 4.

℣. Delectavérunt te fíliæ regum, ℟. In honóre tuo. *Ps.* 44. *v.* 9. 10.

*Oratio.* Da nobis, *ut infrà.*

*Lectiones de Scriptura occurrente, ex tribus duæ,*

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de vita sancti Hilariónis.

LECTIO III.

HIlárion ortus vico Tábathâ in Palæstína, parentes hábuit idólis déditos, à quibus Alexandríam missus est studiórum causâ. Ibi magna ingénii & morum documenta præbuit; quodque his majus est, credens in Dóminum Jesum, non circi furóribus, non arénæ sánguine, non theátri luxúriâ delectabátur, sed tota illi voluntas in Ecclésiæ erat congregatióne. Cùm autem tunc Antónii nomen in Ægypto celebérrimum esset, ejus visendi stúdio in solitúdinem contendit: apud quē per duos ferè menses commorátus, omnem ejus dídicit vivendi ratiónem. Domum reversus, mórtuis paréntibus, partem facultátum frátribus, partem paupéribus dilargítus est: necdum quintum-décimum annum egressus, rédiit in solitúdinem; ubi constructâ casâ, quæ vix ipsum cáperet, humi super strato júnceo cubábat. Scriptúras sacras, quas tenébat memóriter, post oratiónes & psalmos, quasi Deo præsente, recitábat. Paucas ficus & succum herbárum, ad victum ad-

hibébat; neque ante solis occásum étiam diébus festis, aut in gravíssima valetúdine jejúnium solvébat. Labóre mánuum æmulabátur Ægyptiórum monachórum disciplínā. Váriè à dæmónibus vexátus, eos signo crucis, & nóminis Jesu invocatióne superávit. Tandem octogésimum annum agens, éditis miráculis, in morbum íncidit: & morte imminente trepidantem ánimam sic compellábat: Egrédere, ánima mea; quid dúbitas? septuaginta propè annis servisti Christo, & mortem times? Quibus in verbis spíritum exhalávit.

AD LAUDES.

*Pro commem. sanctarum Ursulæ & sociarum Virginum & Martyrum.*

*Ant.* Vírgines sunt: sequuntur Agnum quocumque íerit; sine mácula enim sunt ante thronū Dei. *Apoc.* 14. 5.

℣. Exultent fíliæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Ps.* 47. 12.

*Oratio.*

DA nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum & Mártyrum Ursulæ & sociárum ejus palmas sincérâ devotióne venerári; ut, quas non póssumus satis dignè celebráre, humílibus saltem prosequámur obséquiis; Per Christum Dóminum nostrum.

DIE XXVI.

In Festo SANCTI RUSTICI, Narbonensis Episcopi.

*Semiduplex.*

*De Comm. unius Pontificis. Oratio.* Dirige. xxij.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

LECTIO IV.

*Ex Hist. gen. Occit.*

RUsticus, Bonóso patre in Gállia Narbonensi natus, à matre víduâ, Aratóris Epíscopi soróre, summo stúdio lítteris Christianáque religióne informátus est; deinde Romam missus, ut liberálibus disciplínis ibi méliùs instituerétur. Studiórum currículum Romæ mirâ cum laude emensus, spretis mundi illécebris, dignitatumque spe abjectâ monásticam vitam amplecti secum ánimo cogitávit. Eâ tamen de re priùs Hierónymū, tum témporis scripturárum sciéntiâ ac famâ sanctitátis toto orbe célebrem, consultum vóluit; qui missis ad Rústicum lítteris, eíque vitæ reguláris formâ summátim tráditâ, illum nihil récrtius satiusque factúrum admónuit, quàm si in amplectendo eo vitæ génere,

Exúperum, Proculúmque totis víribus imitarétur. Quapropter in Gálliam reversus Tolósam se cóntulit: ibíque Exúpero duce, in monastérium ingressus, ita brevi miro ómnium virtútum splendóre præfulsit, ut Massíliæ présbyter primùm factus; non multò post, mórtuo Hilário Narbonensi Epíscopo, in ejus locum suffectus fúerit, atque invitus ordinátus die nonâ Octobris, anno quadringentésimo vigésimo séptimo.

Lectio v.

Grassabátur tum témporis in Gállia Narbonensi Arianórum hærésis, quam secum Gothórum duces in has regiónes paulò antè addúxerant: fervébant prætérea Bárbaros inter & Romános contínua ferè bella, ac dirè crudescébant. Cùm autem è bellórum tumultu, hæreseósque perturbatiónibus major in dies emérgeret morum corruptéla, dubiaque multa ad disciplínam Ecclésiæ pertinéntia suborirentur, sedem Apostólicam consúluit, missis ad sanctum Leónem Epístolis, quibus vacatiónem ab Episcopátûs labóribus peroptáre se significávit, malléque in siléntio, & ótio salutári vitam dégere. Cui sanctus Leo per lítteras ánimos áddidit, solutísque propósitis dúbiis, eum spe cœléstis auxílii communívit. Tum véterem sedis suæ Basílicam longè ánteà igne consúmptam, piâ cleri populíque liberalitáte, ac potíssimum Marcelli Galliárum præfecti munéribus, quadriénnio reædificávit. Anno autem Episcopátûs sui trigésimo altáre marmóreum Ecclésiæ Minervensis consecrávit, ut téstátur vetus inscríptio huic altári insculpta. Tandem quadriénnio pòst, annis meritísque plenus ábiit ad Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio vi. c. 10. 11.

*Bonus Pastor.*

In illo témpore: Dixit Jesus quibusdam ex Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

*Epist. 2. al. 92. ad Rustic. Narb. Episc.*

Secundùm Apostólicam prædicatiónem: Omnes qui volúerint in Christo piè vívere, persecutiónem patientur. Quæ non in eo tamen computanda est, quòd contra

Christiánam religiónem, aut ferro, aut ígnibus ágitur, aut quibuscumque supplíciis; cùm persecutiónum sævítiâ súppleant; & dissimilitúdines morum, & contumélíæ inobediéntium, & malignántium tela linguárum. Quibus conflictatiónibus, cùm ómnia semper membra pulsentur, & nulla piórū pórtio à tentatióne sit líbera, ita ut perículis nec ótia cáreant, nec labóres; quis inter fluctus maris navim díriget, si gubernátor abscédat? Quis ab insídiis lupórum oves custódiet, si Pastóris cura non vígilet? Permanendū ergo est in ópere crédito, & in labóre suscepto. Constanter tenenda est justítia, & benignè præstanda cleméntia. Odio habeantur peccatóres, non hómines. Corripiantur túmidi; tolerentur infirmi: & quod in peccátis sevériùs castigári necesse est, non sævientis, sed medentis plectátur ánimo. At si veheméntior tribulátio incubúerit, non ita expavescámus quasi ulli adversitáti própriis víribus resistendo; cùm & consílium nostrum & fortitúdo sit Christus; ac, sine quo nihil póssumus, per ipsum cuncta possímus.

DIE XXVII.
In Vigilia
SS. APOSTOLORUM
SIMONIS ET JUDÆ.

*Lectio j, de Scripturâ, ex tribus una.*

℟. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium Géntium; * Et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. *Is. 52. 10.* ℣. Sedéntibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. *Matt. 4. 16.* * Et vidébunt.

Ex Apología prima sancti Justini Mártyris ad Imperatórem Antonínum Senatumque Románū.

LECTIO II.

*Script. anno 150. §. 40.*

Audíte quómodo & de iis prædictum sit, qui ejus doctrínam prædicavérunt & adventū nuntiârunt, prophétâ & Rege sic dicente per spíritum prophéticum: In omnem terram éxivit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. His autem ália quoque ejusdem Davídis vaticínia adjícere, præclárum ac hujus loci próprium esse dúximus, ex quibus díscere potestis, quómodo hómines vívere Spíritus prophéticus hortétur; quómodo factam ab Heróde Judæórum rege, ipsísque Judæis cum Piláto vestro

apud eos procuratóre ejusque milítibus, adversùs Christum coitiónem narret: quómodo creditúros in illum qui ex omni hóminũ génere vocáti sunt; eumque à Deo vocári Fílium dicat, ac Patrem pollicéri subjectúrum se illi omnes inimícos: tum étiam quómodo dæmones, quantùm in ipsis est, paréntis universórum & Dómini Dei, ipsiusque Christi potestátem effúgere conentur; quómodo dénique omnes Deus ad pœniténtiam vocet ántequã dies judícii advéniat.

℟. Addent mites in Dómino lætítiam, * Et páuperes hómines in sancto Israël exultábunt. *Is.* 29. 19. ℣. Quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. *Act.* 2. v. 21. * Et.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. c. 15. 1.

*Christus vitis vera.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract.* 80. *n.* 1. *&* 2.

QUid est, Ego sum vitis vera? Numquid ut ádderet Vera, hoc ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dícitur vitis per similitúdinem, non per proprietátem: quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, & cætera hujúsmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitúdines, non proprietátes. Sed cùm dicit, Ego sum vitis vera, ab illa se útique discernit, cui dícitur, Quómodo conversa es in amaritúdinem, vitis aliéna? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectáta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas? Ego sum, inquit, vitis vera, & Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola & vitis? Secundùm hoc ergo vitis Christus, secundùm quod ait, Pater major me est: secundùm autem id quod ait, Ego & Pater unum sumus, & ipse agrícola est. Nec talis, quales sunt qui extrínsecùs operando éxhibent ministérium; sed talis, ut det étiam intrínsecùs increméntum. Nam neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

℟. Audient in die illa surdi verba libri, * Et de ténebris & calígine † Oculi cæcórum vidébunt.

*Isai.* 27. 18. ℣. Appropinquávit regnum cœlórum. *Matt.* 10. 7. * Et de. ℣. Glória. † Oculi.

*Preces flexis genibus.*

*Oratio.*

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut sicut Apostolórum tuórum Simónis & Judæ gloriósa natalítia prævenímus, sic ad tua beneficia promerenda majestátem tuam pro nobis ipsi prævéniant; Per Dóminum nostrum.

*Fiunt Suffragia.*

DIE XXVIII.

In Festo SS. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

*Duplex-majus.*

*Omnia de Communi Apostolorum. p. j.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Lectiones de Scripturâ occurrente.*

*IN II. NOCTURNO.*

Ex Commentário sancti Hierónymi Presbyteri, in Matthæum.

LECTIO IV. *lib.* 1. c. 10.

Simon Cananæus, ipse est qui in álio Evangelista scríbitur Zelótes; Cana quippe Zelus interpretátur. Thaddæum Apóstolum Ecclesiástica tradit história missum Edessam ad Abgarũ regem Chosidénæ; qui ab Evangelista Luca Judas Jacóbi dícitur, & álibi appellátur Lebæus, quod interpretátur Córculus: credendumque est eum fuisse trinómium; sicut Simon, Petrus; & filii Zebedæi, Boanerges, ex firmitáte & magnitúdine fídei nomináti sunt.

Ex libro ejusdem, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

LECTIO V. c. 4.

Judas frater Jacóbi, parvam quidem quæ de septem Cathólicis est, Epístolã relíquit. Et quia de libro Enoch, qui apócryphus est, in ea assúmit testimónium, à plerísque rejícitur; tamen auctoritátem vetustáte jam & usu méruit, & inter sanctas Scriptúras computátur.

Ex libello sancti Adónis Epíscopi, de festivitátibus Apostolórum.

LECTIO VI. c. 1.

Thaddæus apud Mesopotámiam, Simon verò apud Ægyptum tráditur prædicasse: inde simul Pérsidem ingressi, cùm fidei Christi innúmeram gentis ipsíus multitúdinem subdidíssent, & Ecclésiam Dómini latè jam fundátam vidérent, martyrium ibi, cursum témporis explentes, beáto certámine consummavérunt: honorífiçè sepulti à pópulis Christiánis, quos Dómino ipsi genúerant,

Quod quidam putant Simónem Apóstolum unum de Duódecim, ipsum esse qui sub Trajáno crucem passus sit, omníno falsum est. Nam & Beda sanctus Présbyter, qui hoc super Acta Apostolórum sentit, Isidórum secútus, in libro Retractatiónum se hoc non bene sensisse reprehendit. Sed & história Ecclesiástica, non de Apóstolo, sed de álio Simóne gesta narrat.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola Cathólica beáti Judæ Apóstoli.

LECTIO VII. v. 1.

*Judas frater Jacobi.*

JUdas Jesu Christi servus, frater autem Jacóbi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Jesu conservátis, & vocátis. Misericórdia vobis, & pax, & cháritas adimpleátur. Charíssimi, omnem sollicitúdinem fáciens scribendi vobis de commúni vestra salúte, necésse hábui scríbere vobis: déprecans supercertári semel tráditæ sanctis fídei. Subintroiérunt enim quidam hómines (qui olim præscripti sunt in hoc judícium) ímpii, Dei nostri grátiam transferentes in luxúriam, & solum Dominatórem & Dóminum nostrum Jesum Christum negantes.

LECTIO VIII. v. 17.

*Apostolorum simus memores.*

VOs autem, charíssimi, mémores estóte verbórum, quæ prædicta sunt ab Apóstolis Dómini nostri Jesu Christi, qui dicébant vobis, quóniam in novíssimo témpore vénient illusóres, secundùm desidéria sua ambulantes in impietátibus. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animáles, Spíritum non habentes. Vos autem, charíssimi, superædificantes vosmetipsos sanctíssimæ vestræ fídei, in Spíritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectióne Dei serváte; expectantes misericórdiam Dómini nostri Jesu Christi in vitam ætemam.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO I. c. 14. 19.

*Christus à Juda interrogatus.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Adhuc módicum, & mundus me jam non videt; vos autem vidétis me. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract. 76. n. 1.*

QUia díxerat Dóminus, Adhuc módicum, & mundus me jam non videt; vos autem vi-

débitis me : interrogávit eum de hoc ipso Judas, non ille tráditor ejus, qui Iscariótes cognominátus est, sed cujus Epístola inter Scriptúras canónicas légitur : Dómine, quid factum est, quia nobis manifestatúrus es teipsum & non mundo ? Simus cum ipsis tamquam interrogantes discípuli, communemque magistrum audiámus & nos. Judas enim sanctus, non immundus, nec insectátor Dómini, sed sectátor, causam quæsívit quare se non mundo, sed suis manifestatúrus esset Jesus : quare adhuc módicum, & mundus non víderet eum, ipsi autem víderent eum. Respondit Jesus, & dixit ei : Si quis díligit me, sermónem meum servábit, & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & mansiónem apud eum faciémus. Qui non díligit me, sermónes meos non servat. Ecce expósita est causa, quare se suis manifestatúrus est, non aliénis quos mundi nómine appellat; & ipsa est causa quòd hi díligant, illi non díligant. Ipsa causa est de qua sacer ínsonat Psalmus, Júdica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Qui enim díligunt, quia díligunt, eliguntur : qui verò non díligunt, si linguis hóminum loquantur & Angelórum, fiunt æramentum sonans & cymbalum tínniens.

*Oratio.*

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : da nobis sanctórum tuórum Simónis & Judæ glóriam sempiternam & proficiendo celebráre, & celebrando proficere ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum.

DIE XXX.

AD VESPERAS.

*Fit commem. S. Marcelli, Mart. Ant.* Pro certo, ℣. Justus. *p.* vij. *Oratio infrà.*

DIE XXXI.

In Vigilia SANCTORUM OMNIUM.

*Omnia de Feria, exceptis sequentibus.*

*Lectio prima de Scriptura occurrente ; ex tribus una.*

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*Tom.* 1. *nov. edit. p.* 1058.

LECTIO II.

Sanctórum festa præcípua patrum sanxit autóritas votívis præveniendа jejúniis : utíliter planè, & non ad insi-

iam nobis, si adsue-
ui advertat. Multa
dem quotídiè peccáta
áhimus, & in multis
dimus omnes. Nec
n omnínò est cele-
das suscípere festivi-
sacras, maximéque
uæ máximæ sunt, ni-
is abstinéntiæ puri-
óne præmissâ, quò
gnióres, & capació-
nveniámur spirituá-
gaudiórum. Si nec
s sine modéstia &
úndia quadam ad
tórum præsúmit àc-
e laudes: quantò
s peccátor, in cujus
on est laus speciósa.
proinde qui stolam
, dico autem glóriam
iéntiæ suæ, sollíciti
omni témpore con-
re immaculátam. Sed
pauci sunt, necesse
requenti abstinéntiâ
llas diluere subin-
es, præcípuè cùm
pua quælibet solém-
advénerit celebran-

o sancti Evangélii
cundùm Lucam.

IO III. c. 6. v. 20.
*istus docet beatitu-
dines.*

illo témpore: Ele-
tis Jesus óculis in
ulos suos, dicébat:
páuperes; quia ve-
est regnum Dei. Et
ia.

Homília sancti Ambrósii
Epíscopi.

*Expos. Ev. sec. Luc. l. 5.*

NUnc dicámus quemádmodum in quátuor benedictiónibus sanctus Lucas benedictiónes sit octo complexus. Et quidem scimus virtútes esse quátuor cardináles, Temperántiam, Justítiam, Prudéntiam, Fortitúdinem. Qui pauper est spíritu, avárus non est. Qui flet, non superbit, sed mitis est & pacátus. Qui luget, humiliátur. Qui justus est, non negat quod scit ómnibus ad usum commúniter datum. Qui miserétur, largítur de suo. Qui suum donat, non quærit aliénum, nec dolum próximo struit. Connexæ ígitur sibi sunt, concatenatæque virtútes; ut qui unam habet, plures habére videátur: & sanctis una cómpetit virtus, sed ejus quæ fúerit ubérior, ubérius est præmium.

*De sancto Marcello Martyre.*

LECTIO IV.

MArcellus in persecutióne Antoníni Veri, unus ex quinquaginta martyribus qui in ergástulis Lugdúni sub arcta custódia detinebantur, patefacto divínitùs cárcere, unà cum Valeriáno aufúgit. Cumque Latínum,

quemdam à quo Cabilóne hospítio susceptus fúerat, cum omni domo convertisset ad Christum, Argentomagensis ággeris vicum pétiit. Ibi forte in Priscum præsidē diis suis immolantem incurrens, ab eódem ad prophánum convívium invitátus, non ábnuit modò, sed étiam convívas ácriter reprehendit. Quam ob rem irátus vehementer Præses, inaudíto supplícii génere, vivum in terram ad renes usque défodi jussit, sicque rectum stare. In hunc modum secundo à Cabilóne millʼário, tértio die, in Dei láudibus persevérans réddidit spíritum. Guntchramnus rex super ejus túmulum Basílicam cum monastério extruxit.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 3. D. Justórum sémita quasi lux splendens procédit & crescit usque ad perfectum diem. *Prov.* 4. 18.

*Preces flexis genibus.*

*Oratio.*

Domine Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam; & quorum prævenímus gloriósa solémnia, tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam; Per Dóminum.

*Fit commem. S. Marcelli, Martyris. Ant.* Vità. ℣. Justus ut. *p.* x.

*Oratio.*

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris; & intercessióne beáti Marcelli Mártyris, perpétuam nobis misericórdiam benignus impende; Per Christum.

*Deinde commemoratio de Cruce, & pro Pace, ut in Psalterio, non fiunt aliæ commemorationes.*



# FESTA NOVEMBRIS.

## DIE I.

## IN FESTO SANCTORUM OMNIUM.

*SOLEMNE-MAJUS.*

### IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* 1.D. Addúcet illos Dóminus cum jucunditáte in lúmine majestátis suæ cum misericórdia. *Baruch.* 5. 9.

*Ant.* 2.D. Servos suos vocábit nómine álio: quia oblivióni tráditæ sunt angústiæ prióres. *Is.* 65. *v.* 15. 16.

*Ant.* 3. a. Accípient regnum decóris & diadéma speciéi de manu Dómini. *Sap.* 3. 17.

*Ant.* 5.C. Lætabuntur, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victóres captâ prædâ. *Isai.* 9. *v.* 3.

*Ant.* 6.F. Tabernáculum erit in securitátem & abconsiónem à túrbine & à plúvia. *Is.* 4. 6.

*Capitul.* Is. 65. 23. 24.

Electi mei non laborábunt frustrà, quia semen benedictórum Dómini est, & nepótes eórum cum eis: adhuc illis loquéntibus, ego áudiam.

℟. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine; * Et torrente voluptátis tuæ potábis eos: † Quóniam apud te est fons vitæ. *Ps.* 35. 9. 10.

℣. Agnus qui in médio throni est, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Apoc.* 7. 17. * Et torrente. ℣. Glória. † Quóniam.

*Hymnus.* Cœlo quos éadem glória, *ut in II. Vesperis.*

℣. Dómine, in justítia tua exaltabuntur; ℟. Quóniam glória virtútis eórũ tu es. *Ps.* 88. 17. 18.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 7.G. Fulgébunt justi, judicábunt natiónes, & dominabuntur pópulis; & regnábit Dóminus illórũ in perpétuum, allelúia. *Sap.* 3. 7. 8.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

AD OFFIC. NOCT.

*Invit.* Sanctum Sanctórum Dóminum,* Veníte, adorémus. *Dan.* 9. 24.

*Psal.* Veníte. 2.

*Hymnus.* S. V.

Vos sancti Próceres, vos Súperū chori,
Cœli quotquot habet Régia príncipes,
Nostros nunc date vestris
Cantus júngere cántibus.

Primis ante álios, glória Cœlitum,
Christi Virgo parens fulget honóribus,
Divinóque sevérum
Flectit pignore Júdicem.

Astant Spiríituū mille ácies throno,
Regi sancta ferunt vota cliéntium,
Hìc Baptista profundo
Lucis flúmine mérgitur.

Quorum núntia vox orbis ad últimas,
Christum vox résonans intónuit plagas;
Præcónes duodéni
Sacris Vátibus ássident.

Fuso purpúrei sánguine Mártyres,
Et puro níveæ péctore Vírgines,
Agno cándida fundunt
Rubris lília cū rosis,

Qui pavêre suos præpósiti greges,
Páscuntur súpero Númine plénius;
Qui flevêre, serénus
Abstergit lácrymas Pater.

A quo cuncta fluunt, máxima laus Patri;
Qui mundum réparat, máxima Fílio;
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini. Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Psalmi de Dominica ad integrum Officium.*

*Ant.* 4. f. Sperastis in Dño in sǽculis ætérnis, in Dómino Deo forti in perpétuum. *Is.* 26. 4.

*Ant.* 7. d. Vos genus eléctum, regále sacerdótiū, gens sancta, pópulus acquisitiónis. 1. *Petr.* 2. 9.

*Ant.* 3. g. Oráte pro vita regis, & ut det Dñs virtúté nobis, & illúminet óculos nostros. *Bar.* 1. 11. 12.

℣. In ætérnum exultábunt, Dñe, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5. 12.

Ex libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

Lectio I. c. 4. v. 2.

*Visio quatuor animalium ter Sanctum glorificantium.*

Ecce sedes pósita erat in cœlo, & supra sedem sedens. Et qui sedébat, símilis erat as-

pectui lápidis jáspidis & sárdinis : & iris erat in circúitu sedis, símilis visióni smarágdinæ, & in circúitu sedis sedília vigínti quátuor. Et super thronos viginti quátuor senióres sedentes, circumamícti vestimentis albis, & in capítibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua : & septem lámpades ardentes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei. Et in conspectu sedis tamquam mare vítreum símile crystallo : & in médio sedis, & in circúitu sedis, quátuor animália plena óculis antè & retrò. Et ánimal primum símile leóni, & secundum ánimal símile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volanti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas : & in circúitu & intùs plena sunt óculis : & réquiem non habébant die ac nocte dicéntia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui est, & qui ventúrus est.

℟. 1. Quis in núbibus æquábitur Dómino, símilis erit Deo in filiis Dei? * Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum, magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt. *Ps.* 88. *v.* 7. 8. ℣. Rex Regum & Dóminus dominántium. *Apoc.* 19. 16. * Deus qui.

LECTIO II. c. 5. v. 1.

*Agnus occisus ab origine mundi, stans in medio throni.*

Vidi in déxtera sedentis supra thronū, librum scriptum intùs & forìs, signátum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magnâ : Quis est dignus aperíre librum, & sólvere signácula ejus? Et nemo póterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperíre librum, neque respícere illum. Et ego flebam multùm, quóniam nemo dignus inventus est aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de senióribus dixit mihi : Ne fléveris; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum & sólvere septem signácula ejus. Et vidi : & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio seniórum, Agnum stantem tamquam occísum, habentem córnua septem & óculos septem, qui sunt septem spíritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, & accépit

de déxtera sedentis in throno librum. Et cùm aperuisset librum, quátuor animália & viginti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habentes sínguli cítharas & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes Sanctórum.

℟. II. Benedícta es tu, filia, à Dómino Deo excelso * Præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13. 23. ℣. Ave, María, grátiâ plena; Dóminus tecum; benedicta tu. *Luc.* 1. 28. * Præ ómnibus.

LECTIO III. v. 9.

*Sedentem in throno, & Agnum glorificant millia millium Angelorum.*

CAntábant cánticum novum, dicentes: Dignus es, Dómine, accípere librum & aperíre signácula ejus, quóniam occísus es, & redemisti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & pópulo, & natióne: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdótes: & regnábimus super terram. Et vidi, & audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, & animálium, & seniórum: & erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ: Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honóre, & glóriam, & benedictiónem. Et omnem creatúram quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audívi dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & potestas in sécula seculórum. Et quátuor animália dicébant: Amen. Et viginti quátuor senióres cecidérunt in fácies suas, & adoravérunt viventem in sécula seculórum.

℟. III. Erat númerus Angelórum míllia mílliũ dicéntium: * Sedenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, † Et potestas in sécula seculórum. *Apoc.* 5. 11. 13. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, & décies míllies centéna míllia assistébant ei. *Dan.* 7. 10. * Sedenti. ℣. Glória. † Et.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. c. Estis cives sanctórum & doméstici Dei. *Ephes.* 2. 19.

*Ant.* 2. D. De ténebris (Deus) vos vocávit in admirábile lumen suum. 1. *Petr.* 2. 9.

*Ant.* 6. F. Oráte ut respíciat Dóminus pópulum suum. *Judith.* 8. 2.

℣. Novit Dóminus dies immaculatórum, ℟. Et

hærédítas eórum in ætternum erit. *Ps. 36. 18.*

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*Serm. 5. in Fest. Omnium Sanctorum, num. 1.*

Lectio IV.

FEstíva nobis est dies hæc, & inter præcípuas solemnitátes numerátur. Nóvimus festivitátem Omnium Sanctórum dici & esse quam hódie celebrámus: ómnium, inquam, sive cœléstium, sive terréstrium. Sunt enim Sancti de cœlo; & sunt Sancti de terra. Itemque eórum qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, áliqui jam in cœlo. Celebrátur ergo festívitas ómnium horũ commúniter, sed fórsitan non unifórmiter: nec modò dico, quia álius álio sánctior, verùm étiam quòd áliter atque áliter sanctos dici, & verè dici inveniámus. In Angelis honoranda benígnitas Dei, non ad pœniténtiam addúcens; sed abdúcens ab ómnibus quibus pœniténtia deberétur; non erípiens à tentatióne, sed à tentatióne consérvans. Aliud sanè in his sanctitátis genus vidétur honorandum, qui venérunt ex magna tribulatióne, & dealbavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℟. IV. Illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: * Cum sémine eórum pérmanent bona, hærédítas sancta nepótes eórum. *Eccli. 44. 10. 11. 12.* ℣. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissiónibus, sed à longè eas aspicientes. *Heb. 11. 13.* * Cum.

Lectio V.

*Ibid. num. 2.*

EStne adhuc Sanctórum tértium genus? Est, sed occultum. Sunt enim Sancti qui adhuc mílitant; currunt, necdum comprehendérunt. Hæc nimírum divérsitas appellatiónis in nómine sanctitátis; ut álii quidem jam secundùm consummatiónem Sancti vocentur, álii juxta solam adhuc prædestinatiónem. Latet ergo hujúsmodi sánctitas penes Deum: clausa est, & clausè quodámmodò celebrátur. Sit ergo istórum celébritas Sanctórum in corde Dei; quóniam novit Dóminus qui sunt ejus. Nos in vita sua hóminem laudáre prohibémur. Quómodò namque secúra laudátio, ubi nec vita ipsa secúra? Illórum lauda virtútẽ, quórum jam certa victória est. Tota ínterim beatitúdo nostra est timére

Deum, dicente Scriptúrâ: Beátus homo qui semper est pávidus. Et item Psalmista ait: Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

℟. v. Non sunt loquélæ neque sermónes quorum non audiantur voces eórum: * In omnem terram exívit sonus eórum, † Et in fines orbis terræ verba eórum. Ps. 18. 4. 5. ℣. Illi profecti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperante, & sermónem confirmante. *Marc.* 16. 20. * In omnem. ℣. Glória Patri. † Et in fines orbis terræ.

LECTIO VI.

*Ibid. num.* 5.

AD quid Sanctis laus nostra? ad quid nostra hæc ipsa solémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Filii promissiónem honoríficat Pater cœlestis? Quò eis præcónia nostra? Pleni sunt. Prorsùs ita est, dilectíssimi, honórum nostrórum Sancti non egent, nec quidquam eis nostrâ devotióne præstátur. Planè, quòd eórum memóriam venerámur, nostrâ intereſt, non ipsórum. Vultis scire quantùm intereſt nostrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne séntio desidérium véhemens inflammári; ut eórum tam optábili societáte fruámur, & mereámur concíves & contubernáles esse Spirítuum beatórum, miscéri cœtui Patriarchárum, cúneis Prophetárum, senátui Apostolórum, Mártyrum exercítibus numerósis, Confessórum collégiis, Vírginum choris; in ómnium dénique cólligi & collætári communióne Sanctórum.

℟. vi. Ipsi vicérunt propter sánguinem Agni, & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem; * Proptéreà lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. *Apoc.* 12. 11. 12. ℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento ætérnæ vitæ effecti sunt. 2. *Machab.* 7. 36. * Proptéreà. ℣. Glória. * Proptéreà. *Resumitur* Ipsi vicérunt propter.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Vos filii lucis estis & filii diéi. 1. *Thess.* 5. 5.

*Ant.* 8. G. Rogámus vos & obsecrámus in Dómino Jesu. 1. *Tim.* 4. 1.

*Ant.* 5. a. Pro nobis ipsis oráte ad Dóminum Deum nostrum. *Baruch.* 1. 13.

℣. Plantáti in domo Dómini, ℟. In átriis domûs Dei nostri florébunt. *Ps.* 91. 14.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio VII. c. 2. v. 7. *Sapientia mundo abscondita.*

LOquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sécula in glóriam nostram, quam nemo príncipum hujus séculi cognóvit: si enim cognovissent, numquã Dóminum glóriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quòd óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum: nobis autem revelávit Deus per Spíritum suum. Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profunda Dei. Quis enim hóminum scit quæ sunt hóminis, nisi spíritus hóminis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei. Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis.

℟. VII. Justi in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum, * Et cogitátio eórum apud Altíssimum. *Sap. 5. 16.* ℣. In conspectu Dei sedent in sedibus suis. *Apoc. 11. 16.* * Et cogitátio.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio VIII. c. 1. v. 3. *Elegit nos Deus ut simus sancti.*

BEnedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti & immaculáti in conspectu ejus in charitáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónẽ filiórum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propósitũ voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilecto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secundùm divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia & prudéntia: ut notum fáceret nobis sacramentũ voluntátis suæ, secundùm beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum.

℟. VIII. Justítiâ plena est déxtera tua, Dómine: lætétur mons Sion; * Exultent fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómi-

ne. *Ps.* 47. 11. 12. ℣. Sine mácula sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14. *v.* 1. * Exultent.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 5. v. 1.

*Christus octo tradit beatitudines.*

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eũ discípuli ejus, & apériens os suum docébat eos. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

*De unitate Ecclesiæ.*

SI fílii Dei sumus, pacífici esse debémus. Beáti, inquit, pacífici, quóniam ipsi fílii Dei vocabuntur. Pacíficos esse oportet Dei fílios, corde mites, sermóne símplices, affectióne concordes, fidéliter sibi unanimitátis néxibus cohærentes. Hæc unanímitas sub Apóstolis olim fuit; sic novus credéntium pópulus Dómini mandáta custódiens, charitátem suam ténuit. Probat Scriptúra divína, quæ dicit: Turba autem eórum qui credíderant, ánimâ & mente unâ agébant. Et íterùm: Et erant perseverantes omnes unánimes in oratióne. Et ídeò efficácibus précibus orábant, ídeò impetráre cum fidúcia póterant quodcúmque de Dómini misericórdia postulábant. In nobis verò sic unanímitas diminúta est, ut & lárgitas operatiónis infracta est.

℟. IX. Nunc oráte Deum ómnium qui magna fecit in omni terra, * Det nobis jucunditátem cordis, & fíeri pacem in diebus nostris in Israël † Per dies sempiternos. *Eccli.* 50. *v.* 24. 25. ℣. Fidélis est qui vocávit vos, qui étiam fáciet; oráte pro nobis. 1. *Thess.* 5. 24. 25. * Det nobis. ℣. Glória. † Per. *Resumitur* Nunc.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus; ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátē sibi. *Ps.* 32. 12.

*Ant.* 1. f. AMicti stolis albis & palmæ in mánibus eórum, clamábant voce magnâ. *Apoc.* 7. 9.

*Ant.* 2. D. Cecidérunt in conspectu throni in fácies suas, & adoravérunt Deũ. *Apoc.* 7. 11.

*Ant.* 3. a. Sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc.* 7. 15.

*Ant.* 4. E. Benedícite Dóminum, omnes electi ejus: ágite dies lætítiæ, & confitémini illi. *Tob.* 13. *v.* 10.

*Ant.* 5. a. Filii Sanctórum sumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his qui fidē suam numquam mutant ab eo. *Tob.* 2. 18.

*Capitulum.* 2. Cor. 5. 1.

SCimus quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes.

*Hymnus.* S. V.

HYMNIS dum résonat
cúria Cœlitum,
Hìc flemus pátriis finibus
éxules;
Hìc suspensa tenémus
Mutis cántibus órgana.

QUANDO mens mísero
líbera cárcere
Se vestris sóciam cœtibus
ínseret;
Et, calígine pulsâ,
Cœli lucem habitábimus?

OBSCURÆ fúgient mentis imágines,
Cùm stantes própiùs lúminis ad jubar,
Nos Verū sine nube
Ipso in fonte vidébimus.

NOBIS, sancta cohors,
sis bona: flúctibus
Luctantes médiis, quos
modò réspicis,
Da portus, duce
Christo,
Da contíngere próspe-
ros.

A quo cuncta fluunt,
máxima laus Patri;
Qui mundum réparat,
máxima Filio;
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

℣. Mirábilis Deus in Sanctis suis, ℟. Magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus. *Ps.* 65. 35. 36.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 5. C. Dux fuisti in misericórdia tua pópulo quem redemisti; & portasti eum in fortitúdine tua ad habitáculum sanctum tuum, allelúia. *Exod.* 15. 13.

*Oratio.*

OMnípotens sempiterne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuis celebritáte venerári; quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris; Per Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

*Ant.* 1. f. Amicti.

*Resp. brevibus adduntur duo* Allelúia, *hodie & per totam Octavam.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

*Seff. 25. de invocat. SS.*

MAndat sancta Synodus ómnibus docendi munus curamque sustinéntibus, ut....fidéles diligenter ínstruant, docentes eos, Sanctos unà cum Christo regnantes, oratiónes suas pro homínibus Deo offerre: bonū atque útile esse supplíciter eos invocáre: & ob benefícia impetranda à Deo per Fílium ejus Jesum Christum, qui solus noster Salvátor & Redemptor est, ad eórum oratiónes, opem, auxíliumque confúgere.

AD TERTIAM.

*Ant.* 2. D. Cecidérunt.

*Capitulum.* Apocal. 4. 10.

PRocidébant viginti quátuor senióres ante sedentem in throno, & adorábant viventem in sécula seculórum.

℟. *br.* Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Beáti. ℣. In sécula seculórum laudábunt te. *Pf.* 83. 5. * Allelúia. ℣. Glória Patri. *Repet.* Beáti.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte, justi; ℟. Et gloriámini omnes recti corde. *Pf.* 31. 11.

AD SEXTAM.

*Ant.* 3. a. Sunt.

*Capitulum.* If. 43. v. 21.

POpulum istum formávi mihi, laudem meam narrábit.

℟. *br.* Vox exultatiónis & salútis, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Vox. ℣. In tabernáculis justórum. *Pf.* 117. 15. * Allelúia, allelúia. ℣. Glória Patri. *Rep.* Vox exultatiónis & salútis.

℣. Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, ℟. Et justítiâ tuâ exultábunt. *Pf.* 144. 7.

AD NONAM.

*Ant.* 5. a. Fílii Sanctórū.

*Capitulum.* 1. Joan. 3. 2.

NUnc filii Dei sumus: & nondùm appáruit quid érimus. Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus: quóniam vidébimus eum sícuti est.

℟. *br.* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? * Allelúia, allelúia. *Repet.* Quis. ℣. Volábo, & requiescam. *Psal.* 54. 7. * Allelúia. ℣. Glória Patri. *Rep.* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?

℣. Exultáte, justi, in Dómino, ℟. Rectos decet collaudátio. *Pf.* 32. 1.

AD II. VESPERAS.

*Antiphonæ de Laudibus.*

*Capitulum.* 1. Cor. 2. 9.

OCulus non vidit, nec auris audívit,

ec in cor hóminis ascenit, quæ præparávit Deus s qui diligunt illum.

*Hymnus.* S. V.

CŒLO quos éadem glória cónsecrat,
'erris vos éadem concélebrat dies:
æti vestra simul præmia pángimus,
Duris parta labóribus.

JAM vos pascit amor, nudaque Véritas;
le pleno bibítis gáudia flúmine;
llic perpétuam mens sátiat sitim
Sacris ébria fóntibus.

ALTIS secum hábitans in penetrálibus,
e Rex ipse suo contúitu beat;
llabensque, suî pródigus, íntimis
Sese méntibus ínserit.

ALTARI médio, cui Deus ínsidet,
gni fumat adhuc innócuus cruor:
Quæ mactáta Patri se semel óbtulit,
Se jugis litat hóstia.

PRONIS turba senum cérnua fróntibus,
nter tot rútili fúlgura lúminis,
legnanti Dómino dévovet áurea,
Quæ ponit, diadémata.

GENTES innúmeræ, conspícuæ stolas,
Agni purpúreo sánguine cándidas,
Palmís læta cohors, cántibus æmulis
Ter Sanctum célebrant Deum.

SIT laus summa Patri, summaque Fílio;
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus,
Qui das pro méritis, óptimus árbiter,
Te totum simul ómnibus.
Amen.

℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, ℟. Et sancti tui benedícant tibi, *Psal.* 144, 10.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 6. F. O quàm gloriósum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti! amicti stolis albis, sequuntur Agnum quocumque íerit.

*Post* Benedicámus, *dicuntur Vesperæ Defunctorum, p.* cxxiij. *&* *dictis Precibus cum Ps.* Lauda ánima, *&* ℣℣. *dicitur sola Oratio* Fidelium.

DIE II.

In Commemoratione OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

*Duplex-majus.*

*Omnia ut in Officio Defunctorum pag.* cxxvij, *exceptis sequentibus.*

*IN I. NOCTURNO.*

De libro Job.

LECTIO I. c. 7. 16.

*Petit à Deo liberari à miseriis.*

PArce mihi, Dómine; nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? Aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimittis me ut glútiam salívam meam? Peccávi; quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuisti me contrárium tibi, & factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátē meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam: & si manè me quæsíeris, non subsistam.

℟. I. Quóniam. cxxix.

LECTIO II. c. 10. 1.

*Job suam afflictionem lamentatur.*

TÆdet ánimam meam vitæ meæ; dimittam adversùm me elóquium meum; loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre: índica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, & anni tui sicut humána sunt témpora: ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de manu tua possit erúere.

℟. II. Miseréris. cxxx.

LECTIO III. *Ibid.* v. 8.

*Job Deum deprecatur ut sui misereatur.*

MAnus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu: & sic repentè præcípitas me? Memento, quæso, quòd sicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut cáseum me coagulasti? Pelle & cárnibus vestisti me: óssibus & nervis compegisti me: vitam & misericórdiam tribuisti mihi, & visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. III. Ne tradas. cxxx.

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

*Lib. de cura pro mortuis, cap. 1.*

LECTIO IV.

GEnere vitæ, quod gessit quisquis per corpus, efficitur ut prosint quæcūque pro illo

piè fiunt, cùm relíquerit corpus. Nam méritum per quod ita prosint, si nullũ comparátum est in hac vita, frustrà quæritur post hanc vitam. Ita fit, ut neque ináníter Ecclésia, vel suórum cura pro defunctis, quod potúerit religiónis impendat; & tamen ferat unusquísque secundùm ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum, reddente Dómino unicuíque secundùm ópera ejus. Ut enim hoc quod impénditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita acquisítum est, quam gessit in córpore.

℟. IV. Qui dórmiunt. pag. cxxxiij.

Lectio V. *Ibid.* c. 18.

Non existimémus ad mórtuos, pro quibus curam gérimus, perveníre, nisi quod pro eis sive altáris, sive oratiónum, sive eleemosynárum sacrifíciis solémniter supplicámus: quamvis non pro quibus fiant, ómnibus prosint, sed iis tantùm, quibus dum vivunt, comparátur ut prosint. Sed quia non discérnimus qui sint, oportet ea pro regenerátis ómnibus fácere, ut nullus eórum prætermittátur ad quos hæc benefícia possint & débeant perveníre. Mélius enim supérerunt ista eis quibus nec obsunt nec prosunt, quàm eis déerunt quibus prosunt. Diligentiùs tamen facit hæc quisque pro necessáriis suis, quò pro illo fiant simíliter à suis.

℟. V. Sancta & salúbris. cxxxiij.

Lectio VI. *Ibid.*

Corpori autem humando quidquid impénditur, non est præsídium salútis, sed humanitátis offícium, secundùm affectum, quo nemo unquam carnem suam ódio habet. Unde oportet, ut quam potest, pro carne próximi curam gerat, cùm ille inde recésserit, qui gerébat. Et si hæc fáciunt qui carnis resurrectiónem non credunt, quantò magis debent fácere qui credunt, ut córpori mórtuo, sed tamen resurrectúro, & in æternitáte mansúro, impensum ejúsmodi offícium, sit étiam quodámmodò ejúsdem fidei testimónium? Quòd verò quisque apud memórias Mártyrum sepelítur, hoc tantùm mihi vidétur prodesse defuncto, ut commendans eum, étiam Mártyrum patrocínio, affectus pro illo supplicatiónis augeátur.

℟. VI. Dómine omnípotens. cxxxiv.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO VII. c. 15. 12.

*Ex resurrectione Christi nostram astruit resurrectionem.*

SI Christus prædicátur quòd resurrexit à mórtuis, quómodò quidam dicunt in vobis, quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est & fides vestra: invenímur autem & falsi testes Dei; quóniam testimónium díximus adversùs Deũ, quòd suscitáverit Christum; quem non suscitávit, si mórtui non resurgunt. Nam si mórtui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccátis vestris. Ergo & qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurrexit à mórtuis, primítiæ dormiéntium: quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

℟. VII. Scio. cxxxvij.

LECTIO VIII. v. 35.

*Ordo & modus resurrectionis futuræ.*

SEd dicet áliquis: Quómodò resurgunt mórtui? qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod séminas, non vivificátur, nisi priùs moriátur: & quod séminas, non corpus quod futúrum est, séminas, sed nudum granum, ut putà trítici, aut alicújus cæterórum. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & unicuíque séminum próprium corpus. Non omnis caro, éadem caro: sed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cœléstia, & córpora terréstria: sed ália quidem cœléstium glória, ália autem terréstrium. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, & ália cláritas stellárum. Stella enim à stella differt in claritáte: sic & resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, surget in incorruptióne. Seminátur in ignobilitáte, surget in glória. Seminátur in infirmitáte,

firmitáte, surget in virtúte. Seminátur corpus animále, surget corpus spiritále.

℟. VIII. Redemptor. cxxxvij.

LECTIO IX. v. 51.

*Mors in resurrectione absorbebitur.*

Ecce mystérium vobis dico. Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. In momento, in ictu óculi, in novíssima tuba: canet enim tuba, & mórtui resurgent incorrupti: & nos immutábimur. Oportet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum est: virtus verò peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. Itaque, fratres mei dilecti, stábiles estóte & immóbiles: abundantes in ópere Dómini semper, sciéntes quòd labor vester non est inánis in Dómino.

℟. IX. Audi nunc. *pag.* cxxxviij.

*Autumnalis Carc.*

AD LAUDES.

*Omnia ut in Officio Defunctorum.*

AD PRIMAM.

*Incipitur absolutè à Psalmo* Confitémini. 16. *in cujus fine non dicitur* Glória, *nec* Réquiem, *sed continuò Psal.* Beáti immaculáti. *& in fine tantùm ultimi Octonarii dicitur:* Réquiem ætemam.

*Posteà Hebdomarius inchoat,* ℟. Miseréris, *Chorus prosequitur,* ómnium, Dómine, quia ómnia potes, & dissímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: nihil odísti eórum quæ fecísti; * Parcis ómnibus, quóniam tua sunt, Dñe, qui amas ánimas. *Sap.* 11. *v.* 24. 25. 27. *Hebdom.* ℣. Quia tu es, *Chorus,* Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti. *Joan.* 11. 27. * Parcis.

*Iterùm Hebd. inchoat,* Miseréris, *Chor.* ómnium, *usque ad* ℣. *exclusivè.*

*Hebdom. absolutè dicit:* Orémus.

Fidélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis.

*Deinde*, Requiescant in pace. ℟. Amen. *Is ritus observatur ad cæteras diei Horas.*

*Nullâ prætermissâ benedictione dicitur* Canon, *in cujus fine non dicitur*, Tu autem, *nec quidquam aliud.* CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 25. in decret. de Purg.*

PRæcipit sancta Synodus Epíscopis, ut sanam de Purgatório doctrínam à sanctis Pátribus & sacris Concíliis trádicam, à Chrísti fidélibus credi, tenéri, docéri, & ubíque prædicári diligenter stúdeant. Apud rudem verò plebem difficilióres ac subtilióres quæstiónes, quæque ad ædificatiónem non fáciunt, à populáribus conciónibus secludantur. Incerta item, vel quæ spécie falsi labórant, evulgári & tractári non permittant. Ea verò quæ ad curiositátem quamdá aut superstitiónem spectant, vel turpe lucrum sápiunt, tamquam scándala & fidélium offendícula prohíbeant.

AD TERTIAM.

*Incipitur absolutè ab Octon.* Legem pone. 22, *cum reliquis; & in fine ultimi dicitur* Réquiem. *sicque ad Sextam & Nonam.*

*Hebdom.* ℟. Sancta, *Chorus*, & sálubris est cogitátio pro defunctis exoráre, * Ut à peccátis solvantur. 2. *Mach.* 12. 46. *Hebd.* ℣. Tálibus enim, *Chorus*, hóstiis promerétur Deus. * Ut à peccátis.

*Hebdom. rep.* Sancta, *Chorus*, & sálubris.

*Orat.* Fidélium, *suprà.*

AD SEXTAM.

*Psalm.* Defécit, &c. 24.

*Hebdom.* ℟. Dómine omnípotens, *Chorus*, ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te: * Audi, Dómine, & miserére; quia Deus es miséricors. *Baruc.* 3. 1. 2. ℣. Justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex seculórum. *Apoc.* 15. 3. * Audi.

*Hebd. repet.* Dñe, omnípotens, *Chorus*, ánima.

*Orat.* Fidélium.

AD NONAM.

*Psalm.* Mirabília, &c. 27.

*Hebdom.* ℟. Scio, *Chorus*, quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum meum. *Job.* 19. 25. 26. *Hebdom.* ℣. Oportet, *Chorus*, corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem, 1. *Cor.* 15. 53. * Et in carne mea vidébo Deū meum.

*Hebdom.* ℟. Scio, *Chorus*, quòd Redemptor.

*Orat.* Fidélium.

*Officium Defunctorum terminatur ad Nonam inclusivè.*

*VESPERÆ de Octava, ut infrà.*

DIEBUS INTRA OCTAV.
Sanctorum Omnium.

*Omnia ut in Festo, exceptis quæ sequuntur.*

*Officium fit ritu semiduplici.*

*Psalmi Feriales ad omne Officium. AD NOCT. dicuntur tres Antiphonæ & Versiculus de Nocturno Diei secundùm Feriam occurrente.*

*Lectio j. & ij. de Scriptura occurrente, ex tribus duæ: Responsoria & Lectio iij. ut infrà assignantur pro singulis diebus.*

AD LAUDES.

*Psalmi Feriæ cum Cantico pro Festis sub Antiph.* 1. *f.* Pro nobis ipsis oráte ad Dóminum Deum nostrum, quia peccávimus. *Baruc.* 1. 13.

*AD HORAS, ut in Die.*

AD VESPERAS.

*Quinque Psalmi Feriæ sub hac Ant.* 7. d. Per fidē vicérunt regna, operáti sunt justítiā, adepti sunt repromissiónes. *Heb.* 11. 33.

DIE III.
De Octava
SANCTORUM
OMNIUM.

℟. Vos tulit Dóminus & eduxit de fornáce férrea Ægypti * Ut habéret pópulum hæreditárium, sicut est in præsenti die. *Deut. c.* 4. 20. ℣. Nos autem debémus grátias ágere Deo, quòd elégerit vos Deus primítias in salútem. 2. *Thess.* 2. 12. * Ut.

℟. Hi custodiérunt elóquium tuum, Dómine, & pactum tuum: * Servavérunt judícia tua, ô Jacob; & legem tuam, ô Israël. *Deut.* 3. 9. 10. ℣. Ut meliórem inveníreṅt resurrectiónem. *Heb.* 11. 39. * Servavérunt judícia.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris, de mortalitáte.

*Sub finem.*

LECTIO III.

AMplectámur diem, qui assignat síngulos domicílio suo; qui nos istinc ereptos, & láqueis seculáribus exolútos, paradíso restítuit & regno cœlesti. Quis non, péregrè constitútus, properáret in pátriam régredi? Quis non, ad suos navigáre festínans, ventum prósperum cupídiùs optáret, ut velóciter charos licéret amplecti? Pátriam nostram paradísum computámus; parentes Patriarchas habére jam cœpimus; quid non properámus & cúrrimus, ut pátriam nostram vidére, ut parentes salutáre pos-

símus? Magnus illic nos charórum númerus expectat, parentum, fratrum, filiórum frequens nos & copiósa turba desíderat, jam de sua immortalitáte secúra, & adhuc de nostra salúte sollícita. Ad horum conspectum & complexum veníre, quanta & illis & nobis in commúne lætítia est!

℟. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ * Glóriam adepti sunt, & in diébus suis † Habentur in láudibus. *Eccli.* 44. 7. ℣. Hi omnes testimónio fidei probáti. *Heb.* 11. 39. * Glóriam. ℣. Glória Patri. † Habentur.

AD VESPERAS.

*Fit de sancto Carolo & commemoratio Octavæ.*

DIE IV.

In Festo

SANCTI CAROLI BORROMÆI Episcopi.

*Duplex-minus.*

*Omnia de Comm. unius Pontificis.* xviij. *Orat.* Ecclésiam tuam, Dómine, *infra* 582.

*IN II. NOCTURNO.*

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

*IN III. NOCTURNO.*

LECTIO IV.

Carolus, Arónæ in território Mediolanensi, nóbili Borromæórum gente natus, à pueritia Clero ascriptus est. Jam ab eo témpore patrem enixè rogávit, ne beneficiórum, quibus donátus fúerat, provéntibus rem familiárem augéret: quorum ipse nactus administratiónem, quidquid ex necessáriis súmptibus superérat, expendébat in páuperes. Vicésimum tértium ætátis annum agens, à Pio quarto avúnculo suo in Cardinálium collégiũ cooptátus, commissa sibi gravíssima Ecclésiæ negótia summâ fide ac religióne administrávit. Mediolanensis deinde Archiepíscopus creátus, plúrimá óperam adhíbuit, ut juxta Concílium Tridentínum quod ejus potíssimùm sollicitúdine jam tum fúerat absolútum, Ecclésiam sibi commissam compóneret. Atque ut Ecclesiásticam disciplínam restitúeret, multas tũ Diœcesánas, tum Provinciáles synodos coégit. Hæréticos è pártibus Rhætórũ ac Helvetiórũ indesinenter insectátus, multos eórum fidei cathólicæ restítuit. Charitátem suam in páuperes donis amplíssimis testátam fecit. Ecclesiásticos proventus, quibus ab avúnculo copiósè fúerat cumulátus, dimísit, iis tantùm retentis, qui ad quotidiános

, & egenórum ne-
átes sufficerent. Quo
ore pestis Medioláni
ıbátur, doméſticam
léctilem, ne relicto
quidem léctulo, in
m alendos cóntulit,
nuda in pósterum
a decumbens: eóque
o laborantes sédulò
ens, paterno reficié-
ffectu; & Ecclésiæ
umenta própriis ipse
bus adminiſtrans,
m in modum solabá-
Humíllimis ínterim
bus reconciliátor ac-
ıs, públicâ supplica-
indictâ, fune sibi
llum alligáto, nudis
ous, étiam ex offen-
o cruentátis, cru-
bájulans, semetip-
pro peccátis pópuli
am ófferens, diví-
indignatiónem avér-
satagébat.

LECTIO V.

Cclesiásticæ libertá-
tis acérrimus propu-
or fuit. Disciplínæ
áris inter mónachos
urandæ intentus,
ex more aliquando
ivâto oratório vés-
cum família oráret,
erditíſſimo quodam
acho è Congregatió-
umiliatórum, sclopo
ussus, divínâ virtúte
tus est. Vitam duxit
rimam, corpus do-
flagellis, cilício,
vigíliis, ac jejúniis, pane tantùm & aquâ, & solis quandoque lupínis contentus: oratiónem, ac verbi Dei prædicatiónem, gravíſſimis licèt curis occupátus, numquam intermísit. Multas Ecclésias, Monaſtéria, Seminária, Collégia ædificávit. Plúrima scripsit præcepta, Epíscopis potíſſimùm utilíſſima; ejusque óperâ Parochórum Catechísmus pródiit. Demum in solitúdinem Varalli montis, ubi sculptæ imágines Domínicæ paſſiónis myſtéria éxprimunt, seceſſit; ibique diébus áliquot voluntáriâ caſtigatióne, duram sed suávem, ex Chriſti dolórum meditatióne, vitam agens, in febrem íncidit. Mediolánum reversus, ingravescente morbo, cínere ac cilício coopertus, & óculis in Chriſti imáginem defixis, migrávit in cœlum anno ætátis quadragésimo sexto, Chriſti millésimo quingentésimo octogésimo quarto. Quem miráculis conspícuum, Paulus quintus in Sanctórum número ascripsit.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO VI. c. 10. a.

*Paſtor ovium.*

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis:

Qui intrat per óstium, pastor est óvium. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joann. Tract.* 46.

LOquens Dóminus Jesus óvibus suis & præséntibus & futúris, quis ad eas missus esset osténdit. Omnes ergo áudiunt vocem pastóris sui dicentis: Ego sum Pastor bonus. Non ádderet, Bonus, nisi essent pastóres mali. Sed pastóres mali, ipsi sunt fures & latrónes; aut certè, ut multùm, mercenárii. Quis est mercenárius? sunt in Ecclésia quidam præpósiti, de quibus Paulus Apóstolus dicit: Sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Quid est Sua quærentes? Non Christum gratìs diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporália cómmoda consectantes, lucris inhiantes, honóres ab homínibus appetentes. Quod ait Christus, Pastor bonus ánimam suam ponit pro óvibus; non ipse unus hoc fecit: & tamen si illi qui fecérunt, membra ejus sunt, idem ipse unus hoc fecit. Ipse enim pótuit fácere sine illis: ipsi sine illo unde potuérunt, cùm ipse díxerit, Sine me nihil potestis fácere? Hinc autem osténdimus, quòd & álii fécerint, quia ipse Apóstolus Joannes dixit: Sicut Christus pro nobis ánimam suam pósuit, sic & nos debémus ánimas pro frátribus pónere.

*Oratio.*

ECclésiam tuam, Dómine, beáti Cároli pontíficis tui contínuâ protectióne custódi; ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre ferventes; Per.

*Fit comm. Octavæ.*

AD VESPERAS.

*Fit comm. Octavæ.*

*Deinde sancti Geraldi Biterrensis Episcopi. Ant.* Elégit. ℣. Beátus. xix. *Oratio*, Da Ecclésiæ. xxij.

DIE V.

de Octava.

SANCTORUM OMNIUM.

℟. I. Quis in núbibus æquábitur Dómino, símilis erit Deo in filiis Dei? * Deus, qui glorificátur in Concílio Sanctórum, magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt. *Ps.* 88. 7. 8. ℣. Rex Regum, & Dóminus Dominántium. *Apoc.* 19. 16. * Deus.

℟. II. Justi in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum: * Et cogitátio eórum apud

Altíssimum. *Sap.* 5. 16.
℣. Amicti stolis albis sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 7. 13. * Et cogitátio.

Sermo sancti Clementis Papæ & Mártyris.

*Ep.* 1. *ad Cor. c.* 35. *sec.* 1.

LECTIO III.

QUàm beáta sunt & mirabília dona Dei, dilecti! Vita in immortalitáte, splendor in justítia, véritas in libertáte, fides in confidéntia, continéntia in sanctitáte; & hæc ómnia sub intellectum nostrum cadunt. Quænam ígitur sunt quæ præstolántibus apparantur? Sanctíssimus ópifex & Pater seculórum, quantitátem, & pulchritúdinem excellentiamque illórum cognoscit. Nos ígitur summo stúdio conténdimus in número expectántium eum reperíri, ut partícipes fiámus donórum repromissórum. Quómodò autem evéniet istud, dilecti? Si mens nostra in Deum fide stabilíta fúerit: si plácita illi, & accepta exquisivérimus: si perfecérimus quæ ad inculpátam ejus voluntátem pértinent, & secúti fuérimus viam veritátis; abjicientes à nobis omnem injustítiam & iniquitátem, avarítiam, contentiónes, malignitátes & fraudes, susurros & obtrectatiónes, ódium Dei, supérbiam & ostentatiónem, inánem glóriam atque amórem vanitátis. Qui enim ista fáciunt, odiósi Deo sunt: neque solùm qui ea fáciunt; sed étiam qui consénti unt illis.

℟. III. Nunc oráte *pag.* 570. *Non resumitur* ℟. *Fit commemor. sancti Geraldi Biterrensis Episc.*

DIE VI.
de Octava.

SANCTORUM OMNIUM.

*Responsoria ut die tertia.*
℟. Vos tulit, &c. 579.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

*De Mart. Quòd aut imitandi sunt, aut non laudandi.*

LECTIO III.

QUi Sanctórum mérita religiósâ charitáte mirátur, quique justórum glórias frequenti laude collóquitur, eórum mores sanctos atque justítiam imitétur; quóniam quem delectat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa Dei cultum obséquium. Quare, aut imitári debet, si laudat; aut laudáre non debet, si imitári detrectat: ut qui álium laudat, laudábilem se reddat; & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipse

vitæ sanctitáte reddátur. Nam si proptéreà justos fidelesque dilígimus, quòd in ipsis justítiam fidemque suspícimus: póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt. Neque enim difficile nobis est quod ab ipsis géritur imitári, cùm sine præcedenti exemplo ab antíquis tália gesta conspícimus; ut non ipsi aliórum æmuli redderentur, sed æmulandæ virtútis seipsos nobis præbérent exemplum: ut dum nos ex ipsis & ex nobis álii profíciunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclésia sancta laudétur. Unde ab orígine mundi ínnocens Abel occíditur; Enoch Deo placens transfertur; justus Noë invenítur; Abrahá fidélis probátur; Móyses mansuétus agnóscitur; Jesus castus, David lenis, Elías acceptus, Dániel sanctus; tres púeri victóres redduntur; Apóstoli, discípuli Christi, credéntium magistri habentur, è quibus erudíti Confessóres fortíssimi pugnant, Mártyres perfecti tríumphant, & Christiáni semper exércitus diábolum, Deo armáti, debellant. In istis semper pares virtútes, dissímiles pugnæ, gloriósæ victóriæ. Unde tu, Christiáne, delicátus es miles, si putas te posse sine pugna víncere, sine certámine triumpháre. Exere vires, fórtiter dímica, atróciter in prælio isto concerta.

DIE VII.
de Octava.

SANCTORUM OMNIUM.

*Responsoria ut die V.*

℟. I. Quis in núbibus. *suprà pag.* 582.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris, de Mortalitáte.

*Sub finem.*

LECTIO III.

Qualis illic cœléstium regnórum volúptas sine timóre moriendi, & cum æternitáte vivendi! quàm summa & perpétua felícitas! Illic Apostolórum gloriósus chorus: illic Prophetárum exultántium númerus: illic Mártyrum innumerábilis pópulus ob certáminis & passiónis victóriam coronátus: triumphantes illic Vírgines, quæ concupiscéntiam carnis & córporis, continéntiæ labóre subegérunt: remuneráti misericordes, qui aliméntis & largitiónibus páuperum, justítiæ ópera fecérunt: qui Domínica præcepta servantes, ad cœlestes thesáuros terréna patrimónia transtulérunt. Ad

hos, fratres dilectíssimi, ávidâ cupiditáte properémus; & cum his citò esse, ut citò ad Christum veníre contingat, optémus.

DIE VIII.

OCTAVA

Omnium Sanctorum

ET VENERATIO

SS. Reliquiarum.

*Duplex-majus.*

IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.*

*Ant.* 1. D. JUsti quasi virens fólium germinábunt. *Prov.* 11. 28.

*Ant.* 6. F. Sit memória illórum in benedictióne; & ossa eórum púllulent de loco suo. *Eccli.* 46. 14.

*Ant.* 5. C. Ossa eórum púllulent de loco suo; nam corroboravérunt Jacob, & redemérunt se in fide virtútis. *Eccli.* 49. 12.

*Ant.* 2. D. Illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. *Eccli.* 44. 10.

*Ant.* 4. E. Semen eórũ & glória eórum non derelinquétur. *Eccli:* 44. 13.

*Capitul.* Ezech. 37. 12.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos vestros, & edúcam vos de sepulchris vestris, pópulus meus: & indúcam vos in terram Israël, & sciétis quia ego Dóminus.

℟. Vidébitis, & gaudébit cor vestrum, * Et ossa vestra quasi herba germinábunt: † Et cognoscétur manus Dómini servis ejus. *Isai.* 66. 14. ℣. Cùm Christus apparúerit, vita vestra; tunc & vos apparébitis cum ipso in glória. *Coloss.* 3. 4. * Et ossa. ℣. Glória. † Et.

*Hymnus.*

O Vos unánimes, Christíadum chori,
Sanctórum túmulos, & cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora Cœlitum,
Lætis dícite cántibus.

CŒLO quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hìc laus & decus óssibus.

PASSIM sparsa, Deus pollíciti memor,
Custos, ne péreant, pígnora cólligit;
Electósque suis próvidus ággerit
Aptandos lápides locis.

QUIN & relliquias & túmulos, sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungensque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.

Vos, quorum cíneres
 supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs
 colit ósculis;
Si vos nostra movent,
 subsídium, boni,
 Vestris ferte cliéntibus.
Ut cùm nostra novis
 spléndida dótibus,
Surget juncta choris spírituum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
 Nobis semper in ómnibus.
Amen.

℣. Pretiósa in conspectu Dómini, ℟. Mors sanctórum ejus. *Ps.* 115. 6.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 3. a. Amodò jam dicit Spíritus, ut requiescant à labóribus suis; ópera enim illórum sequuntur illos. *Apoc.* 14. 13.

*Oratio*, Auge in nobis, Dómine, *ut infrà ad Laudes.*

AD OFFIC. NOCT.

*Invit.* Mirábilem in Sanctis suis Dóminum, * Veníte, adorémus. *Psal.* 67. 36.

*Psalm.* Veníte. 2.

*Hymnus.* O vos, *ut in I. Vesperis, suprà.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. f. Revelábit terra sánguinem suum, & non opériet ultrà interfectos suos. *Is.* 26. 21.

*Ant.* 2. D. Dórmiunt in terræ púlvere, evigilabunt in vitam ætérnam. *Dan.* 12. 2.

*Ant.* 4. E. Rex mundi defunctos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit. 2. *Mac.* 7. 9.

℣. Orábit ad te omnis sanctus, ℟. In témpore opportúno. *Ps.* 31. 6.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

℟. I. Abel testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo; * Et per fidem defunctus adhuc lóquitur. *Hebr.* 11. 4. ℣. Dixit Dóminus ad Caïn: Quid fecisti? vox sánguinis fratris tui clamat de terra. *Gen.* 4. 10. * Et per fidem defunctus adhuc lóquitur.

℟. II. Cùm emisisset Phárao pópulum, tulit Móyses ossa Joseph secū, eò quòd adjurasset filios Israël, * Dicens: Visitábit vos Deus; efferte ossa mea hinc vobíscum. *Exod.* 13. 19. ℣. Fide Joseph móriens de profectióne filiórum Israël memorátus est, & de óssibus suis mandávit. *Hebr.* 11. 22. * Dicens.

℟. III. Projecérunt cadáver in sepulchro Eliséi: quod * Cùm tetigisset ossa Eliséi, † Revixit homo, & stetit super pedes suos.

4. Reg. 13. 21. ℣. Per fidem accepérunt de resurrectióne mórtuos. Hebr. 11. 35. * Cùm. ℣. Glória. † Revixit.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 3. à. Ossa ipsórum visitáta sunt, & post mortem prophetavérunt. *Eccli.* 49. 18.

*Ant.* 8. c. Lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. *Apoc.* 7. 14.

*Ant.* 1. a. Agnus qui in médio throni est, reget illos. *Apoc.* 7. 17.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: ℟. Unum ex his non conterétur. *Ps.* 33. 21.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

*Homil.* 26. *in* 2. *ad Cor. num.* 5.

LECTIO IV.

SEpulchra Sanctórum qui Crucifixo serviérunt, régias aulas splendóre vincunt, non magnitúdine aut pulchritúdine ædificiórum; (nam hâc parte illa súperant;) sed, quod multò majus est, coeúntium stúdio. Nam & ille qui púrpuram gestat, ad sepulchra illa se confert, ut ea exosculétur: abjectóque fastu supplex stat, Sanctosque óbsecrat, ut ipsi apud Deum sibi præsídio sint: atque ut & tentoriórum opíficem, & piscatórem, & quidem fato functos patrónos hábeat, précibus is contendit qui diademate cinctus est. Ergone, dic, quæso, horum Dóminum mórtuum dícere audebis, cujus servi, étiam defuncti, eórum qui universo orbi ímperant, patróni sunt? Atque id non Romæ solùm fieri quíspiam víderit, sed étiam Constantinópoli. Nam & hìc quoque Constantínum Magnum filius ita demum ingenti honóre se affectúrum existimávit, si eum in piscatóris vestíbulo cónderet. Quodque Imperatóribus sunt in aulis janitóres, hoc in sepulchro piscatóribus sunt Imperatóres.

℟. IV. Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ: & dictum est illis ut requiéscerent adhuc tempus módicum, * Donec compleantur conservi eórum. *Apoc.* 6. 11. ℣. Desidérium suum justis dábitur, & expectátio justórum lætítia. *Prov.* 10. 24. 28. * Donec compleantur.

LECTIO V.

QUòd si cum Imperatóriis aulis hæc sepulchra conferre líbeat, penès hæc rursus victória futúra est. Illic enim multi sunt, qui turbam submóveant: hìc contrà mul-

ti qui ínvitent, atque & dívites, & páuperes, & viros, & féminas, & servos ac líberos áttrahant. Illic ingens terror : hîc lætítia quæ nullis verbis explicári queat. At dulce spectáculum est Imperatórem auro amictum, & corónâ redimítum vidére, astantesque béllicos duces, præfectos, bútrinos, centurióncs, prætóres? Verum hæc ádeo illis augustióra magisque tremenda sunt, ut præ istis illa scena quædam ac merus ludus censéri possint. Simul enim atque límina transilíeris, locus ipse mentem ad cœlum, ad supernum Regem, ad Angelórum exércitum, ad sublime illud sólium, ad inaccessam glóriam transmittit.

℟. v. Per manus Apostolórum fiébant prodígia, ita ut in platéas ejícerent infirmos, ut, veniente Petro, saltem umbra illíus obumbráret quēquam illórum, * Qui curabantur omnes. *Act.* 5. 15. ℣. Misericórdia tua, Dómine, advéniens sanábat illos. * Qui. *Sap.* 16.

LECTIO VI.

SAnctórum ossa dæmones sistunt & excrúciant, acerbissimisque illis vínculis eos qui astricti sunt solvunt. Quid hoc tribunáli terribílius fingi potest? Cùm nemo cernátur, nemo dæmonis láteri incumbat, voces & dilaceratiónes, vérbera & cruciátus, linguæ conflagrantes audiuntur, dæmone admirábilem poténtiam mínimè ferente. Atque isti qui córpora gestárunt, virtútes córpore vacantes súperant: pulvisque, ossa & cinis natúras illas invisíbiles dilácerant. Ideò nemo est qui peregrinatiónem umquam iníre sustíneat, ut Imperatórum aulas vídeat: contrà multi plerumque Imperatóres péregrè profecti sunt, ut hoc spectáculo fruerentur. Síquidem sanctórum Mártyrum templa futúri judícii vestígia & signa éxhibent, dum dæmones flagris cæduntur, hominesque castigantur ac liberantur. Viden quæ Sanctórum, étiam vitâ functórum, vis sit?

℟. VI. Virtútes non quáslibet faciébat Deus per manum Pauli : ita ut super lánguidos deferrentur à córpore ejus sudária & semicínctia, * Et † Recedébant ab eis languóres, & spíritus nequam egrediebantur. *Act.* 19. 13. 12. ℣. Quis símilis tuî, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mi-

rabília? extendísti manum tuam. *Exod.* 15. 11. 12. * Et. ℣. Glória. † Recedébant.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 5. C. Jesus mórtuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormiérunt per Jesum addúcet cum eo. 1. *Thess.* 4. 13.

*Ant.* 6. F. Expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expectat. *Rom.* 8. 19.

*Ant.* 7. c. Ipsa creatúra liberábitur à servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei. *Ibid.* v. 21.

℣. Exultábunt Dómino, ℟. Ossa humiliáta. *Ps.* 50. 10.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECTIO VII. c. 6. v. 9.

*Sancti subtus altare.*

VIdi subtus altáre ánimas interfectórum propter verbū Dei, & propter testimónium quod habébant, & clamábant voce magnâ, dicentes: Usquequò, Dómine, sanctus & verus, non júdicas, & non víndicas sánguinem nostrum de iis qui hábitant in terra: & datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ: & dictum est illis ut requiéscerent adhuc tempus módicum, donec compleantur conservi eórum & fratres eórum, qui interficiendi sunt sicut & illi.

℟. VII. Multi de his qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt in vitam ætérnam, & fulgébunt quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ, in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12. 2. 3. ℣. Quia resurgant mórtui, Móyses dicit, Deum Abraham, & Deum Jacob; Deus autem non est mortuórū, sed vivórum. *Luc.* 20. 37. 38. * Evigilábunt.

LECTIO VIII. c. 7. v. 14.

*Sunt ante thronum.*

HI sunt qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt stolas suas & dealbavérunt eas in sánguine Agni: & ídeò sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno habitábit super illos. Non esúrient, neque sítient ámpliùs, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam agnus, qui in médio throni est, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárū, & abstergет Deus omnem lácrymam ab óculis eórum.

℟. VIII. Qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, * Vivificábit & mortália córpora vestra, Propter inhabitantē Spíritum ejus in vobis. *Rom.*

8. 11. ℣. Deus revélat abscóndita, & novit in ténebris constitúta. *Dan.* 2. 22. * Vivificábit.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO IX. c. 20. v. 27.

*Corporum resurrectio asseritur.*

IN illo témpore: Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*Epist. 75. adversùs Vigilantium.*

DOlet Vigilántius Mártyrum relíquias pretióso operíri velámine, & non vel pannis, vel cilício colligári, vel prójici in sterquilínium; ut solus Vigilántius ébrius & dórmiens adorétur. Ergo sacrílegi sumus, quando Apostolórum basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constantínus Imperátor, qui sanctas relíquias Andréæ, Lucæ & Timóthei tránstulit Constantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, & inhabitatóres Vigilántii illórum se sentíre præséntiam confitentur? Sacrílegus dicendus est & nunc Augustus Arcádius, qui ossa beáti Samuélis longo post témpore de Judæa tránstulit in Thráciam? Omnes Epíscopi non solùm sacrílegi, sed & fátui judicandi, qui rem vilíssimam, & cíneres dissolútos in sérico & vase áureo portavérunt. Mórtuũ suspicáris, & ídeò blasphémas. Lege Evangéliũ: Deus Abrahã, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus non est mortuórum, sed vivórum. Malè facit ergo Románus Epíscopus, qui super mortuórum hóminum Petri & Pauli, secundùm nos, ossa veneranda, secundùm te, vilem pulvísculum, offert Dómino sacrifícia, & túmulos eórum Christi arbitrátur altária? Et non solùm uníus urbis, sed totíus orbis errant Epíscopi, qui caupónem Vigilántium contemnentes, ingrediuntur basílicas mortuórum, in quibus pulvis vilíssimus, & favilla néscio quæ jáceat linteámine convolúta, ut pollúta ómnia pólluat; & quasi sepulchra pharisǽica foris dealbáta sint, cùm intùs immundo, cínere juxta te, immunda ómnia óleant atque sórdeant? O portentum in terras últimas deportandum!

℟. IX. Mundi creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quíque ómniũ invénit oríginem, * Et spíritum vobis cum misericórdia † Reddet & vitã. 2. *Mac.* 7. 23. ℣. Deus

qui vivíficat mórtuos, & vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt. *Rom.* 4. 17. * Et spíritum. ℣. Glória. † Reddet.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Exultáte, justi, in Dómino, ℟. Rectos decet collaudátio. *Psal.* 32. 1.

*Ant.* 1. f. CORpora Sanctórum in pace sepulta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónē & generatiónem. *Eccli.* 44. 14.

*Ant.* 8. G. Seminátur corpus in ignobilitáte, surget in glória. 1. *Cor.* 15. 43.

*Ant.* 7. d. Deus non est mortuórum, sed vivórum: omnes enim vivunt ei. *Luc.* 20. 38.

*Ant.* 5. C. Benedícite, spíritus & ánimæ justórū, Dómino: laudáte & superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3. 86.

*Ant.* 6. F. Cùm à mórtuis resurréxerint, sunt sicut Angeli in cœlis. *Marc.* 12. 25.

*Capitul.* Phil. 3. 20. 21.

FRatres, expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ.

*Hymnus.*

ADESTE, Sancti, plúrimo
Dum thure, vestra dum piis
Coluntur ossa rítibus,
Votis favéte súpplicum.

NON illa, quamquam trístibus
Imum redacta in púlverem,
Dudum sepulchris squáleant,
Divína virtus déserit.

SED sancta præsenti fovet
Impletque templa Númine,
Sed & futúræ Spíritus
Post secla servat glóriæ.

HINC ille qui nostris latet
Cinis sub aris cónditus,
Ægris medétur éfficax,
Torquet fugatque dæmones.

SIT summa, Christe, laus tibi,
Ventúre judex séculi,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In seculórum sécula.
Amen.

℣. Beáta gens cujus est Dñs Deus ejus; ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. *Ps.* 32. 12.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 1. g. Membra vestra templum sunt Spíritûs sancti qui in vobis est, allelúia. 1. *Cor.* 6. 19.

*Oratio.*

AUge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum

tuórum relíquiis mirabília operáris : & fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur ; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* 1. f. Córpora.

AD TERTIAM.

*Ant.* 8. G. Seminátur.

*Capitul.* Rom. 8. 22. 23.

SCimus quòd omnis creatúra ingemiſcit & párturit uſque adhuc; non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi, primítias Spíritûs habentes : & ipſi intra nos gémimus adoptióne filiórum Dei expectantes, redemptiónem córporis noſtri.

℟. *br.* Poſuérunt morticína ſervórum tuórum, * Eſcas volatílibus cœli. *Repet.* Poſuérunt. ℣. Carnes Sanctórum tuórum béſtiis terræ, * Eſcas volatílibus cœli. ℣. Glória. *Repet.* Poſuérunt.

℣. Secundùm magnitúdinem bráchii tui, Dñe, ℟. Póſſide fílios mortificatórum. *Pſ.* 78. 2. 11.

AD SEXTAM.

*Ant.* 7. d. Deus.

*Capitul.* Coloſſ. 3. 3. 4.

MOrtui eſtis, & vita veſtra eſt abſcóndita cum Chriſto in Deo. Cùm Chriſtus apparúerit, vita veſtra, tunc & vos apparébitis cum ipſo in glória.

℟. *br.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, * Quam abſcondiſti timéntibus te ! *Rep.* Quàm magna. ℣. Perfeciſti eis qui ſperant in te. * Quam abſcondiſti. ℣. Glória. *Repet.* Quàm magna. *Pſal.* 30. 20.

℣. Non diſcédimus à te : vivificábis nos, ℟. Et nomen tuum invocábimus. *Pſ.* 79. 19.

AD NONAM.

*Ant.* 6. F. Cũ à mórtuis.

*Capitul.* Phil. 3. 21. 22.

NOſtra converſátio in cœlis eſt, unde Salvatórem expectámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformábit corpus humilitátis noſtræ configurátum córpori claritátis ſuæ.

℟. *br.* Ambulábunt, Dómine, * In lúmine vultûs tui. *Repet.* Ambulábunt. ℣. In nómine tuo exultábunt. * In lúmine. ℣. Glória. *Repet.* Ambulábunt. *Pſ.* 88. 16. 17.

℣. In æternum exultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Pſ.* 5. 12.

AD II. VESPERAS.

*Antiph. de Laudibus.*

*Capitul.* 1. Cor. 15. 42. 43. 44.

SEminátur in corruptióne, ſurget in incorruptióne ; ſeminátur in ignobilitáte, ſurget in glória ; ſeminátur in infirmi-

táte, ſurget in virtúte; ſeminátur corpus animále, ſurget corpus ſpiritále.

*Hymn. ut in I. Veſp.* 585.

℣. Juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei,
℟. Et delectentur in lætítia. *Pſ.* 67. 3.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 2. D. Mórtui eſtis, & vita veſtra eſt abſcóndita cum Chriſto in Deo. *Coloſſ.* 3. 3.

*Oratio.* Auge, *ut ſuprà in Laudibus.*

DIE X.

In Feſto

SANCTI LEONIS

Papæ & Eccleſ. Doctor.

*Duplex-minus.*

*Omnia de Communi unius Doctoris.* xxiv. *Oratio*, Excita, Dómine. *p.* xxviij.

*Fit commemoratio S. Rufi primi Avenionenſis Epiſcopi. Ant.* Elégit ipſum. ℣. Beátus. xix. *Orat.* Da Eccléſiæ. xxiij.

LECTIO IV.

*Ex Epiſt. & Act. Conc. Eph. & Chalcedon.*

LEo Románus cùm eſſet acólytus, senténtiam Zózimi Papæ, & epíſtolam Sixti preſbyteri adversùs Pelagiános ad Aurélium Carthaginenſem Epíſcopum détulit. Factus diáconus, Sixto Pontífici autor fuit ne recíperet Juliánum Pelagiánum in communiónem Eccléſiæ súbdolè irrepentem, ut ſedem amiſſam recuperáret. Miſſus in Gálliam, ut diſſidentes inter ſe Aétium & Albínum Romános duces conciliáret, públicâ legatióne revocátur, ut Sixto ſuccéderet. Quatiebátur ínterim totus penè orbis chriſtiánus váriis hæreticórum tempeſtátibus. Orientem Neſtoriáni; Occidentem Pelagianórum relíquiæ infeſtábant. Manichæos qui ex Africa à Wándalis devaſtáta Romam conflúxerant, cùm cathólicæ communiónis ſpécie perfídiam ſuam tégerent, detexit. Pelagianórum relíquias extinxit; & ad Eccléſiam redeuntes errórẽ ſuum obſignátis tábulis damnáre juſſit. Priſcillianiſtárum renaſcentem hæreſim, congregátâ ejus óperâ in Hiſpánia Synodo, proſcripſit. Coactâ Romæ Occidentálium Synodo, quæ contra fidem in latrocínio Epheſíno acta fúerant, reſcídit. Concílio quarto œcuménico apud Chalcédonem celebráto per legátos ſuos præfuit. Ibi perlecta eſt illíus ad Flaviánum epíſtola, quam ad ſe miſſam Galliárum Epíſcopi ſummis láudibus excéperant; & ab univerſis acclamátum: Petrus per Leónem ita locútus

est. Cujus Concílii definitiónem adversùs Eútychen & Dióscorum ad eosdem Gálliæ Epíscopos transmísit. Missus à Valentiniáno Imperatóre ad Attilam qui Aquileiam expugnáverat, pacem inter eos compósuit. Roma reversus, Gensérico urbem invadenti persuásit, ut ab incéndio & cædibus abstinéret.

L E C T I O V.

CAnonum propugnátor fuit acérrimus: multaque sanctè & utíliter decrévit. Cléricum ab externo Epíscopo suum in Clerum ascríbi, ordinári bígamos, solemne baptísma, nisi pervigílio Paschæ & Pentecostes, adminiftrári prohíbuit. Epíscopū qui, relíctâ suâ civitáte, majórem sedem ambíret, utrâque spoliandum esse cénsuit. Vóluit ut qui diáconus aut sacerdos esset ordinandus, per omnes officii clericális órdines proveherétur; ut diuturno dísceret témpore cujus & doctor esset futúrus. Plúrimis tandem functus labóribus, multisque luculenter scriptis, cùm Itáliam à Barbarórum vastatióne, & Ecclésiam ab hæreticórum labe vindicasset, explétis in Pontificátu viginti & ámpliùs annis, ábiit ad Dóminum, ut habent antiquióra martyrológia ómnia, quarto idus Novembris, anno quadringentésimo sexagésimo primo: propter pietátem, eruditiónem & tot res præclárè gestas, méritò Magni nómine commendátus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 16. v. 13.

*Petri confessio.*

IN illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philippi: & interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

*Serm. 2. in Anniverſ. Assumpt. suæ.*

IN universa Ecclésia, Tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit: & omnis lingua quæ confitétur Dóminū, magistério hujus vocis imbúitur. Hæc fides diábolum vincit, & captivórum ejus víncula dissolvit. Hæc, érutos mundo, ínserit cœlo: & portæ ínferi adversùs eam prævalére non possunt. Tantâ enim divinitùs soliditáte muníta est, ut eam, neque hærética umquam perrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia. His ítaque mo-

dis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrátur hodierna festívitas; ut in persóna humilitátis meæ, ille intelligátur, ille honorétur, in quo & ómnium pastórum sollicitúdo cum commendatárum sibi óvium custódiâ persevérat, & cujus étiam dígnitas in indigno hærede non déficit. Unde venerabílium quoque fratrum & consacerdótum meórum desideráta mihi & honoranda præséntia hinc sacrátior est & devótior, si pietátem hujus officii in quo adesse dignáti sunt, ei principáliter déferunt, quem non solùm hujus sedis præsulem, sed & ómnium Episcopórum novérunt esse primátem.

*AD LAUDES. Pro commem. sancti Rufi primi Avenionensis Episcopi. Ant.* Dedit. ℣. Memor sit. *p.* xxij. *Orat.* Da Ecclésiæ, *p.* xxiij.

DIE XI.

In Festo

SANCTI MARTINI,

Episcopi.

*Duplex-majus, (In Cathedr. Solemne-minus.)*

*De Commemorat. unius Pontificis, p.* xviij. *exceptis quæ sequuntur.*

IN I. VESPERIS.

*Capitul.* Isai. 58. 7. 8.

CUm víderis nudum, óperi eum, & carnē tuam ne despéxeris: tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sánitas tua cítiùs oriétur; & anteíbit fáciem tuam justítia tua, & glória Dómini cólliget te.

*Hymnus.* S. V.

ECquis ardentes rápitur per auras?
Iste quis pauper petit astra dives?
Cœlites plaudunt; comitémur hymnis
Astra petentem.

FLORE sub primo juvenílis ævi,
Cæsarum jussu tulit arma miles;
Moxque depónet, tibi, Christe, nomen
Tyro professus.

NON furor belli bene christiánum
Pectus infrégit; pius inter arma
Integros servat, semel obligáto
Nómine, mores.

PAUPERI pauper malè membra nudo
Dívidit vestem, mediâque Christus
Obtulit sese túnicâ micantem
Nocte sequenti.

FONTE lustrátur; melióre testes
Se sacramento vovet inter aras;
Induit Christum, simul ac profána
Exuit arma.

UT novus miles nova bella tentat,
Sævit in sese, sibi factus hostis:
Unde majóres sibi pollicétur
Ferre triumphos.
LUMINIS splendor, Patris una Proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40. 2.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 4. E. Cùm effúderis esurienti ánimam tuam, & ánimam afflictam repléveris, oriétur in ténebris lux tua. *Is.* 58. 10.

*Oratio*, Deus, cujus múnere, &c. *ut infrà ad Laudes.*

AD OFFIC. NOCT.

*Invitatorium ut in Communi.*

*Hymnus.* S. V.

QUo fugis præceps? latitáre nescit
Mille portentis manifesta virtus:
Præsulem jam te feret in suprémum
Turo tribúnal.
NON tumet fastu, neque splendet auro:
Sórdidam servat, velut antè, vestem:
Ora deformi dabat una virtus
Unde nitéret.
SPREVERIT vili quis eum lacernâ,
Cujus ad nutus elementa parent?
Scílicet jussi posuêre fractis
Víribus ignes.
REDDITUR cæco sua lux, & auris
Rédditur surdo, sua lingua muto;
Impari qui vix pede claudus ibat,
Ambulat æquo.
IMPERAT morbis, ábigit malignos
Spíritus, divûm simulácra vertit;
Luce defunctos vocat ad prióris
Múnera vitæ.
FERTUR, immáni ruitúra mole,
Arbor, excíso trepidasse trunco:
Sústinet lapsum, capitíque sacro aversa pepercit.
LUMINIS Splendor, Patris una Proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

NOCTURNO.

tio iv.

ev. & Greg. Tur.

rtínus, Sabáriæ
ı Pannónia, pa-
e tribúno míli-
s, Papíæ verò in
ıcátus, anno æ-
mo, invítis pa-
ad Ecclésiá con-
nter catechúme-
en dedit. Ascri-
tiæ ex Imperató-
to, quo vetera-
lii sua nómina
cogebantur, sub
tio stipéndia mé-
biánis ad portam
áuperi nudo elee-
n petenti, cùm
éret præter arma
nentum, partem
is dedit. Cui se-
octe Christus di-
illâ veste indútus
, circumstantes
sic allocútus:
s adhuc catechú-
ac me veste con-
ùm annum déci-
távum attigísset,
us est: ac relíctâ
anctum Hilárium
nsem ádiit, à quo
a factus est, cùm
iáconi órdine præ
áte recusásset: nec
óst ad suos rever-
trem ad Christum
it.

ctio v.

Epíscopis Ariánis,
iòd solus penè eó-
rum perfidiam frángeret, públicè virgis cæsus, Illyrico pulsus est. Eâdem de causâ, Medioláno, ubi monastérium sibi constrúxerat, per Auxéntium ejectus, sedem in Pictónibus fixit. Ibíque sub Hilário tum mónachis apud Lococíacum congregátis præfuit, tum prædicatiónis lumen per omnem vicíniam spárgere cœpit. Ordinátus deinde Turonénsis Epíscopus, monastérium secundo ab urbe lápide cóndidit: in quo discípulos octoginta, nihil próprium habentes congregávit; ex quibus plures pósteà Epíscopi creáti sunt. Non procul ab eo loco altáre díruit, quod falsò putabátur erectum in memóriam Mártyris. Idolórum fana dejécit & lucos succídit, non véritus aliquando vitæ adíre discrímen, ut eórum cultum pénitùs aboléret.

Lectio vi.

Injuriárum fuit patientíssimus, ádeò ut obtrectántiū sibi peccáta plerumque defléret. Innúmeris cláruit miráculis, quæ libris quátuor Gregórius Turonénsis complexus est. Annis demum gravis, dum Condatensis vici Ecclésiam in sua diœcési visitáret, víribus defectum se séntiens, mortem sibi

imminére discípulis indicávit. Tum mœror & luctus ómnium, unâ voce plangéntium: Cur nos, Pater, déseris? aut cui nos desolátos relinquis? invádent enim gregem tuum lupi rapáces. Tunc ille motus his flétibus, conversusque ad Dóminum, hâc fléntibus voce respondit: Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem; fiat voluntas tua. Ingravescente febre, in cínere & cilício decumbens, ne vile quidem stramen sibi súbjici passus est. Instante jam morte, viso dæmone: Quid hìc astas, inquit, cruenta béstia? nihil in me, funeste, repéries; Abrahæ me sinus récipit. Ea in voce octogésimo círciter ætátis anno ánimam Deo réddidit.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

LECTIO VII. c. 1. v. 15.

*Cupit annuntiari Christum.*

QUidam & propter & invídiam contentióne, quidam autem & propter bonam voluntáte Christum prædicant. Quidam ex charitáte ..... quidam autem ex contentióne Christum annúntiant non sincérè, existimantes pressúram se suscitáre vínculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasiónem, sive per veritátem, Christus annuntiétur; & in hoc gáudeo, sed & gaudébo. Scio enim quia hoc mihi provéniet ad salútem per vestram oratiónem, & subministratiónem Spíritûs Jesu Christi, secundùm expectatiónem & spem meam, quia in nullo confúndar.

LECTIO VIII. v. 20.

*Cupit dissolvi.*

IN omni fidúcia sicut semper, & nunc magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam; sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum. Quòd si vívere in carne, hic mihi fructus óperis est, & quid éligam, ignóro. Coarctor autem è duóbus: desidérium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis mélius: Permanére autem in carne, necessárium propter vos ..... In nullo terreámini ab adversáriis: quæ illis est causa perditiónis, vobis autem salútis: & hoc à Deo: quia vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini: idem certámen habentes quale &

vidistis in me, & nunc audistis de me.

Lectio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO IX. c. 11. v. 33.

*Bona opera Pastorum, lucerna populorum.*

IN illo témpore; Loquens Jesus turbis, cœpit dícere: Nemo lucernam accendit, & in abscóndito ponit, neque sub módio; sed supra candelábrum: ut qui ingrediuntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

*Serm. in festo S. Martini, de exemplis obedientiæ. §. 12.*

MArtínus lucerna erat ardens & lucens. Eum saltem non pígeat imitári; sed imitári in eo quod est imitábile, non autem quod mirábile exhibétur. Dives est iste Martínus, dives in méritis, dives in miráculis, dives in virtútibus, dives in signis. Suscitávit mórtuos: réddidit visum cæcis, surdis audítum, mutis loquélam, claudis gressum, áridis sospitátem. Evásit divínâ virtúte perícula; própriì córporis óbice flammas répulit; leprósum mundávit ósculo; curávit óleo paralyticum; dæmones vicit, Angelos vidit, futúra prævídit. Noli in his sapórem quærére, sed miráre splendórem. Cæterùm ne putáveris ornátas quidem Martíni lámpades, sed vácuas inveníri: non est fátua virgo, habet in vasis óleum: habet vinum in phíalis, habet intra parópsides istas cibórum cópiam, delícias útique spirituáles: ut non modò vídeant & mirentur, sed edant páuperes & saturentur; atque in illis quidem Dóminum laudent, porrò in his vivant corda eórũ. Ut ergo sit jucunda decoraque laudátio in admiratióne, étiam vivant ex imitatióne; & ut avídiùs sumant delícias, ipsas quoque divítias curiósiùs contemplentur. Sic nimírum inter splendórem & fervórem lucernæ hujus vicáriis quibusdam affectibus discurrendum, ut nobis alter ex áltero commendétur, & ex mútua collatióne uterque complacítior fiat.

AD LAUDES,

*Hymnus.* S. V.

THURE fumantes quis hic inter aras,
Vérticẽ cujus sacra flamma lambit?
Intùs ardébat méliùs sacrátâ
Péctoris arâ.

REGIS accumbens épulis, tuétur

Præsulum Præsul bene par honórem :
Ipsa tunc vilem minor ante pannum,
Púrpura pallet.

O virum ! qualem píetas petébat,
Quem fides nullis labefacta seclis
Non semel sensit médios per enses,
Sacra tuentem.

Læditur probrís; sibi semper idem,
Nescit irasci : fera corda placat;
Et suos, tantùm cumulando donis,
Súbjicit hostes.

Nec truci quamvis caput immolandum
Pro Dei causa pósuit sub ense,
Mártyris palmam rétulit, vel isto
Dignus honóre.

Ut mori sensit moribunda membra,
Membra non mollí jacuêre lecto :
Vile quín stramen sibi durus aufert;
Terra cubíle.

Quando stellátos propè tangit axes,
Et Deo jamjam fruitúrus ardet,
Si gregi prosit, pátiens iníquis
Vivere terrís.

Hujus ad sacros cíneres superbi
Sponte deponunt sua sceptra Reges :
Turba languentûm répe rit petitam
Ægra salútem.

Luminis splendor, Patris una Proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. In memória æterna erit justus; ℟. Ab auditióne mala non timébit. *Ps.* 111. 7.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 6. F. In omni ore quasi mel indulcábitur ejus memória. Ipse est diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis. *Eccli.* 49. 2. 3.

*Oratio.*

Deus, cujus múnere beátus Martínus Póntifex in omni ópere bono abundávit, & virtútibus atque miráculis coruscávit; præsta, ut ejus qui tibi soli placére semper stúduit, exemplis informémur, & précibus adjuvémur; Per Dóminum.

AD II. VESPERAS.

*Hymnus.* Ecquis ardentes, *ut in I. Vesperis.*

℣. Dabis eum, (Dómine,) in benedictiónem, ℟. In séculũ séculi. *Ps.* 20. 7.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 7. G. Ipse tulit abominatiónes impietátis, & in diébus peccatórum corroborávit

pietátem. *Eccli.*

*ut suprà ad Lau-*

*mmemoratio san-*
*ini Papæ & Mar-*
*int.* Pro certo.
is, *pag.* vij. *Ora-*
mnipotens. *pag.*

IE XII.
In Festo
TI MARTINI
e & Martyris.
*Simplex.*
, Omnípotens.

*prima & secunda*
*tura occurrente,*
*r duæ.*

CTIO III.
*trio, & aliis.*

Artínus Theodó-
ro in sede Romá-
na successit anno
sexcentésimo qua-
no nono. Eódem
oncílium centum
que Episcopórũ in
o coégit, in quo
elitárum prínci-
ii in duábus Chri-
ris únicam volun-
t operatiónem ad-
int, damnáti sunt:
taque duo Impe-
a de hac quæstió-
ta, Ecthesis vidé-
eráclii, & Typus
ntis. Quid in ea
gestum esset, om-
clésias per Epísto-
cycliam admónuit:
ejusque acta ad sanctum Amandum Trajectensem Epíscopum mittens, scribit his verbis: Stúdeat fratérnitas tua ómnibus éadem innotéscere, ut tam abominandam hæresim nobiscum execrentur.... confirmantes ea quæ synodáli conventióne ómnium fratrum & coepiscopórum nostrórum pártium illárum effecta sunt; atque secundùm tenórem encycliæ à nobis, directæ consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide & destructióne hæreticórum vesániæ nuper exortæ, à nobis statúta sunt. Interim Constans Olympium exarchum Ravennátem Romam misit; tum Calliópam Olympii successórem, à quo Martínus, cùm Edicto ímpio resísteret, Româ vi abductus est: ac in ínsulam Naxum deportátus. Inde ductus Constantinópolim, in cárcerem tráditur. Hinc Chersónem relegátus est; ubi quátuor post menses, décimâ sextâ die Septembris anno sexcentésimo quinquagésimo quinto, ærumnis confectus cessit è vita, ante & post mortem clarus miráculis. Corpus ejus pósteà Romam allátum, in Ecclésia sancti Martíni in móntibus, Turonensis Epis-

copi nómine dedicáta, mácónditum est. Exul scripsit duas epístolas de calamitátibus suis.

DIE XIII.

In Festo SANCTI BRICTII Epíscopi.

*Simplex.*

*De Comm. unius Pontificis*, xviij. *pag. Oratio*, Da Ecclésiæ tuæ, *pag.* xxiij.

LECTIO III.

*Ex Historia Gregorii Turonensis, lib. 2. c. 1.*

BRíctius civis Turónicus, cùm esset primævæ ætátis júvenis, sancto Martíno multas tendébat insídias. Quâdam autem die Bríctium Diáconum vir beátus allóquitur: En ego, Bricti, delírus tibi vídeor? Amen dico tibi, quia obtínui apud Deum, ut post meum tránsitum, ad Pontificátûs honórem accédas: sed nóveris te in Episcopátu multa adversa passúrum. Adeptus ergò, consentiéntibus cívibus, (anno Arcádii & Honórii secundo,) Pontificátûs officium, oratióni vacábat. Anno autem ordinatiónis ejus trigésimo tértio óritur contra eum lamentábilis causa pro crímine, illo viríliter negante. Tunc pópuli, mirácula ad ejus innocéntiam comprobandam edicta, mágicis ártibus tribuentes, insurgunt contra eum unâ conspiratióne. Et trahentes eum, hoc ejecto, Justiniánum in Episcopátu constítuunt. At Bríctius Romam véniens, ínibi quicquid in Sanctum Dei delíquerat, deflendo díluit. Séptimo ígitur regressus anno, innóxius inventus à crímine ad urbem suam redíre jussus est: fueruntque omnes anni Episcopátûs ejus quadragínta septem. Obiitque & sepultus est in Basílica quam super sanctũ Martínum ædificávit.

DIE XVII.

In Festo SANCTI GREGORII Thaumaturgi Episcopi & Ecclesiæ Doctoris.

*Semiduplex.*

*Omnia de Comm. unius Doctoris.* xxiv.

*Oratio*, Excita, quæsumus. xxviij.

Ex libro sancti Basílii Magni, de Spíritu sancto.

*Tom. 2. Cap. 29.*

LECTIO IV.

GRegórium Magnũ, & illíus voces quo loco ponam? An non cum Apóstolis & Prophétis, virum qui eódem spíritu quo illi versátus sit, quique Sanctórum vestígiis per omnem

inhæserit, quique
:élicæ conversatió-
jórem quándiù vi-
æstíterit? Equidem
dixerim, profectò
i affecérimus veri-
, si non ánimam
annumerémus iis
eo juncti sunt; qui
insignis magnaque
a in Ecclésia Dei
iduit, qui è Spíri-
æ terrórem hábuit
iùs dæmonum po-
m. Nam tantam
rat grátiam ad obe-
am fidei inter gen-
: assumptis non plus
idecim Christiánis,
sum pópulum, &
um, & rusticánum,
nitiónem adjúnxe-
o.

ECTIO V.

& flúminum cursus
diversum vertit,
iens illis in magno
ie Christi, & palú-
xsiccávit, belli cau-
ræbentem frátribus
. Cæterùm prædic-
de futúris ejúsmodi
ut níhilo sit inférior
s Prophétis. Sed
ò perlongum fúerit
rcensére mirácula,
opter donórum ex-
tiam quæ in ipso
ıátur Spíritus in
virtúte, signis ac
iis ab ipsis étiam
is hóstibus alter
appellátus fuit.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 5. 13.

*Sal terræ, lux mundi.*

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

*De unitate Ecclesiæ initium.*

CUm móneat Dóminus, & dicat: Vos estis sal terræ; cumque esse nos júbeat ad innocéntiam símplices, & tamen cum simplicitáte prudentés; quid áliud, fratres dilectíssimi, quàm providére nos cónvenit, & sollícito corde vigilantes súbdoli hostis insídias intellígere páriter & cavére, ne qui Christum sapiéntiam Dei Patris indúimur, minùs sápere in tuendâ salúte videámur. Neque enim persecútio sola metuenda est, & ea quæ subruendis ac dejiciendis Dei servis apertâ impugnatióne grassantur. Facílior cáutio est, ubi maniféstior formído est; & ad certámen ánimus antè præstrúitur, quando se adversárius profitétur. Plus metuendus est & cavendus inimícus cùm latenter obrépit: cùm per pacis imáginem fallens.

occultis accéssibus serpit, unde & nomen serpentis accépit.

*IN VESPERIS commemoratio sancti Romani Diaconi, & Mart. Ant.* Pro certo. ℣. Justus. vij. *Oratio*, Da nobis. xj.

DIE XVIII.

In Festo

SANCTI ROMANI

Diaconi & Martyris.

*Simplex.*

*De Comm. unius Martyris.* viij. *Or.* Da nobis. xj.

*Lectio prima & secunda de Scriptura occurrente, ex tribus duæ.*

Ex libro Eusébii Cæsariensis Epíscopi de Martyribus Palæstínæ.

*Apud Ruinart.*

LECTIO III.

ANno impérii Diocletiáni nono & décimo, die quæ est apud Romános ante diem décimam quintam Kalendas Decembris, commemoratióne digna sunt quæ circa Románum Mártyrem Antiochíæ gesta sunt. Hic enim génere Palæstínus, Cæsariensis Ecclésiæ Diáconus & Exorcista, eo ipso témporis artículo quo Ecclésiæ destruebantur, Antiochíam ingressus, cùm innumerábiles viros simul ac mulíeres unà cum párvulis templa deórum confertim adeuntes, & sacrificantes vidisset, spectáculum id míniṁè tolerandum ratus, zelo divíni cultûs ipsum incitante, própiùs accessit, & contentâ voce inclámans objurgáre eos cœpit. Illicò comprehensus, cùm judex eum ignis supplício addixisset, hílari vultu senténtiam excípiens, coram Imperatóre síſtitur plectendus linguæ abscissióne. Ultrò protendit linguam, promptíssimè eam desecandam carnifícibus præbens. Post quod supplícium contrúsus in cárcerem, ac diutíssimè ibídem macerátus ad quátuor usque puncta distentos habens pedes, in ipso jacens nervo fractis láqueo fáucibus, martyrio sicut optáverat exornátus est. Et hic quidem útpote Pálæstínus inter Palæstinenses Mártyres recenséri merétur, tametsi extra pátriam passus sit.

DIE XIX.

In Festo

S. ELIZABETH,

VIDUÆ.

*Simplex.*

*Orat.* Tuórum. p. lvij.

LECTIO II.

*E vita apud Canisium & Surium.*

ELízabeth Andréæ Hungarórum regis filia, Ludovíco Hermanni Turíngiæ Lantgrávii filio adhuc lactens

desponsáta est; & tandem ab eo cùm núbilis facta esset, solémniter ducta. Quo ex conjúgio, tres líberos duasque filias suscépit. Tantos verò in pietáte christiána progressus jam ántea fécerat, ut nihil viro juncta de prístino fervóre remítteret, præcípuo caritátis affectu, paupéribus compátiens, quibus, absente viro, in magna annónæ inópia omne ditiónis suæ fruméntum distríbuit. Quorum étiam infirmitátibus cónsulens, nosocómium illis ad radícem montis, in cujus vértice situm erat palátium, extruxit. Ex Apúlia redux Ludovícus, cónjugis pietátem summópere laudávit. Cumque deinde cruce signátus, in Orientem proficiscerétur, in itínere diem extrémum óbiit. Tunc qui fratri ejus Henríco nondum ad regendum idóneo à consíliis erant, Elízabeth contumeliósè hábitam, ac bonis spoliátam aulâ excédere coegérunt. Jussit tamen Henrícus eam in dignitátes facultatesque suas restitui: sed ipsa brevì póstea, ne plebi óneri esse viderétur, relictâ aulâ, prístinam paupertátem amplexa est: ab áulicis íterùm spreta, laudáta verò à Gregório nono, qui eam in Apostólicæ sedis tutélam recépit. Majóris autem paupertátis desidério flagrans, in quodam Fratrum Minórum sacello, die sancto Parascéves, pósitis super nudum altáre mánibus, solemni professióne, séculi pompis, cognátis, ac sibi ipsi renuntiávit; facultátes autem, quas jussu Pontíficis retínuit, páuperum necessitátibus sublevandis impendens, victum lanifício cómparans, mirâ humilitáte ac patiéntiâ réliquum vitæ currículum egit, absolvitque anno millésimo ducentésimo trigésimo primo, ætátis vigésimo quarto. Eam post triénnium idem Gregórius Sanctis ascripsit.

DIE XX.

SANCTI PAPULI

Martyris,

*Commemoratio.*

*Pridie ad Vesp. deinde ad Laudes, ut in communi unius Martyris. Orat.* Da nobis, *p.* xj.

DIE XXI.

In Festo

PRÆSENTATIONIS

B. MARIÆ VIRGINIS.

*Duplex-majus.*

*Omnia ut in Officio B. Mariæ in Sabbato, exceptis quæ sequuntur.*

*Psalmi Feriales ad totum Officium.*

IN I. VESPERIS.

*Hymnus.*

QUAM pulchrè grádi-
tur filia Príncipis,
Templi cùm próperat lí-
mina tángere!
Prælúdit melióri
Quam mox ófferet
hóstiam.

E MATRIS grémio, Nú-
minis in sinum
Infans non dúbiis pássi-
bus ádvolat:
Virgo Núminis ara,
Aris víctima sístitur.

SPONSO membra Deo
móllia dévovet;
Cordis virgínei dédicat
íntima:
Verbo débita ma-
ter,
Verbo víscera cónse-
crat.

TECUM cuncta Deo pró-
diga dum voves,
Numen, Virgo, tui péсto-
ris íncola,
Quanto fœnore
pensat
Terræ quæ bona dés-
picis!

QUID nos illáqueant
ímproba gáudia?
Cur nos jam pígeat vín-
cula rúmpere?
Dux est virgo sacer-
dos;
Fas sit quò próperat
sequi.

ERGO nunc tua gens se
tibi cónsecrat;
Ergo nostra manes pór-
tio, tu Deus,
Qui de Vírgine na-
tus,
Per nos sæpe renás-
ceris.

SIT laus summa Patri,
summaque Fílio:
Sit par, sancte, tibi glória,
Spíritus;
Si nos intùs adíris,
Puro corde litábi-
mus. Amen.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 4. E. Dábitur illi fidei do-
num electum, & sors ac-
ceptíssima in templo Dei.
*Sap.* 3. 14.

AD COMPLETOR.

*Ut in Offic. B. Mariæ in Sab.*

AD OFFIC. NOCT.

*Invit.* Jesum de María natum, * Veníte, ado-
rémus. *Matth.* 1. 16.

*Hymnus ut in I. Vesp.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Lectiones de Script. occur.*

*IN II. NOCTURNO.*

Ex libro sancti Joannis Damascéni, de Fide orthodoxa.

LECTIO IV. l. 4. c. 15.

SAncta atque omni laude sublímior sem-
perque virgo ac Dei génitrix María, ævo omni antiquióre ac præsciente Dei consílio prædestináta, variísque prophetárum imagínibus ac sermóni-
bus per Spíritum sanctum adumbráta atque antè prædicáta, certo tandem præfiníto témpore ex Da-
vídica radíce, quemád-

ı ipsi promissum
orta est : Jurávit
inquit, Dóminus
veritátem, & non
ıitur eum : De fru-
ıtris tui ponam su-
:m tuam.
ultæ filiæ congre-
ıt divítias ; * Tu
essa es univerſas.
ı. 29. ℣. María, be-
. tu in muliéribus.
28. * Tu.
ɔ v. Post pauca.
chim venerandam
ıignam laude An-
in matrimónium
Sed quemádmodũ
Anna cùm stérilis
er votum & repro-
em génuit Samué-
a & hæc per sup-
nem & repromis-
Dei genitrícem
múnere accépit,
hoc nulla illústriũ
m postérior esset.
grátia ( nam hoc
.nnæ vocábulum )
am parit ; id enim
nómine significá-
m re verâ dómina
t ómnium creatu-
, cùm conditóris
ı effecta est mater.
/ultum tuum de-
:ntur omnes dívi-
is ; * Omnis gló-
, filiæ regis, ab in-
44. 13. 14. ℣. Re-
Dóminus humilitá-
illæ suæ. Luc. 1.
mnis.

LECTIO VI.

NAscitur autem in domo ovílis Jóachim, & addúcitur in templum. Deinde in domo Dómini plantáta, & impinguáta Spíritu, véluti oliva fructífera, omnis virtútis habitáculum facta est ; cùm ab omni seculári vita & carnáli concupiscéntia procul mentẽ abduxisset, & sic virgíneam ánimam simul & corpus conservasset, ut decébat eam quæ in sinu Deum suscептúra erat. Sanctus enim ipse cùm sit, in sanctis requiescit. Ad hunc ígitur modum sanctitátem consectátur, sanctumque & admirábile ac summo Deo dignum templum existit.

℟. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei ; * Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus : † Deus in médio ejus ; non commovébitur. *Psal.* 45. 5. 6. ℣. Ecce virgo in útero habébit, & páriet filium. *Matt.* 1. 23. * Sanctificávit. ℣. Glória. † Deus.

*IN III. NOCTURNO.*

De libro Judith.

LECTIO VII. c. 12. v. 8.

*Postulat confirmari.*

UT ascendébat, orábat Dóminũ Deum Israël ut dirígeret viam ejus ad liberatiónem pó-

populi sui, & intróiens munda manébat in tabernáculo..... Orans cum lácrymis & labiórum motu in siléntio, dicens: Confirma me, Dómine Deus Israël, & réspice in hac hora ad ópera mánuum meárum, ut, sicut promisisti, Jerúsalem civitátem tuam érigas; & hoc quod credens per te posse fieri cogitávi, perficiam.

LECTIO VIII. c. 13. v. 20.

*Conservata castitas.*

VIvit autem ipse Dóminus, quóniam custodívit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reverténtem, & non permísit me Dóminus ancillam suam coinquinári, sed sine pollutióne peccáti revocávit me vobis, gaudentem in victória sua, in evasióne mea, & in liberatióne vestra. Confitémini illi, omnes; quóniam bonus, quóniam in sǽculum misericórdia ejus. Universi autem adorantes Dóminum, dixérunt ad eum: Benedixit te Dñs in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO IX. c. 11. 27.

*Mariæ beatitudo.*

IN illo témpore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Lib. de S. Virg. c. 3. & 4.*

BEátior María percipiendo fidem Christi; quàm concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam, Beátus venter qui te portávit, ipse respondit: Imò beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt. Dénique frátribus ejus, id est, secundùm carnem cognátis, qui non in eum credidérunt, quid prófuit illa cognátio? Sic & materna propínquitas nihil Maríæ profuisset, nisi felíciùs Christum corde quàm carne gestasset. Ipsa quoque virgínitas ejus ídeò grátior & accéptior, quia Christus priusquàm conciperetur, jam Deo dicátam de qua nasceretur, elégit. Hoc índicant verba quæ sibi fœtum annuntianti Angelo María réddidit. Quómodo, inquit, fiet istud, quóniam virum non cognosco? quod profectò non díceret, nisi Deo Vírginem se antè vovisset. Non est ergo cur Dei vírgines contristentur, quòd étiam ipsæ, virginitáte serváta, matres carnis esse non possunt. Illum enim

ſolum virgínitas decenter párere poſſet, qui in ſua nativitáte parem habere non poſſet. Verúmtamen ille unius ſanctæ Vírginis partus ómnium ſanctárum Vírginum eſt decus. Et ipſæ cum María matres Chriſti ſunt, ſi Patris ejus fáciunt voluntátem. Hinc enim & María laudabíliùs atque beátiùs Chriſti mater eſt, ſecundùm ſuprà memorátam ejus ſenténtiam: Quicumque facit voluntátem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe mihi frater, & ſoror, & mater eſt.

℞. Felix es, ſacra Virgo María, & omni laude digníſſima; * Quia ex te ortus eſt ſol juſtítiæ, Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto feminéo ſexu: ſéntiant tuum juvámen quicumque célebrant tuam ſanctam Præſentatiónem. * Quia. ℣. Glória. * Quia.

Te Deum.

## AD LAUDES.

*Capitulum.* Cant. 6. 9.

QUæ eſt iſta, quæ progréditur quaſi auróra conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol.

*Hymnus.*

INFANS pulſa recèns matris ab úbere
Abſcondi tácitis quærit in átriis;
Templum virgo futúra,
Templi creſcit in ædibus.

IN blanda réquie plena negótio,
Uni nota Deo vívere cógitat:
Hìc pro lacte parentis
Sugit Núminis úbera.

SIC auróra novi núntia lúminis,
Primo mane latet núbibus óbſita:
Mox Sole paritúra,
Plenum qui réferat diem.

SOL in virgíneo péctore, præviis
Ardórem rádiis ſúſcitat íntimum:
Hoc fecunda calóre
Virtus ínſita gérminat.

UT fert prima novis múnera fróndibus
Arbos, irrígui fontis in álveo:
Fructum Virgo datúra
Seſe flóribus índuit.

SIT ſupréma tibi glória, Trínitas;
Quo Virgo téneram ſe vovet hóſtiam,
Puri Flamen amóris,
Fac nos jam tibi vívere. Amen.

℣. Adducentur Regi vírgines poſt eam; ℞. Ad-

ducentur in templum regis. *Ps.* 44. 15. 16.

*Ad* Benedictus, *Ant.* J. Plenam mercédem recípias à Dómino Deo Israël, ad quem venisti, & sub cujus confugisti alas. *Rut.* 2. 12.

*Oratio.*

DEus, qui beátam Maríam semper vírginem, Spíritûs sancti habitáculum, hodiernâ die in templo præsentári voluisti: præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur; Per Dñm. . . . in unitáte ejusdem.

AD II. VESPERAS.

*Antiph. de Laudibus.*

*Capitulum.* Apoc. 21. 3.

ECce tabernáculũ Dei cum homínibus, & habitábit cum eis: & ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

*Hymnus.*

O SANCTE Sanctórũ Deus,
Quàm pura sese dévovet,
Ignóta prisco fœderi,
Tuas ad aras hóstia!

AFFLATA sancto Spíritu,
María virgo, cœlibis
Amóre vitæ, pérpeti
Se castitáti cónsecrat.

PROLIS coæternæ Patri
Futúra mater, cœlitûm
Paráre Regi, néſciens,
Festinat aulam péctoris.

EXOSA pompas séculi,
Latére, nesciri studet;
Solo, placére cui cupit,
Deo frui beátior.

HINC quanta posthæc vírginum
Surrexit in terris seges!
Laus quanta despectæ priùs
Adjecta continéntiæ!

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Dono potentis grátiæ,
Nulla infidéles ut sacris
Nos árguat votis dies.
Amen.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus; ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45. 6.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 8. G. Beáta Dei génitrix María, virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritûs sancti, sola sine exemplo placuisti Dómino nostro Jesu Christo.

*Fit comm. sequentis.*

DIE XXII.

In Festo SANCTÆ CÆCILIÆ Virginis & Martyris.

*Semiduplex.*

*De Com. unius Virg.* xlvj.

*Oratio.* Deus, qui, *infrà.*

*Lectiones de Script. occur.*

LECTIO IV.

*Ex S. Gregorio & Anastasio.*

CÆcília in virginitátis propósito, & in fídei confessió-

múnere ſic robo-
, inquit ſanctus
ıs Magnus in Sa-
ſrio, ut nec ætá-
co ab intentióne
ır, nec blandi-
arnálibus demul-
nec ſexûs fragili-
rrerétur, nec tor-
m immanitáte
ır; ſed ſervando
ac mentis inte-
, cum virginitá-
ıartyrii palmâ æ-
nererétur adipiſ-
údinem. Hæc una
uátuor celebérri-
éſiæ Occidentá-
ıibus martyrio co-
quarum nomen
ùs inſertum eſt in
Miſſæ. Corpus e-
emetério Prætex-
ra urbem viâ Ap-
inítio ſepultum
illuc tranſlátum.
tem rumor incre-
ſanctæ Vírginis
Aiſtulfo Longo-
m rege Romam
te, ab hóſtibus
iſſe ablátum; Paſ-
ontífici pro more
celebranti, & an-
ſſióne ſancti Pe-
laudes canenti,
tingentéſimo vi-
ɔrimo, Cæcíliam
ſe ſcribit Anaſtá-
quo in loco ſepul-
indicaſſe. Is, cùm
Mártyris corpus in
o áureis indumen-
tis velátum, & ad ejus pedes linteámina ejuſdē ſánguine aſperſa reperiſſet; illud magno cum honóre intra muros tránſtulit in Eccléſiam quam ſub ejus nómine Gregórius Magnus extrúxerat. Ibi Cæcíliæ corpus, unà cum ſanctórum Valeriáni, Tibúrtii & Máximi, Urbáni quoque ac Lúcii Pontíficum corpóribus, ſub altári collocávit.

### Lectio v.

Eam Eccléſiam Paulo Sfondráto Cardinále exornante, vetus excavátum forámen detectum eſt, pérvium ad corpus ſanctæ Mártyris, per quod fidéles ſudaríola ſolébant demíttere, quæ è ſepulchri contactu vim reſtituendæ ſanitátis haurírent. Marmóreum ítaque ibi monumentum inventum eſt; & in eo arca cypréſſina, pénitùs illæſa, dúctili clauſa opérculo, in qua ſanctum jacébat Cæcíliæ corpus, séricis pannis involútum, qui cùm eſſent depreſſi, ſitum córporis oſtendébant. Sérica quoque fila auro intertexta, circa corpus ejus reperta ſunt, & ad pedes vela ſánguine mádida. Viſumque eſt non, ut á ſolet in ſepulchro, reſupínum corpus; ſed ut in lecto jacens ſupra dextrū

latus. Tum Clemens octávus, die ipsâ sanctæ Mártyri sacrâ, post oblátum ritu solemni Missæ sacrificium, ministério Diaconórum adjútus, thecam argenteam detulit in Confessiónem: in eâque cypressinam arcam, quæ venerandum vírginis corpus continebat, collocávit; & in lapídeo monumento utramque ita simul compósitam inclúsit, anno Dñi millésimo quingentésimo nonagésimo nono.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO VI. c. 25. 1.

*Decem virgines.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipientes lámpades suas exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

*In Matth. cap. 27.*

LAmpades, animárũ splendéntium lumen est, quæ sacramento Baptísmi splenduérunt. Oleũ, boni óperis est fructus. Vasa, humána sunt córpora, intra quorum víscera, thesaurus bonæ consciéntiæ recondendus est. Vendentes, sunt hi qui misericórdiâ fidélium indigentes reddunt ex se petíta commércia, indigéntiæ suæ scílicet satietáte boni óperis nostri consciéntiâ væneuntes. Núptiæ, immortalitátis assúmptio est, & inter corruptiónem atque incorruptiónem ex nova societáte conjúnctio. Mora sponsi, pœniténtiæ tempus est. Expectántium somnus, credéntium quies est, & in pœniténtiæ témpore, mors temporária universórum. Nocte médiâ clamor cunctis ignorántibus, tubæ vox est, Dómini præcedentis adventum, & universos ut óbviàm sponso éxeant excitantis. Lámpadum assúmptio, animárum est réditus in córpora: earumque lux, consciéntia boni óperis élucens, quæ vásculis córporum continétur. Prudentes vírgines, hæ sunt quæ opportúnum in corpóribus operandi tempus amplexæ, in primum se occursum adventûs domínici præparáverint. Fátuæ autem, quæ dissolútæ ac negligentes, præséntium tantùm sollicitúdinem habúerint; & immémores promissórum Dei, in nullam se spem resurrectiónis exténderint.

*Oratio.*

DEus, qui nos beátæ Cæcíliæ vírginis &

mártyris tuæ ſolemnitáte lætíficas: da ut cujus natalítia cólimus, virtútem quoque paſſiónis imitémur; Per Dóminum.

DIE XXIII.

In Feſto

S. CLEMENTIS

Papæ & Martyris.

*Semiduplex.*

*De Comm. unius Martyris, p.* vj.

*Orat.* Omnípotens. xj.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

Ex libro ſancti Irenæi Epíſcopi & Mártyris adversùs hæreſes.

LECTIO IV. l. 3. c. 3.

POſt Anaclétum tértio loco ab Apóſtolis episcopátum ſortítur Clemens, qui & vidit ipſos Apóſtolos, & cóntulit cum eis, cùm adhuc inſonantem prædicatiónem Apoſtolórum & traditiónem ante óculos habéret. Non ſolus enim; adhuc multi ſupererant tunc ab Apóſtolis docti. Sub hoc ígitur Clemente, diſſenſióne non módicâ inter eos qui Corinthi eſſent fratres factâ, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccléſia potentíſſimas lítteras Corínthiis, ad pacem eos cóngregans, & réparans fidem eórum, & annúntians quam in recenti ab Apóſtolis recéperant traditiónem, annuntiantem unum Deum omnipotentem, factórem cœli & terræ, plaſmatórem hóminis; qui indúxerit cataclyſmum, & advocáverit Abraham; qui edúxerit pópulum de terra Ægypti; qui collocútus ſit Móyſi; qui legem diſpoſúerit, & prophetas miſerit; qui ignem præparáverit diábolo & ángelis ejus. Hunc Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti ab Eccléſiis annuntiári, ex ipſa Scriptúra qui velint diſcere, poſſunt, & apoſtólicam Eccléſiæ traditiónem intellígere, cùm ſit vetúſtior epíſtola his qui nunc falsò docent.

LECTIO V. *Poſt pauca.*

HUic autem Clementi ſuccédit Evariſtus, & Evariſto Alexander: ac deinceps ſextus ab Apóſtolis conſtitútus eſt Xyſtus, & ab hoc Teléſphorus qui étiam glorioſíſſimè martyrium fecit; ac deinceps Hygínus; pòſt Pius, poſt quem Anicétus. Cùm autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodécimo loco epiſcopátum ab Apóſtolis habet Eleuthérius. Hac ordinatióne & ſucceſſióne, ea quæ eſt ab Apóſtolis in Eccléſia tradítio & veritátis præconiátio pervénit uſque ad nos. Et eſt pleníſſima hæc oſten-

ſio, unam & eamdem vivificatrícem fidem eſſe, quæ in Eccléſia ab Apóſtolis uſque nunc ſit conſerváta, & trádita in veritáte.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

LECTIO VI. c. 12. v. 42.

*Fidelis diſpenſator.*

IN illo témpore: Dixit Dóminus Petro: Quis, putas, eſt fidélis diſpenſátor & prudens, quem conſtítuit dóminus ſupra famíliam ſuam, ut det illis in témpore tritici menſúram? Et réliqua.

Homília ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

*De Diſpenſatoribus Domini, Serm. 1.*

QUis eſt iſte dóminus, fratres? Chriſtus ſine dúbio qui ſuis diſcípulis ait: Vos vocátis me Magiſter & Dómine, & bene dícitis; ſum étenim. Quæ eſt étiam hujus dómini família? Nimírum illa eſt quam ipſe Dóminus de manu inimíci redémit, & ſuo domínio mancipávit. Hæc autem família ſancta eſt Eccléſia Cathólica, quæ per orbem terræ copióſâ fertilitáte diffúnditur, & redemptam ſe pretióſo ſui Dómini ſánguine gloriátur. Diſpenſátor verò quis ſit, quem oportet eſſe fidélem páriter & prudentem, Paulus nobis oſtendit Apóſtolus: qui de ſe ſuiſque ſóciis loquens ait: Sic nos exíſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatóres myſteriórum Dei; hìc jam quæritur inter diſpenſatóres, ut fidélis quis inveniátur. Ne quis autem noſtrûm ſolos Apóſtolos diſpenſatóres factos exíſtimet, neglectóque milítiæ ſpiritális offício, ſervus piger infidéliter imprudenterque dormítet; ipſe beátus Apóſtolus, Epíſcopos quoque diſpenſatóres eſſe oſtendens, ait: Oportet enim Epíſcopum ſine crímine eſſe, ſicut Dei diſpenſatórem.

DIE XXV.

In Feſto

S. CATHARINÆ

Virginis & Martyris.

*Simplex.*

*De Comm. unius Virg.* xlvj. *Orat.* Indulgéntia lj.

LECTIO III.

CAtharínæ ſeu Æcatherínes, vírginis & mártyris, memóriam ſinguļári cultu jamprídem venerátur Orientális Eccléſia: ejuſque corpus in Sina Arábiæ monte religióſè ſervátur. Paulus Latrenſis nóbilis Anachoréta, qui médio ſéculo décimo óbiit, ejus feſtum diem ſummâ imprímis ſolemni-

celebrábat. Sequenti
o, Símeon in monte
mónachus, consué-
Ricardi Normánniæ
eleemósynam quæ-
is, Rotómagum ve-
ic secum allátas beá-
Catharínæ relíquias,
onastério supra mon-
urbi vicínum ædifi-
depósuit. Inde cœ-
beátæ Mártyris cul-
per Gállias propagá-
Obiit Símeon anno
simo tricésimo quin-
apud Tréviros reclú-
& inter Sanctos có-

DIE XXVII.
In Festo
MART. VITALIS
T AGRICOLÆ.
*Simplex.*
*tio.* Exaudi. *p.* xvij.
bro sancti Ambrósii
íscopi, de Exhorta-
ne ad Virginitátem.
IO III. c. I. n. 2.

MArtyri Agrícolæ Vitális servus fuit antè, nunc con- & colléga martyrii. sanctus Vitális co- ur à persequéntibus hristum negáret, & ámpliùs profiterétur inum Jesum Chri- , ómnia tormentó- génera in eum exer- bus, ut non esset in re ejus sine vúlnere , oratiónem fudit Dóminum, dicens: Dómine Jesu Christe, Salvátor meus & Deus meus, jube súscipi spíritum meū; quia jam desídero ut accípiam corónam quam ángelus tuus sanctus mihi ostendit: & complétâ oratióne emísit spíritum. Sanctus Agrícola mítior habebátur móribus, ut ab ipsis étiam inimícis diligerétur. Ideóque differébant ejus passiónem. Sed hæc persecutórum honorificéntia omni erat immanitáte acérbior, quæ invidebat martyrium. Dénique ubi non acquiévit sanctus Agrícola, crucifixus est; ut advertámus illas bland́itias eórū, non sedulitátis fuisse, sed fraudis. Supplício servi dóminum terrére voluérunt. Vertit hoc Christus in grátiam, ut martyrium servi dóminus imitarétur.

DIE XXIX.
In Festo
S. SATURNINI
Episcopi & Martyris.
*Duplex-minus.*
*De Comm. unius Martyris.* pag. vj. *Oratio*, Fac nos. xj.
*Lectiones de Script. occur.*
LECTIO IV. *ex Greg. Tur. Sur. Sid. Fortunat. Till. & aliis.*

SAturnínus ad disseminandam inter gentes verbi divíni prædicatiónem ordinátus E-

píscopus, in Galliárum regiónes à Románis Pontificibus missus est. Hoc in múnere cùm álios sex Epíscopos collegas habéret, quos sibi itíneris sacríque labóris sócios adjúnxerat; áliis ália loca peténtibus, ipse Occitániæ Províncíæ Apostolátum suscepit: statimque apud Tolosátes fidei lumen asportáre aggréditur. Susceptum iter péragens Saturnínus, ac pia circumquáque spargens salútis sémina, créditur civitátem adiisse Carcassonensem. Urbem verò ingressus, cùm inánium deórum cultum impugnáre, Christíque fidem annuntiáre cœpisset, in cárcere conjectus est; atque hâc eâdem turri aliquándiu detentus, juxta quam póstea, sensim crescente quod pius præsul jécerat, fidei sémine, constructa erectaque est antiquíssima, quæ etiamnum extat, sub ejus invocatióne Basílica.

LECTIO V.

SEdátâ póstmodum illíus persecutiónis procellâ, Tolósam pervenit; cujus quidem urbis Póntifex constitútus anno consulátûs Décii & Grati, multos ab idólis ad Christum convertit: dæmónibus qui ibi colebantur ádeo terríbilis, ut frustrà sacrifíciis animálium evocáti, orácula réddere cessáverint. Tam inexpectáto siléntio commóti Gentíles, ímpetu facto, Saturnínum in Capitólium urbis traxérunt, comminati duríssimam mortem, nisi more pátrio diis sacra fáceret. Quód cùm renuisset, pedes ejus tauro alligárunt; qui sanctum Præsulem per declíves gradus Capitólii raptátum, collíso cápite, excusso cérebro, membrísque discerptis, interemit. Exánime corpus támdiu à tauro distractū est, quoad rupto fune, acceptum & lígneo immissum féretro, mulíeres duæ in alta scrobe tumultuáriò condidérunt. Inventum est pósteà ab Hilário Tolosáno: qui effossâ circùm humo, sacras véritus relíquias commovére, túmulum superimpósuit, & oratórium extruxit.

LECTIO VI.

*Homilia sancti Cypriani, ut in codice Lectionum, p. lxij.*

*De Vigilia sancti Andreæ Apostoli.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO VII. C. 15. V. 12.

*Proximus diligendus sicut Christus dilexit nos.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis;

Hoc est præceptum meũ, ut diligátis ínvicem, sicut dilexi vos. Et réliqua.

Homília sancti Cyrilli Alexandríni Epíscopi.

*In Joan. lib.* 10. *c.* 24.

Cum charitátis vicissitúdinem necessáriam discípulis suis Christus osténderet, hortátur íterùm atque íterùm, ut omni curâ redúcere ad pietátem hómines stúdeant: ac hujus rei exemplum seipsum propónit, dicens: Non vos me elegístis, sed ego elégi vos. Ac si díceret: Cùm imitári me debeátis, quæ ipse in vobis feci, ea in áliis facienda vobis sunt. Ego elégi vos, non vos me: ego me notum vobis ignorántibus feci, humanitáte clementiáque commótus. Ego vos ádeò roborávi, ut procédere progredíque ad tantam cum Deo fidúciam possítis, ut quodcumque petiéritis in nómine meo, vobis concedátur. Quare non debétis vos, qui mei discípuli estis, sedentes expectáre ut ultrò ad fidem hómines véniant. Sed errántibus manus porrigenda, & audíre noléntibus salutáris homo à vobis est prædicandus, etiamsi vos acerbíssimè persequantur.

*AD LAUDES. Pro commemoratione Vigiliæ sancti Andreæ Apostoli, Antiph. & Vers. de Psalt.*

*Oratio.*

Quæsumus, omnípotens Deus, ut beátus Andréas, cujus prævenímus festivitátẽ, tuum pro nobis implóret auxílium, ut à nostris reátibus absolúti, à cunctis étiam perículis eruámur; Per.

DIE XXX.

In Festo

S. ANDREÆ APOST.

*Duplex-majus.*

*Omnia de Comm. Apost. exceptis quæ sequuntur.*

*Ad* Magníficat, *Ant.* 8. G. Invénit Andréas fratrem suum Simónem, & dicit ei: Invénimus Messíam; & adduxit eum ad Jesum. *Joan.* 1. 41.

*Oratio, ut infrà ad Laud.*

*Fit comm. S. Saturnini Episc. & Mart. Ant.* Factus es. ℣. Tríbuat. xij. *Oratio*, Fac nos. xj.

*IN I. NOCT. Lectiones de Scriptura occurrente.*

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO IV.

*Ex Evangelio Euseb. l.* 3. *Hist. Greg. Naz. Orat.* 25. *Greg. Tur. de glor. Mart. & aliis.*

Andréas Bethsáïdæ natus, qui est Galilææ vicus, frater Petri, discípulus Joannis Baptistæ, cùm eum de Christo dicentem audísset: Ecce Agnus Dei;

secútus Jesum, fratrem quoque suum ad eum perduxit. Cùm autem pósteà unà cum fratre piscarétur in mari Galilææ, ambo à prætereunte Christo vocáti sunt illis verbis: Veníte post me, & fáciam vos fieri piscatóres hóminum: & contínuò, relictis rétibus, secúti sunt eum, apud quos sæpiùs Caphárnaï manére dignátus est.

LECTIO V.

POst cujus passiónem & resurrectiónem, Andréas cùm in Scythiâ Európæ, quæ ei província ad Christi fidem disseminandam obtígerat, devenisset, deinde Thráciam & Epírum peragrasset, doctrínâ & miráculis innumerábiles hómines ab idolórum cultu ad Christum colendum adduxit. Tandem Patras Achaíæ profectus, plurimísque ea in urbe ad veritátem Evangelicam perductis, cruci seu árbori affixus, morte suâ hanc urbem nobilitávit.

LECTIO VI.

DIu apud Patras célebre permansit Andréæ nomen & patrocínium. Hinc pósteà ejus relíquias Constántius Imperátor, ex voto Constantíni patris, anno vigésimo regni sui, Constantinópolim tránsferri, & in augustíssimo Apostolórum templo collocári curávit: unde póstmodùm decerpta pígnora diversis locis quasi vitæ sémina dispersa sunt. Anno autẽ millésimo ducentésimo décimo post Constantinópolim à Gallis occupátam, corpus S. Andréæ Petrus Capuánus Apostólicæ Sedis Legátus Amalphim in pátriam suam, quæ est regni Neapolitáni, transferri curávit, ubi fidélium concursu recólitur.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO VII. c. 10. v. 8.

*Verbum fidei.*

PRopè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbũ fidei, quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, & in corde tuo credíderis quòd Deus illum suscitávit à mórtuis, salvus eris. Corde enim créditur ad justítiam: ore autẽ conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi & Græci; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illũ. Omnis enim quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

LECTIO VIII. v. 14.
*Sonus Apostolorum.*

QUómodo ergo invocábunt, in quem non crediderúnt? aut quómodo credent ei, quē non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicante? quómodo verò prædicábunt, nisi mittantur, sicut scriptum est: Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dñe, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum.

Léctio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. c. 4. v. 18.
*Andreæ vocatio.*

IN illo témpore; Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus, & Andréam fratrem ejus, mittentes rete in mare; (erant enim piscatóres;) & ait illis: Veníte post me, & fáciam vos fieri piscatóres hóminum. At illi contínuò, relictis rétibus, secúti sunt eum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*Homil. 5. in Evang. hab. in Basil. S. Andreæ Apostoli in die natali ejus.*

AUdistis, fratres charíssimi, quia ad uníus jussiónis vocem Petrus & Andréas, relictis rétibus, secúti sunt Redemptórem; & ad unum Dómini præceptum, hoc quod possidére videbantur, oblíti sunt. In cœlo jam sedet, qui de conversióne nos ádmonet: jam jugo fidei colla géntium súbdidit: jam mundi glóriam stravit: jam ruínis ejus crebrescéntibus, districti sui judícii propinquantē denúntiat diē; & tamen superba mens nostra adhuc non vult hoc spontè desérere, quod quotídiè perdit invíta. Quid ergo, fratres charíssimi, quid in ejus judício dictúri sumus, qui ab amóre præsentis séculi, nec præceptis fléctimur, nec verbéribus emendámur? Sed fortasse áliquis tácitis secum cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam uterque iste piscátor quid aut quantum dimísit, qui penè nihil hábuit? Sed hac in re, fratres charíssimi, affectū debémus pótiùs pensáre, quàm censum. Multum relíquit, qui sibi nihil re-

tinuit : multum relíquit, qui quantúmlibet parum, totum deséruit. Certè nos, & hábita cum amóre possidémus, & ea quæ mínimè habémus, ex desidério quærimus. Multum ergo Petrus & Andréas dimísit, quando uterque étiam desidéria habendi derelíquit.

Te Deum.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 3. E. Erant Petrus & Andréas piscatóres; & ait illis Jesus: Veníte post me; fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi contínuò, relictis rétibus, secúti sunt eum. *Matth.* 4. 19.

Orémus.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxtitit prædicátor & rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercessor; Per.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 4. D. Erat Andréas frater Simónis Petri, unus ex duóbus qui audíerant à Joanne, & secúti fúerant Jesum. *Joan.* 1. 40.

*Oratio, ut suprà ad Laud.*

*Fit Commemoratio sancti Eligii Episcopi. Ant.* Elégit. ℣. Beátus. p. xix. *Oratio.* Da Ecclésiæ tuæ. p. xxiij.

---

# FESTA DECEMBRIS.

## DIE I.

## In Festo S. ELIGII, EPISCOPI.

*Simplex.*

*Omnia de Comm. Pontificis.* xviij.

### LECTIO III.

*Ex vita per S. Audoenum.*

ELigius Lémovix, auri̇́faber indústrius, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ suæ famâ Clotário secundo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accensus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit corā Sacerdóte, & exinde in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Nam étiam cùm artem exercébat, subinde in sacros códices óculos intendébat; ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid arte suâ comparábat, id totū fovendis egénis, & captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, redimēdis erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concursus, ut quærenti domum Elígii dicerétur:

Ubi páuperum cœtū conspéxeris, illic & Elígium repéries. Intra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant. Non minùs acceptus Dagoberto quàm Clotário patri, & ab illo ad Armoricórum regem pacis componendæ causâ missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Vária ejus hortátu & impensis extrúcta sunt templa & monastéria. Solemniacense in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Parísiis ædificávit Monastérium vírginum, ad quarum córpora sepelienda, Ecclésiam sancti Pauli extra civitátem construxit. Instaurávit in eódem monastério basílicam sancti Martiális, quam ejus quoque ditávit relíquiis. Plúrima diversis tempóribus auro, argento, & gemmis ornávit sepulcra Sanctórum. Mausoléum imprímis mártyris Dionysii miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, extirpávit. Tandem ad Noviomensem Episcopátum assumptus, non modò salúti gregis sibi commissi invigilávit, sed & Flandros & Frísios, aliosque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine ad Christum adduxit. Sedit in Concílio Cabilonensi sub Clodovéo secundo. Multa præcláré scripsit, ejécit dæmones, futúra divínitùs prædixit, aliisque miráculis illustris óbiit septuagenárius, desinente die últimâ Novembris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono, horâ primâ noctis; & Novíomi sepultus est.

## Die II.

## In Festo SANCTI FRANCISCI XAVERII Presbyteri.

*Semiduplex.*

### Lectio IV.

*Autore Turselino.*

Franciscus Xavérius, nóbilis Cántaber, Parísiis emenso philosóphico stádio magistérium ártium consecútus, mox Philosóphiæ Proféssor, ac deínde Baccaláureus, Theológiæ cursum abrúpit, ut se beáto Ignátio sóciū adjúngeret. Tum sanctióris vitæ genus profitéri cœpit, non jejúniis modò aliisque córporis afflictatiónibus, & páuperum præsertim infirmórum curâ, quibus in xenodóchiis ministrábat; sed & singulári religiónis

propagandæ stúdio, summá in Epíscopos & Presbyteros obserVántiâ, eóque in Deum fervóre charitátis, ut ejus incéndium in oratiónibus non ferens, sæpiùs exlamáret: Satis est, Dñe, satis est.

LECTIO V.

PRocurante Joanne Lusitániæ rege, à Paulo tértio Indiæ destinátus, multos passim toto Oriente Christiános ad meliórem frugem revocávit, & innúmeros propémodùm pópulos ignorántiæ ténebris involútos ad Christi fidem adduxit: nam præter Indos, Brachmánes & Malábares; ipse primus Parávis, Málais, Jais, Acénis, Mindánais, Malacénsibus & Japónibus, multis éditis miráculis, & exantlátis labóribus, Evangélii lucē íntulit. Perlustrátâ tandem Japóniâ, ad Sinas profectúrus, in ínsula Sanciána óbiit, anno ætátis quadragésimo quinto, Christi millésimo quingentésimo quinquagésimo secundo. Corpus ejus post menses quíndecim íntegrū & incorruptum, Goam delátū est. Hunc, Indiárū Apóstolū toto orbe appellátum, Gregórius décimus quintus sanctis ascripsit, anno millésimo sexcentésimo vigésimo secundo.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

LECTIO VI. c. 16. 15.

*Apostolorum missio.*

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Euntes in mundū univérsum, prædicáte Evangéliū omni creatúræ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm. 233. Cartus. Paris.*

AUdiitis quid díxerit Dóminus discípulis suis post resurrectiónem. Misit eos ad Evangelium prædicandum, & factum est. Prædicátum est Evangélium; pervénit ad nos. Bréviter constítuit nobis, loquens discípulis suis, quid faciámus, quid sperémus: ait enim: Qui credíderit & baptizátus fúerit, salvus erit. Exígitur à nobis fides; offertur salus. Erígite fidem; evígilet cor vestrum: recordámini hóminem in quo decepti sumus; recordámini hóminem à quo redempti sumus. Ille homo numquid filius hóminis? Adam homo erat, filius hóminis non erat. Ideò Dóminus Christus assíduè se dicit filium hóminis, ut fáciat nos recordári hóminem qui non fuit filius hóminis, ut recordémur in illo mortem, in isto vitam; in illo peccátum, in isto remissiónē

peccatórum; in illo vínculum, in isto libertátem; in illo damnatiónem, in isto absolutiónem.

Orémus.

DEus, qui Indiárum gentes beáti Francisci Xavérii Presbyteri prædicatióne & miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluisti; concéde propítius, ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exempla; Per Dñm.

*Ad Vesp. fit à Capit. de Sabb. ante Dom. I. Adv. ut habetur Parte Hiemali.*

# EXTRACTUM
## É RUBRICIS GENERALIBUS
### Quæ reperiuntur Parte Vernâ.

IN Officio Annuali, resumuntur tertium, sextum, & nonum Responsorium: in Officio Solemni-majore, resumentur sextum & nonum; in Solemni-minore, solum Responsorium nonum.

In prædictis Officiis & in Duplici-Majore, tria dicuntur Nocturna plena, id est, novem Antiphonæ, tot Psalmi, tot quoque Lectiones; & sic ubi fit de die Dominicâ.

In Duplici-minore, dicuntur tantùm sex Lectiones hoc ordine: In I. Nocturno dicuntur tres Antiphonæ & tres Psalmi tantùm; omittuntur Versiculus & Lectiones. In II. Nocturno, præter tres Antiphonas & tres Psalmos, dicuntur Versic. tres Lectiones & tria Responsoria. In III. Nocturno tres dicuntur Antiphonæ, tres Psalmi, Versic. tres Lectiones; quarta & quinta de Sancto; sexta, Homilia: & si sit Lectio septima, dicitur post sextum Respons. & Benedictio est: *Ipse Deus pacis sanctificet nos per ómnia*; deinde sine Respons. *Te Deum.* Ad primas Vesperas Duplicis-minoris & suprà, post Capitulum dicitur Responsorium.

Semiduplex Officium non transfertur; & si occurrat Officium Duplex-minus aut suprà, fit de Semiduplici Commemoratio ad utrasque Vesperas & Laudes: non legitur de Sancto Semiduplici. Fiunt Suffragia communia ad utrasque Vesperas & Laudes; sed non dicuntur Preces Feriales ad Primam &

Completor. utrumque. Ad I. Vesp. non dicitur Resp.

Ad Officium Nocturnum, tres Psalmi primi Nocturni dicuntur sub unâ Antiphonâ è tribus ejusdem primi Nocturni juxta Feriam, ita: prima dicitur Feriâ secundâ & quintâ; secunda dicitur Feriâ tertiâ & sextâ; tertia verò, Feriâ quartâ & Sabbato. Ita in secundo Nocturno dicitur una tantùm Antiphona; quâ dictâ, dicuntur Versiculus, Lectiones de Scriptura occurrente, & tria Responsoria de Sancto. In tertio Nocturno ut in secundo.

Simplex incipit à Capitulo die præcedenti. In Officio novem Lectionum fit de eo Commemoratio ad primas Vesperas & Laudes, & non dicitur Lectio ad Nocturnum Officium: at in Officio Duplici-minore, Semiduplici, de Beatâ in Sabbato, & in Feriis majoribus, post ultimum Responsorium dicitur Lectio de Simplici cum Benedictione, *Ipse Deus pacis sanctificet nos per omnia*; & non dicitur Responsorium, sed *Te Deum* si dicendum sit. Dicuntur ad Vesperas & Laudes Suffragia; ad Completorium & Primam, Preces. Ad Officium Nocturnum dicuntur novem Psalmi Feriæ, & unum Nocturnum de Communi juxta Feriam occurrens; tres Antiphonæ dicendi Nocturni, unaquæque post tres Psalmos: prima Lectio ex duabus prioribus de Scriptura; tertia, de Sancto. Laudes dicuntur sub unâ Antiphonâ, quæ est quarta de Communi.

Officium Dominicæ fit ritu Duplici, ita ut cedat Duplici-majori, non minori. Ad Primam & utrumque Completorium, non dicuntur Preces. Ad utrasque Vesperas & Laudes, fit tantùm Commemoratio de Beata, & si non sit Patrona Ecclesiæ, additur Commemoratio Patroni. De Festo Semiduplici aut Simplici fit Commemoratio ad Vesperas & Laudes, sed non dicitur Lectio.

Invitatorium in Annuali ante Psalmum *Venite*, bis dicitur, & post quemlibet Psalmi versum integrè repetitur; post *Gloria* verò repetitur à medio, & posteà adhuc integrè dicitur: & ita in Solemni-majore. At verò in Solemni-minore, & in omnibus aliis Officiis, ante Psalmum bis dicitur integrum; deinde alternatim repetitur integrum & ab asterisco, & in fine adhuc integrè repetitur.

# COMMUNE SANCTORUM.

## *PARS AUTUMNALIS.*

---

## COMMUNE APOSTOLORUM.

[ *In omni Officio de ...nctis dicuntur Psalmi de ...ria, nisi aliter notetur.*]

N I. VESPERIS.

*...nt.* VOs Sacerdótes D. Dómini vocamini: Miniſtri Dei no...i, dicétur vobis: Forti...dínem géntium comedétis. *Iſai.* 61. 6.

*Ant.* 2. D. Vocabuntur ...rtes juſtítiæ, plantátio ...ómini ad glorificandum. *Ibid. v.* 3.

*Ant.* 3. a. Ædificábunt ...ſerta à ſǽculo, & rui...s antíquas érigent. *Ibid.* 4.

*Ant.* 4. E. Sanctificá...unt Sanctum Jacob, & ...eum Iſraël prædicá...unt. *Ib.* 29. 23.

*Ant.* 5. C. Qui ſunt iſti, ...ui ut nubes volant, & ...uaſi columbæ ad feneſ...tras ſuas? *Ibid.* 60. 8.

*...apitulum.* Iſai. 61. v. 8. 9.

DAbo opus eórum in veritáte, & fœdus ...erpétuum fériam eis. Et ...ient in géntibus ſemen ...órum, & germen eórum ... médio populórum.

℟. Non ſunt loquélæ neque ſermónes, quorum non audiantur voces eórum; * In omnem terram exívit ſonus eórum, † Et in fines orbis terræ verba eórum. *Pſ.* 18. 4. 5. ℣. Illi profecti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperante, & ſermónem confirmante. *Marc.* 16. 20. * In omnem. ℣. Glória. † Et in.

*Hymnus.*

ORBIS lætítiâ férveat, & ſua
Noſtris jungat ovans cántica pláuſibus:
Vos, biſſéna novi lúmina fœderis,
Feſto cármine pángimus.
Ut nubes plúviis denſa ſalúbribus,
Veri fœta cohors, tránſvolat æquora;
Chriſtum voce tonat, fánaque Núminum
Verbi fúlmine díruit.
CULTORES óperis, quo páritur ſalus,
Plures cum lácrymas, & ſtérili ſuum

Fundunt semen agro, spem simul áureæ
Messis córdibus ínserunt.
Tentantur váriis dum cruciátibus,
Docti dura pati, célsaque dícere,
Fictas delícias, vánaque lúdicra
Mundi, quàm benè dédocent!
His Christi réferunt dógmata móribus,
Nascentisque gregis partúriunt fidem;
Quam ne degéneri péctore décidat,
Fuso sánguine róborant.
Sit supréma tibi glória, Trinitas,
Quâ cæcis óculis lux óritur nova:
Fac quæ sancta datur lex per Apóstolos,
Sit lux vitaque córdium.
Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Psal.* 144. 5.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 6. F. Pópulos vocábunt ad montem, ibi immolábunt víctimas justítiæ: qui inundatiónem maris quasi lac sugent, & thesauros abscónditos arenárum. *Deut.* 33. 19.

*Oratio propria.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Apostolórum Magistrum & Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13. 13. *Ps.* Veníte.

*Hymnus*, Orbis lætítiâ, *ut in primis Vesperis.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. a. Vocávit ad se quos vóluit ipse, & venérunt ad eum. *Marc.* 3. 13.

*Ant.* 4. D. Dedit illis potestátem curandi infirmitátes, & ejiciendi dæmónia. *Ibid.* 15.

*Ant.* 6. F. Ignobília mundi elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret. 1. *Cor.* 1. 28.

℣. Custodiébant testimónia ejus; ℟. Et præceptum quod dedit illis. *Ps.* 98. 7.

℟. *j.* Vocávit Jesus discípulos suos, & elégit duódecim ex ipsis, * Quos & Apóstolos nominávit. *Luc.* 6. 13. ℣. Laudémus viros gloriósos, & parentes nostros, in generatióne sua. *Eccli.* 41. 1. * Quos & Apóstolos.

℟. *ij.* Pósuit Dóminus óculum suum super corda illórum, osténdere illis magnália óperum suórum, * Ut nomen sanctificatiónis collaudent, & magnália enarrent óperum ejus. *Eccli.* 17. 7. 8. ℣. Fecit ut essent duódecim cum illo,

& ut mítteret eos prædicáre. *Marc.* 3. 14. * Ut nomen.

℟. *iij.* Accédens Jesus, locútus est úndecim discípulis, dicens : Euntes docéte omnes gentes; & ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus, * Usque ad consummatiónem séculi. *Matt.* 28. *v.* 18. 19. 20. ℣. Fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent. *Eccli.* 44. 13. * Usque ad consummatiónem. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. * Usque ad consummatiónem séculi.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. d. Virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi. *Act.* 4. 33.

*Ant.* 1. g. Grátia magna erat in ómnibus illis. *Ibid.*

*Ant.* 8. G. Apóstoli ecclesiárum glória Christi. 2. *Cor.* 8. 23.

℣. Deus noster, tu exaudiébas eos : ℟. Deus, tu propítius fuisti eis. *Ps.* 98. 8.

℟. *iv.* Per manus Apostolórum, * Fiébant signa & prodígia multa in plebe. *Act.* 5. 12. ℣. Pósuit in eis verba signórum suórum & prodigiórum. *Ps.* 104. 27. * Fiébant signa.

℟. *v.* Magnificábat eos pópulus : * Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo. *Act.* 5. 13. 14. ℣. Benedixit eis Dóminus, & multiplicáti sunt nimis. *Ps.* 106. 38. * Magis.

℟. *vj.* Non vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, * Qui lóquitur in vobis. *Matt.* 10. 20. ℣. O quàm bonus & suávis est Spíritus. *Sap.* 12. 1. * Qui lóquitur. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. * Qui.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 2. D. Locútus es, Dómine, cum eis de cœlo, & dedisti eis judícia recta, & legem veritátis. 2. *Esd.* 9. 13.

*Ant.* 6. F. Dedisti eis regna & pópulos, & partítus es eis sortes. *Ibid.* 9. 20.

*Ant.* 5. C. Multiplicasti fílios eórum sicut stellas cœli. *Ibid.* 23.

℣. Séminant in lácrymis; ℟. In exultatióne metent. *Ps.* 125. 5.

℟. *vij.* Inclúsos custodiébant fílios tuos, Dómine, * Per quos incipiébat incorruptum legis lumen século dari. *Sap.* 18. 4. ℣. Injecérunt in Apóstolos manus, & posuérunt eos in custódiam.

*Act.* 4. 3. * Per quos incipiébat.

℟. *viij.* Ibant gaudentes à conspectu concílii; * Quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. *Act.* 5. 41. ℣. Hæréditas sancta nepótes eórum, & in testamentis stetit semen eórum. *Eccli.* 44. 12. * Quóniam.

℟. *ix.* Testamentum æternum constituit Dóminus cum illis, & justítiam, * Et judícia sua ostendit illis, † Et magnália honóris ejus vidit óculus illórum. *Eccli.* 17. 10. ℣. Tradidérunt Apóstoli ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15. 26. * Et judícia. ℣. Glória Patri, & Fílio. † Et magnália.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Magnificávit Dóminus, ℟. Fácere cum eis. *Ps.* 125. 2.

*Ant.* 8. c. Exulta, cœlum, & sancti Apóstoli; quóniam judicávit Deus judícium vestrum. *Apoc.* 18. 20.

*Ant.* 4. A. Sedébitis & vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israël. *Matt.* 19. 28.

*Ant.* 7. c. Rogáte Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. *Matth.* 9. 38.

*Ant.* 3. a. Vos estis sal terræ; vos estis lux mundi. *Matt.* 5. 13. 14.

*Ant.* 6. F. In fundaméntis Jerúsalem, nómina duódecim Apostolórum Agni. *Apoc.* 21. 14.

*Capitul.* Eph. 2. *v.* 19. 20.

FRatres, jam non estis hóspites & ádvenæ; sed estis cives Sanctórum & doméstici Dei, superædificáti super fundamentum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

*Hymnus.*

GEntes, voce novâ
vos Deus ádvocat;
Tandem vincla jugi rúmpite ahænei;
Festináte; Tonantis
Verbo péctora súbdite.

Audimur: pópuli concípiunt fidem;
Orbi sparsa salus; templa Deûm ruunt:
Quos lusit vetus error,
Ducit spléndida véritas.

Uni Roma stupet súbdita Númini;
Signis insólitis Græcia sternitur;
Indorumque remótis
Christi vox sonat ínsulis.

Mundus dissímilis fit
sibi móribus;

Pax sincéra nitet, lis ubi férbuit;
In quo culpa sedébat,
Regnat péctore cháritas.
Passi præco Dei crux venerábilis,
Victis conspícitur fróntibus áddita:
Hoc insigne triumphi,
Testes fúneris érigunt.
O nullis hóminum pérvia sénsibus,
Sit supréma tibi glória, Trínitas;
Da clangat tuba Christi,
Fines orbis ad últimos.
Amen.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram: ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. *Ps.* 44. *v.* 17. 18.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* J. Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt. *Joan.* 20. 23.

*Oratio propria.*

AD PRIMAM.

*Ant.* Exulta cœlum.

*Capitulum*, *ut in Psalterio.*

*CANON*, *ut habetur suo loco.*

AD TERTIAM.

*Ant.* Sedébitis.

*Capitulum.* Sap. 3. 8.

JUdicábunt natiónes, & dominabuntur pópulis, & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. *br.* Sedérunt sedes, * In judício. *Repet.* Sedérunt. ℣. Sedes super domum David. *Ps.* 121. 5. * In judício. ℣. Glória. *Repet.* Sedérunt.

℣. Príncipes populórum congregáti sunt, ℟. Cum Deo Abraham. *Ps.* 46. 10.

AD SEXTAM.

*Ant.* Rogáte.

*Capitulum.* Eccli. 36. 16. 17.

REple Sion, Deus, inenarrabílibus verbis tuis, & súscita prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo Prophétæ prióres.

℟. *br.* Euntes * Ibant & flebant. *Repet.* Euntes. ℣. Mittentes sémina sua. * Ibant. ℣. Glória. *Rep.* Euntes.

℣. Venientes autem vénient cum exultatióne, ℟. Portantes manípulos suos. *Ps.* 125. 6.

AD NONAM.

*Ant.* In fundamentis Jerúsalem.

*Capitulum.* Apoc. 21. 21.

DUódecim portæ, duódecim margarítæ sunt per síngulas: & síngulæ portæ erant ex síngulis margarítis.

℟. *br.* Mihi autem nimis * Honorificáti sunt amíci tui, Deus. *Rep.* Mihi. ℣. Nimis confortátus

est principátus eórum. * Honorificáti sunt. ℣. Glória. *Rep.* Mihi. *Ps.* 138. 17.
℣. Dii fortes terræ, ℟. Vehementer eleváti sunt. *Ps.* 46. 10.

AD II. VESPERAS.

*Antiphona de Laudibus.*

*Capitulum.* Eccli. 44. 7. 8.

GLóriam adepti sunt, & in diébus suis habentur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrandi laudes eórum.

*Hymnus.*

CRESCAT ut verbum, fidei satóres
Cónsecrant curæ sócios perennis;
Qui novas terras, nova sint paráti
Bella subíre.

HINC apud gentes sacra lux remótas
Fulget, & sermo séritur salútis;
Nos adhuc fruges sumus hoc feráci
Sémine cretæ.

MULTIPLEX messis referenda cœlo;
Sed suos pauci géminant labóres:
Tu tuæ Clerum, Deus, adjuvando,
Cónsule messi!

CHRISTE, virtútem rénova supernam,
Quâ cohors mundum duodéna vicit,
Quâ pares curas, eademque vitæ
Dona ferámus!

SEDE bisséná próceres verendi,
Désuper vestræ sóboli favéte,
Ut fide purâ recolátur unus
Christus in orbe!

SUMMA laus Patri, Genitóque summa,
Laus tibi compar, utriusque Nexus;
Ad tuam laudem, Déitas supréma,
Prótege Clerum! Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps.* 63. 10.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Quæcumque alligavéritis super terram, erunt ligáta & in cœlo; & quæcumque solvéritis super terram, erunt solúta & in cœlo. *Matt.* 18. 18.

*Oratio, ut in Proprio.*

---

## COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

*Ant.* 1. a. JUstus quasi leo confídens, absque terróre erit. *Prov.* 28. 1.

*Ant.* 7. ç. Timórem, & metum, & probatiónem indúcet super illum Dóminus, donec credat áni-

mæ illíus. *Eccli.* 4. 19.

*Ant.* 5. C. In tentatióne Deus illum consërvábit; non illidétur quasi in procella navis. *Eccli.* 33. *v.* 1. 2.

*Ant.* 6. F. Firmábit illum, & lætificábit, & thesaurizábit super illum intellectum justítiæ. *Eccli.* 4. *v.* 20. 21.

*Ant.* 4. a. Usque in tempus sustinébit pátiens, & pósteà reddítio jucunditátis. *Eccli.* 1. 29.

*Capitulum.* Is. 12. 2.

ECce Deus Salvátor meus: fiduciáliter agam, & non timébo; quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus.

*In Duplicibus-Minoribus & suprà, dicitur:*

℟. Benedictus vir, qui confidit in Dómino; * Erit Dóminus fidúcia ejus; † Non timébit, cùm vénerit æstus. *Jer.* 17. 7. 8. ℣. Qui sustinuerit in finem, hic salvus erit. *Marc.* 13. 13. * Erit. ℣. Glória. † Non timébit.

*Hymnus.* S. V.

FElix morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo difficilem rúmpere amas viam;
Et signáre cruóre,
Quam Christo déderas fidem.

Pœnis victa quibus deficeret fides,
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas;
Cui non sufficit una,
Ambis innúmeras neces.

Te pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere:
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sustinet.

Et nos delícias, vana per ótia,
Gens infida Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inertes
Sanguis Mártyris éxcitat.

Patri máxima laus, máxima Filio;
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donante, corónâ
Invictus pugil óbtinet.
Amen.

℣. Justus, cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36. 24.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. E. Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3. 21.

*Oratio propria, vel ut infrà ad Laudes.*

*Si facienda sit Comm. alterius Mart. fit per Ant. & ℣. è Laudibus, & sic in omni alio Communi.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Christum qui dat vincenti manna abscónditum, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 2. 17.

*Psal.* Veníte.

*Hymnus.* S. V.

EX quo, salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redemptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

NON jam crucis Christi pudet:
Quin surgit ingens glória,
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

HOc iste plenus Spíritu,
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus dénterâ,
Tibi, Redemptor, mílitat.

PARATA spectans prǽmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

UNUS tot armátas manus
Stupente lassat júdice;
Et tortus ipse qui cadit,
Torquéntibus fit fórtior.

DA, Christe, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia:
Da sustinére pro tuo,
Quodcumque durum, nómine.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 1. g. Dóminus tecum, virórum fortíssime. *Judic.* 6. 12.

*Ant.* 2. D. Deus tuus quem colis semper, ipse liberábit te. *Dan.* 6. 16.

*Ant.* 3. c. Ejíciet à fácie tua inimícum, dicetque: Contérere. *Deut.* 33. 27.

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi, ℟. Et sub pennis ejus sperábis. *Ps.* 90. 4.

℟. *j.* Patienter sustinens, * Destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. 2. *Machab.* 6. 20. ℣. Conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus. 1. *Timoth.* 6. 12. * Destinávit.

℟. *ij.* Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vínceret, & sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. *Sap.* 10. 12. ℣. Confortátus est fide, dans glóriam Deo. *Rom.* 4. 20. * Ut vínceret.

℟. *iij.* Deus à peccatóribus liberávit eum, * Descenditque cum illo in fóveam, & in vínculis † Non derelíquit illum. *Sap.* 10. 13. 14. ℣. Expectábat fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Heb.* 11. 10. * Descenditque. ℣. Glória. † Non.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 4. E. In fraude

circumveniéntium illum áffuit illi. *Sap.* 10. *v.* 11.

*Ant.* 5. a. Attulit illi poténtiam adversùs eos qui eum deprimébant. *Ib. v.* 14.

*Ant.* 6. F. Intrávit in ánimam servi sui, & stetit contra Reges horréndos in portentis & signis. *Ibid. v.* 16.

℣. Exáudiet illum Deus, ℟. De cœlo sancto suo. *Ps.* 19. 7.

℟. *iv.* Propter opus Christi usque ad mortem accessit, * Tradens ánimam suam. *Philip.* 2. 30. ℣. Gloriosíssimam mortem compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. 2. *Machab.* 6. 19. * Tradens.

℟. *v.* Magis éligens afflígi, quàm temporális peccáti habére jucunditátem, * Invisíbilem tamquam videns, sustínuit. *Hebr.* 11. *v.* 25. 27. ℣. Tormenta suscépit, & in último spíritu constitútus. 2. *Mach.* 7. *v.* 8. 9. * Invisíbilem.

℟. *vj.* Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, * Accípiet corónam vitæ. *Jac.* 1. 12. ℣. Hic ítaque mundus óbiit, per ómnia in Dómino confídens. 2. *Machab.* 7. 40. * Accípiet. ℣. Glória. * Accípiet.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. d. Divítias æstimans impropérium Christi, aspiciébat in remuneratiónem. *Hebr.* 11. 26.

*Ant.* 8. c. Timet Dóminum, nil trepidábit; & non pavébit, quóniam ipse est spes ejus. *Eccli.* 34. 16.

*Ant.* 1. D. In quocumque loco fúeris, Dómine, sive in morte, sive in vitâ, ibi erit servus tuus. 2. *Reg.* 15. 20.

℣. Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, ℟. Et refúgium meum. *Ps.* 90.

℟. *vij.* Nequáquam ut mori solent ignávi, mórtuus est: * Sicut solent cádere coram fíliis iniquitátis, sic corruísti. 2. *Reg.* 3. 33. 34. ℣. Dóminus Jesus Christus cum spíritu tuo. 2. *Tim.* 4. 22. * Sicut.

℟. *viij.* Mendáces ostendit Dóminus, qui maculavérunt illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. *Sap.* 10. 14. ℣. Oppressum à nefandórum injúriâ erípuit illum Deus. 2. *Petr.* 2. 7. * Et dedit.

℟. *ix.* Hanc tentatiónem ídeò permísit Dóminus evenire illi, * Ut pósteris darétur † Exemplum patiéntiæ ejus. *Tob.* 2. 12. ℣. In labóribus plúrimis, in carcéribus

a v.

abundántiùs, in plagis supra modum, in mórtibus frequenter. 2. Cor. 11. 23. * Ut pósteris. ℣. Glória. † Exemplum.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. Sac. Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætitia.

Ant. 3. a. Honestávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus. Sap. 10. 10.

Ant. 8. G. Erat Deus cum eo, & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. Act. 7. 9. 10.

Ant. 7. d. Absque terróre requiescet, & abundántiâ perfruétur, timóre malórum subláto. Prov. 1. 33.

Ant. 1. a. Data est ei coróna, & exivit vincens ut vinceret. Apoc. 6. 2.

Ant. 4. a. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentátio probáret te. Tob. 12. 13.

Capitulum. 2. Timoth. 4. v. 7. 8.

BOnum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi; in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus Judex.

Hymnus. S. V.

JAm non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas cœlítuum choros;
Nunc pro cárcere cœco,
Fulgentes hábitas domos.

NON jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.

NEC te dira fames, nec sitis ámpliùs,
Nec probrósa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus & índuit.

SIC tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória vindicet;
Confundisque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.

PATRI máxima laus; máxima Fílio;
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donante, corónam
Invictus pugil óbtinet. Amen.

℣. Justus ut palma florébit; ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Ps. 91. 13.

Ad Benedictus. Ant. 1. D. Vitâ decessit, universæ genti memóriam mortis suæ ad exemplum virtútis & fortitúdinis derelinquens. 2. Mach. 6. 31.

*Oratio.*

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minis injustè persequéntium, nec ullis perturbémur adversis; Per.

*Alia Oratio.*

DA nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto *N.* Mártyre tuo, in tua fide & sinceritáte constántiam; ut in charitáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per.

*Si sit Pontifex.*

*Oratio.*

FAc nos, Dómine Deus, imitári sacerdotálem constántiam beáti *N.* Mártyris tui atque Pontíficis; ut fidem servantes quam dócuit, ejusdem corónæ consortes efficiámur; Per.

*Alia Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui beáto *N.* dignam Mártyre atque Pontífice fidem & fortitúdinem tribuisti: fac nos, ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere, & ad te, qui solus vera vita es, perveníre. Per.

*Si facienda sit commemorátio alterius Martyris, fit per Antiph. &* ℣. *ex ij. Vesperis; & sic in omni alio Communi.*

AD PRIMAM.

*Ant.* Honestávit.

AD TERTIAM.

*Ant.* Erat Deus.

*Capitulum.* Jer. 20. 13.

CAntáte Dómino, laudáte Dóminum, quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum.

℟. *br.* Super salutáre tuum, Dómine, * Exultábit vehementer. *Repet.* Super. ℣. Desidérium cordis ejus tribuisti ei. * Exultábit. ℣. Glória. *Rep.* Super. *Ps.* 20. 2.

℣. Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam. ℟. De lápide pretióso. *Ps.* 20. 4.

AD SEXTAM.

*Ant.* Absque terróre.

*Capitulum.* Apoc. 3. 12.

QUi vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámpliùs; & scribam super eum nomen Dei mei.

℟. *br.* Magna est glória ejus, * In salutári tuo. *Repet.* Magna est. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. *Psal.* 20. 6. * In salutári. ℣. Glória. *Repet.* Magna est.

℣. Dabis eum in benedictiónem, ℟. In séculum séculi. *Ibid. v.* 7.

AD NONAM.

*Ant.* Quia acceptus.

*Capitul.* Job. 23. 10. 11.

PRobávit me Deus quasi aurum, quod per ignem transit: vestígia ejus secútus est pes meus; viam ejus custodívi, & non declinávi ex ea.

℟. *br.* Lætábimur * In salutári tuo. ℣. Et in nómine Dei nostri magnificábimur. *Psal.* 19. 5. * In salutári tuo. ℣. Glória Patri. *Repet.* Lætábimur.

℣. Hábitat in adjutório Altíssimi. ℟. Et in protectióne Dei. *Ps.* 90. 1.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* Honestávit, *cum cæteris de Laudibus.*

*Capitulum.* Tob. 3. 22. 23.

POst tempestátem tranquillum facis, Dómine, & post lacrymatiónem & fletum exultatiónem infundis; sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sǽcula.

*Hymnus*, Felix morte, *ut in primis Vesperis.*

℣. Tríbuat tibi Dóminus secundùm cor tuum, ℟. Et omne consílium tuum confirmet. *Ps.* 19. 5.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 2. D. Factus es, Dómine, fortitúdo egéno in tribulatióne sua, spes à túrbine, umbráculum ab æstu. *Is.* 25. 4.

*Oratio ut suprà ad Laudes, nisi sit propria.*

---

# COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

*Ant.* 8. G. JUstítia rectórum liberábit eos; & in insidiis suis capientur íniqui. *Prov.* 11. 6.

*Ant.* 1. D. Oculi Dómini præbent fortitúdinem his qui corde perfecto credunt in eum. 2. *Paral.* 16. 9.

*Ant.* 7. d. Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi. *Daniel.* 12. 10.

*Ant.* 4. D. Vasa figuli probat fornax, & hómines justos tentátio tribulatiónis. *Eccli.* 27. 6.

*Ant.* 2. D. In paucis vexáti, in multis benè disponentur. *Sap.* 3. 5.

*Capitulum.* Isa. 51. *v.* 7. 8.

NOlíte timére oppróbrium hóminum, & blasphémias eórum ne metuátis: sicut enim vestimentum, sic cómedet eos vermis; salus autem mea in sempiternum erit.

*In Duplicibus & suprà:*

℟. Ruent in gládio, &

in flamma, & in captivitáte: * Ut conflentur & dealbentur usque ad tempus præfinítum. *Dan.* 11. *v.* 33. 35. ℣. Datum est béstiæ bellum fácere cum sanctis. *Apoc.* 13. 7.* Ut conflentur. ℣. Glória Patri. * Ut conflentur & dealbentur.

*Hymnus.*

QUANTO, morte sacrâ quos tibi dévoves,
Firmas, Christe, tuos róbore mílites!
Ad tormenta vehit non pávidos mori,
Quam das ígnea cháritas.

TORTORIS rábies sæviat ímpotens;
Addat carcéribus férrea víncula;
Constanti púgiles pectore, prælia,
Trunci córpore sústinent.

ALTO de sólio nunc, Deus, áspice
Non indigna tuo númine múnera;
Quot prostráta jacent córpora Mártyrum,
Astant tot tibi víctimæ.

AD te, letífero vúlnere saucii,
Vectantur róseo flúmine sánguinis:
Emensi, duce te, Christe, perícula,
Tangunt líttora pátriæ.

SED quid barbáries ímpia próficit?
Non hæc Christíadas vúlnera déprimunt:
Gens exorta sacro fúnere Núminis,
Crescit sánguine Mártyrum.

PATRI máxima sit, máxima Fílio,
Sit par Spirítui; laus tibi, Trínitas,
Quæ te Martyribus pródiga præmium
Das, & vívere per neces. Amen.

℣. Custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; ℟. De manu peccatóris liberábit eos. *Ps.* 96. 10.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Exultábitis lætitiâ inenarrábili & glorificátâ, reportantes finem fidei vestræ salútem animárum. 1. *Petr.* 1. 8. 9.

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Deum patiéntiæ & solátii, * Veníte, adorémus. *Rom.* 15. 5.

*Psalm.* Venite.

*Hymnus.* S. V.

FORTES cadendo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine
Cœlestis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

IMPLERE vos omnes decet,
Passo Deo quod défuit;

Per tot neces, læso Patri
Fit plena Christus hóstia.
Quem lictor insánus sitit,
Quem cæcus effundit furor,
Amor sacerdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.
Sic, Christe, robur Mártyrum,
Certáre das & víncere;
Tuosque múnerans, tua
Æquus corónas præmia.
Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. G. Per viam quam præcépit Dóminus Deus vester, ambulábitis. *Deut.* 5. 33.

*Ant.* 2. D. Tentat vos Dóminus, ut palàm fiat utrùm diligátis eum, an non, in toto corde. *Deut.* 13. 3.

*Ant.* 5. c. Vos hódie contra inimícos vestros pugnam commíttitis. *Deut.* 20. 3.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte, justi; ℟. Et gloriámini, omnes recti corde. *Psal.* 31. 11.

℟. *j.* Vobis donátum est pro Christo, * Non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. *Philip.* 1. 29. ℣. In virtúte Dei custodímini per fidem. 1. *Pet.* 1. 5. * Non solùm.

℟. *ij.* Dóminus Deus vester in médio vestrî est, * Et pro vobis contra adversários dimicábit, ut éruat vos de perículo. *Deut.* 20. 4. ℣. Quóniam estis filii, misit Deus Spíritum Filii sui in corda vestra. *Galat.* 4. 6. * Et pro.

℟. *iij.* Mundi Creátor qui formávit hóminis nativitátem, * Et spíritum vobis íterum cum misericórdiâ reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despícitis † Propter leges ejus. 2. *Mac.* 17. 23. ℣. Qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra. *Rom.* 8. 11. * Et spíritum. ℣. Glória. † Propter.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. a. Fidélis Deus est, qui confirmábit vos, & custódiet à malo. 2. *Thess.* 3. 3.

*Ant.* 1. a. Non injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsíus. *Hebr.* 6. 10.

*Ant.* 4. A. Sicut sócii passiónum estis, sic éritis & consolatiónis. 2. *Cor.* 1. 7.

℣. Salvábit eos Dó-

minus; ℟. Quia ſperavérunt in eo. *Pſ.* 36. 40.

℟. *iv.* Tamquam aurum in fornáce, probávit illos Dóminus, * Et quaſi holocauſti hóſtiam accépit illos. *Sap.* 3. 6. ℣. Diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptiónem, ut meliórem invenírent reſurrectiónem. *Hebr.* 11. 35. * Et quaſi.

℟. *v.* Benedictus Deus, qui éruit ſervos ſuos qui credidérunt in eum, * Et tradidérunt córpora ſua, ne ſervírent, & ne adorárent omnem Deum excepto Deo ſuo. *Dan.* 3. 95. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti ſunt juſtítiam. *Hebr.* 11. 33. * Et tradidérunt.

℟. *vj.* Decantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum, * Et victrícem manum tuam † Laudavérunt páriter. *Sap.* 10. 20. ℣. In multo experimento tribulatiónis, abundántia gáudii ipſórum fuit. 2. *Cor.* 8. 2. * Et victrícem. ℣ Glória Patri. † Laudavérunt.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 5. a. Rex mundi defunctos pro ſuis légibus in ætérnæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit. 2. *Machab.* 7. 9.

*Ant.* 6. F. Agnus reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Ap.* 7. 17.

*Ant.* 1. f. Si coram homínibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illórum immortalitáte plena eſt. *Sap.* 3. 4.

℣. Salus juſtórum à Dómino; ℟. Et protector eórum in témpore tribulatiónis. *Pſal.* 36. 39.

℟. *vij.* Ludíbria & vérbera experti ſunt, ínſuper & víncula & cárceres: lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii mórtui ſunt: * Circuiérunt egentes, anguſtiáti, afflicti, quibus dignus non erat mundus. *Hebr.* 11. *v.* 36. 37. ℣. Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe. *Sap.* 3. 5. * Circuiérunt.

℟. *viij.* Abſterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, * Quia prima abiérunt. *Apoc.* 21. 4. ℣. Accípient regnum décoris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini. *Sap.* 5. 17. * Quia prima.

℟. *ix* Ipſi vicérunt propter ſanguinem Agni, * Et non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem: † Proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. *Apoc.* 12. *v.* 11. 12.

℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento ætérnæ vitæ effécti sunt. 2. Machab. 7. 36. * Et non. ℣. Glória. * Proptérea.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Vox exultatiónis & salútis, ℟. In tabernáculis justórum. *Ps.* 117. 15.

*Ant.* 6. F. Ecce beatificámus eos qui sustinuérunt, quóniam miséricors Dóminus est. *Jac.* 5. 11.

*Ant.* 7. *d.* Magnum certámen sustinuistis passiónum, opprobriis & tribulatiónibus spectáculum facti. *Hebr.* 10. 32. 33.

*Ant.* 2. D. Rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepistis, cognoscentes vos habére meliórem & manentem substántiam. *Hebr.* 10. 34.

*Ant.* 4. f. Qui sponte obtulistis ánimas vestras ad perículum, benedícite Dómino. *Judic.* 5. 2.

*Ant.* 5. a. Tamquam fíliis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non córripit pater? *Hebr.* 12. 7.

*Capitulum.* Sap. 3. *v.* 1. 2. 3.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis: visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

*Hymnus.* S. V.

QUAM, Christe, signasti viam
Primus, profúso sánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem sequuntur mílites.

OMNES in ostro spléndidi,
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

AUDIRE si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat;
Audi tuos, qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

FAC, si tyrannus déficit,
Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péctora,
Ipsis tyrannis sævior.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. In te, Dómine, speravérunt, ℟. Et liberasti eos. *Ps.* 21. 5.

*Ad* Benedict. *Ant.* 3. a. Lætítia sempitérna super caput eórum; gáudium & lætítiam obtinébunt, & fúgiet dolor & gémitus. *Isa.* 35. 10.

*Oratio.*

EXaudi nos, Dómine, Mártyrum tuórum N. & N. victórias celebrantes; ut córdibus ex eórum passióne succénsis, in lege tua fidéliter ambulémus; Per.

*Alia Oratio.*

MArtyris tui N. & sociórum solémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut in tua charitáte radicáti & fundáti, passiónes hujus témporis, glóriæ cœléstis amóre, ánimo volenti sustineámus; Per Dóminum.

*Si sint Pontifices.*

*Oratio.*

BEatórum Mártyrum tuórum & Pontíficum N. & N. nos, quæsumus, Dómine, festa tueantur, & eórum commendet orátio veneranda; Per.

*Alia Oratio.*

DEus, cujus grátiâ sancti Mártyres & Pontífices N. & N. mundi nec blandítiis, nec terróribus devicti sunt: da nobis, ut te solum diligentes, prósspera mundi simul & adversa despiciámus; Per.

AD PRIMAM.

*Ant.* Ecce.

AD TERTIAM.

*Ant.* Magnum.

*Capitulum.* Apoc. 22. 3. 4.

VIdébunt fáciem Agni, & nomen ejus in fróntibus eórum; & nox ultrà non erit, & non egébunt lúmine lucernæ, neque lúmine solis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos.

℞. *br.* Exultent justi * In conspectu Dei. *Repet.* Exultent. ℣. Et delecténtur in lætítia. *Psal.* 67. 4. * In conspectu Dei. ℣. Glória. *Repet.* Exultent.

℣. Próteges eos, Dómine, ℞. In tabernáculo tuo. *Psal.* 30. 21.

AD SEXTAM.

*Ant.* Rapínam.

*Capitulum.* Sap. 10. v. 17. 18.

REddidit justis Deus mercédem labórum suórum, & deduxit illos in via mirábili; tránstulit illos per mare rubrum, & transvexit illos per aquam nímiam.

℞. *br.* Clamavérunt justi, * Et Dóminus exaudívit eos. *Repet.* Clamavérunt. ℣. Et de ómnibus tribulatiónibus liberávit eos. *Psal.* 33. 18. * Et Dóminus. ℣. Glória. *Repet.* Clamavérunt.

℣. Speravérunt in Dómino, ℞. Et protector eórum est. *Ps.* 113. 11.

AD NONAM.

*Ant.* Tamquam.

*Capitulum.* Dan. 3. 88.

LAudáte & superexaltáte Dóminum in sé-

cula, quia éruit nos de inferno, & salvos fecit de manu mortis.

℟. *br.* Abscondes eos, Dómine, * In abscóndito faciéi tuæ. *Repet.* Abscondes. ℣. A conturbatióne hóminum. *Ps.* 30. 21. * In abscóndito. ℣. Glória. *Repet.* Abscondes.

℣. Confitebuntur nómini tuo, ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Ps.* 139. 14.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* Ecce beatificámus, *cum cæteris de Laudibus.*

*Capitulum.* Sap. 5. 1.

STabunt justi in magna constántia advérsùs eos qui se angustiavérunt, & qui abstulérunt labóres eórum.

*Hymnus,* Quanto morte sacrâ, *ut in I. Vesperis.*

℣. Oculi Dómini super justos, ℟. Et aures ejus in preces eórum. *Ps.* 33. 16.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. Hi sunt qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. *Apoc.* 7. 14.

*Oratio ut suprà, nisi sit propria.*

---

# COMMUNE UNIUS PONTIFICIS.

## IN I. VESPERIS.

*Ant.* 1. D. QUæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum. 1. *Reg.* 13. 14.

*Ant.* 7. d. Præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. *Ibid.*

*Ant.* 8. G. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16. 7.

*Ant* 5. a. Gestábit judícium filiórum Israël in péctore suo in conspectu Dómini semper. *Exod.* 28. 30.

*Ant.* 3. a. Rogante pro eis Sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Levit.* 4. 20.

*Capitulum.* 1. Reg. 2. 35.

SUscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet : & ædificábo ei domum fidélem, & ambulábit coram Christo meo cunctis diebus.

*In Festis Duplicibus, & suprà :*

℟. Factum est illi in testamentum æternum, * Fungi sacerdótio, & glorificáre pópulum suum † In nómine ejus. *Eccli.* 45. 19. ℣. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tamquam Aaron. *Hebr.* 5. 4.

* Fungi sacerdótio, & glorificáre. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. † In nómine ejus.

*Hymnus.* G. Ep. S.

CHRISTE, Pastórũ caput atque princeps,
Præsulis festam venerata lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.

ILLE non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.

STRENUUM bello púgilem superni
Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Páscere gentem.

FIT gregis pastor, pater atque forma:
Omnium curas levat & labóres:
Lætus impendit sua, seque: cunctis
Súfficit unus.

PRO reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

FAC ut illíus précibus juvémur,
Christe; fac Patrem, pariterque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegisti & assumpsisti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64. 5.

*Ad* Magníf. *Ant.* 4. f. Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum & bonum odórem pro pópulo suo. *Eccli.* 45. 20.

*Oratio propria, aut infrà ad Laudes.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Christum Pastórum príncipem, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5. 4.

*Psal.* Veníte.

*Hymnus.* S. V.

CHRISTE, decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi qui fidéles,
Quos legis, formas pópulis regendis
Ipse ministros.

HUNC juvat festo celebráre cantu,
Qui licet magnis méritis abundans,
Flens & invítus, duce te, tremendum
Sumpsit honórem.

NOVERAT quantis páteat períclis
Ille, qui summos ápices adeptus,

Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
Fecerat fervens amor inquiétum;
Quò gregis chari pia cura poscit,
Advolat promptus; mora non euntem
Ulla retardat.
Dux iter, vitâ præeunte, monstrat;
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam benè olente Christi
Implet odóre.
Lux erat cæco, cólumen labanti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibusque
Omnia factus.
Christe, Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut æternæ súbeant opíma
Páscua vitæ. Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 2. D. Cùm párvulus esses in óculis tuis, caput in tríbubus Israel factus es. 1. *Reg.* 15. 17.

*Ant.* 3. à. Tu introdúces pópulum istum in terram quam datúrum se jurávit Dóminus. *Deut.* 31. 7.

*Ant.* 4. E. Dóminus ipse erit tecum; non dimittet, nec derelinquet te. *Deut.* 31. 8.

℣. Ingréditur sine máculâ, ℟. Et operátur justítiam. *Ps.* 14. 2.

℟. *j.* Lex veritátis fuit in ore ejus; iníquitas non est inventa in lábiis ejus; * Et multos avertit ab iniquitáte. *Malach.* 2. 6. ℣. Suscipiébat omnes, prædicans regnum Dei. *Act.* 28. *v.* 30. 31. * Et multos.

℟. *ij.* Quæsívit bona genti suæ; * Et plácuit illis potestas ejus, & glória ejus ómnibus diébus. 1. *Mach.* 14. 4. ℣. Hic erat edoctus viam Dómini, & fervens spíritu loquebátur. *Act.* 18. 25. * Et plácuit.

℟. *iij.* In lege Dómini congregatiónem judicávit, * Et in fide sua † Probátus est Prophéta. *Eccli.* 46. 17. ℣. Quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. 1. *Cor.* 4. 2. * Et in fide. ℣. Glória. † Probátus est.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 8. c. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10. 11.

*Ant.* 7. d. Próprias oves vocat nominátim, & edúcit eas. *Ibid.* *v.* 3.

*Ant.* 1. f. Ante eas vadit, & oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. *Ibid.* *v.* 4.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps.* 77. 70. 71.

℟. *iv.* Hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino, * Quia erat vir bonus, & plenus Spíritu Sancto. *Act.* 11. *v.* 23. 24. ℣. In diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49. 4. * Quia erat vir bonus.

℟. *v.* Misericórdiam habet; * Docet & érudit quasi pastor gregem suum. *Eccli.* 18. 13. ℣. Confírmans Ecclésias, præcípiens custodíre præcépta. *Act.* 15. 41. * Docet.

℟. *vj.* In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, * Qui curávit gentem suam, † Et liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50. 3. 4. ℣. Hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matt.* 5. 19. * Qui. ℣. Glória. † Et liberávit.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. F. In omni ópere dedit confessiónem Sancto & Excelso in verbo glóriæ. *Eccli.* 47. 9.

*Ant.* 3. a. Dedit illi Dóminus in præceptis suis potestátem docére Jacob testimónia, & in lege sua lucem dare Israel. *Eccli.* 45. 21.

*Ant.* 1. a. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39. 13.

℣. Pavit eos in innocéntia cordis sui; ℟. Et in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos. *Ps.* 77. 72.

℟. *vij.* Circumcinxit eum Dóminus zonâ glóriæ; * Coronávit eum in vasis virtútis. *Eccli.* 45. 9. ℣. Supra ómnia quæ póssidet, constítuet illum. *Luc.* 12. 44. Coronávit.

℟. *viij.* In bonitáte, & alacritáte ánimæ suæ, * Plácuit Deo pro Israel: ídeò státuit illi testamentum pacis, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. *Eccli.* 45. *v.* 29. 30. ℣. Exemplum fidélium, in verbo, in conversatióne, in charitáte, in fide. 1. *Tim.* 4. 12. * Plácuit.

℟. *ix.* Quasi stella matutína in médio nébulæ, & quasi luna plena in diébus suis lucet, & quasi sol refulgens, * Sic ille effulsit † In templo Dei. *Eccli.* 50. 6. 7. ℣. Sicut sol lucet in virtúte sua. *Apoc.* 1. 16. * Sic ille. ℣. Glória. † In templo.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Stabit in

loco sancto ejus, ℟. Innocens mánibus & mundo corde. *Ps.* 23. *v.* 3. 4.

*Ant.* 1. g. Sacerdos magnus in vita sua suffulsit domum, & in diébus suis corroborávit templum. *Eccli.* 50. 1.

*Ant.* 2. D. Inventus est perfectus, justus; & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. *Eccli.* 44. 17.

*Ant.* 3. à. Fidélis servus & prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam. *Matt.* 24. 45.

*Ant.* 4. a. Fuit máximus in salútem electórum Dei. *Eccli.* 46. 1. 2.

*Ant.* 8. c. Hic est qui multùm orat pro pópulo. 2. *Mac.* 15. 14.

*Capitulum.* Hebr. 5. 1.

Omnis Póntifex ex homínibus assumptus, pro homínibus constítuitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona & sacrificia pro peccátis.

*Hymnus.* G. Ep. S.

Jesu, Sacerdótum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adesto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victumque præbet: áudiunt,
Sequuntur, & vivunt oves.

Quam sentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovíli réddere.

Arcet frementes béstias,
Lupi retundit ímpetus,
Dolosque fallit, vel mori
Charo parátus pro grege.

Offert frequentem víctimam
Cum plebe Pastor ínnocens;
Secumque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Memor sit Dóminus omnis sacrificii tui, ℟. Et holocaustum tuum pingue fiat. *Ps.* 19. 4.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 5. C. Dedit illi Dóminus legem vitæ & disciplinæ docére Jacob testamentum suum, & judícia sua Israel. *Eccli.* 45. 6.

*Oratio.*

Dirige oves tuas, Dómine, in viam sá-

lutis ætérnæ, quam beáti Pontíficis *N.* vita cum doctrína monstrávit: & fac nos, eódem intercedente, sic ejus súbsequi vestígia, ut cum ipso coronári mereámur; Per Dóminum.

*Alia Oratio.*

DA Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Epíscopi *N.* pietátem tuam pro ipsa semper exórent, & fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per.

AD PRIMAM.

*Ant.* Sacerdos magnus.

AD TERTIAM.

*Ant.* Inventus est.

*Capitulum.* Hebr. 5. 4.

CHristus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu; ego hódie génui te: quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es Sacerdos in ætérnum.

℟. *br.* Tu es Sacerdos * In ætérnum. *Repet.* Tu es. ℣. Secundùm órdinem Melchísedech. *Ps.* 109. 4. * In. ℣. Glória. *Rep.* Tu es.

℣. Non fecit táliter omni natióni, ℟. Et judícia sua non manifestávit eis. *Ps.* 147. 20.

AD SEXTAM.

*Ant.* Fidélis.

*Capitulum.* Eccli. 50. 7.

EFfulsit in templo Dei quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne, quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso.

℟. *br.* Glóriâ & honóre * Coronasti eum, Dómine. *Repet.* Glóriâ. ℣. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8. 6. 7. * Coronasti. ℣. Glória Patri. *Repet.* Glóriâ & honóre.

℣. Lætificábis eum, Dómine, in gáudio, ℟. Cum vultu tuo. *Psal.* 20. 7.

AD NONAM.

*Ant.* Hic est.

*Capitulum.* Eccli. 49. 4.

IPse est directus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis, & gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

℟. *br.* Deduxit eos * In viam rectam. *Repet.* Deduxit. ℣. Ut irent in civitátem habitatiónis. *Ps.* 106. 7. * In viam. ℣. Glória Patri. *Repet.* Deduxit.

℣. Beátus vir, Dómine, cujus est auxílium abs te, ℟. Ascensiónes in corde suo dispósuit. *Ps.* 83. 6.

AD II. VESPERAS.

*Antiphona de Laudibus.*

*Capitulum.* Act. 20. 28.

ATténdite vobis, & univérso gregi, in quo vos Spíritus Sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei.

*Hymnus*, Christe Pastórum, *ut in pr. Vesperis.*

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 131. 9.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 6. F. Státuit ei Dóminus testaméntum ætérnum; dedit illi sacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória. *Eccli.* 45. 8.

*Oratio, ut in Laudibus, nisi sit propria.*

---

# COMMUNE UNIUS DOCTORIS.

## IN I. VESPERIS.

*Ant.* 1. D. BEátus vir, qui in sapiéntia morábitur, & in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. *Eccli.* 14. 22.

*Ant.* 2. D. Cibábit illum Deus pane vitæ & intellectûs, & aquâ sapiéntiæ salutáris potábit illum. *Eccli.* 15. 3.

*Ant.* 3. a. Denudábit illi Dóminus abscónsa sua, & thesaurizábit super illum sciéntiam & intelléctum justítiæ. *Eccli.* 4. 21.

*Ant.* 5. C. Tamquam inundátio abundábit, & consílium illíus sicut fons vitæ. *Eccli.* 21. 16.

*Ant.* 6. F. Vir sápiens implébitur benedictiónibus, & vidéntes illum laudábunt. *Eccli.* 37. 27.

*Capitulum.* Prov. 3. 13.

BEátus homo qui invénit sapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ: mélior est acquisítio ejus negotiatióne argenti.

*In Festis Duplicibus & suprà:*

℟. In médio Ecclésiæ apériet os ejus; * Adimplébit illum Dóminus spíritu sapiéntiæ & intelléctûs. *Eccli.* 15. 5. ℣. Non in persuasibílibus humanæ sapiéntiæ verbis, sed in osténsióne spíritûs & virtútis. 1. *Cor.* 2. 4. * Adimplébit. ℣. Glória Patri. * Adimplébit illum.

*Hymnus.* S. V.

O Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Christe, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm benè súppetis!
Hi semper vígilant, ne quid adúlterum
Corrumpat

Corrumpat fidei virgíneum decus :
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His custódibus íntegra.
INFAMES ábolent rellíquias deûm ;
Erróres ábigunt, crímina dédocent ;
Christo restítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.
PATRUM canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides :
Quæ sunt prisca, docent; quæ nova, súbruunt:
Servant depósitum Dei.
SIT suprema tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris. Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine,
℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93. 12.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. Ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, & in oratióne confitébitur Dómino. *Eccli.* 39. 9.

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Fontem sapiéntiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1. 5.

*Ps.* Veníte.

*Hymnus.* S. V.

JAM nunc, quæ númeras tot tibi víndices,
Effer sidéreum, Rellígio, caput :
Quot sunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi láureas.
CUM per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore mártyres :
Cùm per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi suscitas.
QUANDO sparsa lues úndique críminum,
Hi gliscens vítium prótinus ámputant :
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.
FIRMANT instábiles, & dúbios regunt :
Monstrant tuta procul líttora náufragis :
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
QUÆ dixére tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus imprimas :
Quos terris cólimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.
SIT supréma tibi glória, Véritas,

Quæ per scripta Patrum
quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda
doces, sono,
Et te méntibus ínseris. Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 4. f. Os prudentis quæritur in Ecclésia, & verba illíus cogitábunt in córdibus suis. *Eccli.* 21. 20.

*Ant.* 8. c. In corde illíus requiescit sapiéntia, & indoctos quosque erúdiet. *Prov.* 14. 33.

*Ant.* 5. a. Surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi fácula ardébat. *Eccli.* 48. 1.

℣. Testimónium Dómini fidéle, ℟. Sapiéntiam præstans párvulis. *Ps.* 18. 8.

℟. *j.* Ipse palàm fáciet disciplinam doctrínæ suæ, * Et in lege testaménti Dómini gloriábitur. *Eccli.* 39. 1. ℣. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. *Luc.* 6. 45. * Et in lege.

℟. *ij.* Bonus eris miníster Christi Jesu, * Enutrítus verbis fídei & bonæ doctrínæ, quam assecútus es. 1. *Tim.* 4. 6. ℣. Erudítus es in juventúte tua, & implétus es quasi flumen sapiéntiâ. *Eccli.* 47. 15. 16. * Enutritus.

℟. *iij.* Fuit gratus Deo, & erudítus est omni sapiéntiâ, * Et erat potens in verbis & in opéribus suis. *Act.* 7. *v.* 20. 22. ℣. Cúmque esset sapientíssimus, dócuit pópulum. *Eccl.* 12. 9. * Et erat. ℣. Glória. * Et erat potens.

IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 6. F. Beátus homo qui invénit sapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ. *Prov.* 3. 13.

*Ant.* 7. c. Moderátur sermónes suos, doctus & prudens est, & pretiósi spíritûs vir erudítus. *Prov.* 17. 27.

*Ant.* 1. a. Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes sémitæ illíus pacíficæ. *Prov.* 3. 17.

℣. In lege Dómini voluntas ejus, ℟. Et in lege ejus meditábitur. *Ps.* 1. 2.

℟. *iv.* Vir éloquens erat edoctus viam Dómini, * Et fervens spíritu loquebátur, & docébat diligenter ea quæ sunt Jesu. *Act.* 18. 24. 25. ℣. Audítor sermónum Dei, novit doctrínam Altíssimi. *Num.* 24. 16. * Et fervens.

℟. *v.* Tu autem * Sápiens es sicut habet sapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia. 2. *Reg.* 14. 20. ℣. Teipsum salvum fácies, & eos

qui te áudiunt. 1. *Tim.* 4. 16. * Sapiens es.

℟. *vj.* Vidit principátum suum, quòd in parte sua doctor esset repósitus. * Fuit cum princípibus, † Et fecit justítias Dómini, & judícium suum cum Israel. *Deut.* 33. 21. ℣. Prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Dómino Jesu. *Act.* 28. 31. * Fuit. ℣. Glória. † Et fecit.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. F. Se dedit ad diligéntiam lectiónis legis, & Prophetárum, & aliórum librórum. *Prol. Eccli.*

*Ant.* 3. a. Sicut érudit filium suum homo, sic Dóminus Deus tuus erudívit te. *Deut.* 8. 5.

*Ant.* 2. D. Beáti viri tui, & beáti servi tui, qui stant coram te semper, & áudiunt sapiéntiam tuam. 3. *Reg.* 10. 8.

℣. Déxteram tuam, Dómine, sic notam fac, ℟. Et erudítos corde in sapiéntia. *Ps.* 89. 12.

℟. *vij.* Quæsivit verba utília, * Conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. *Eccl.* 12. 10. ℣. Potens exhortári in doctrína sana, & eos qui contradícunt, argúere. *Tit.* 1. 9. * Conscripsit.

℟. *viij.* Scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, * Qui profert de thesauro suo nova & vétera. *Matt.* 13. 52. ℣. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro sancto tuo. *Deut.* 33. 8. * Qui profert.

℟. *ix.* Ad ínsulas longè divulgátum est nomen tuum, * Dilectus es in pace tua, † In interpretatiónibus mirátæ sunt terræ. *Eccli.* 47. 17. 18. ℣. Ut innotescat per Ecclésiam multiformis sapiéntia Dei. *Eph.* 3. 10. * Dilectus es. ℣. Glória. † In interpretatiónibus.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Quis sápiens? & custódiet hæc, ℟. Et intélliget misericórdias Dómini? *Ps.* 106. 43.

*Ant.* 5. a. Vir perítus multos erudívit, & ánimæ suæ suávis est. *Eccli.* 37. 22.

*Ant.* 3. c. Vóluit & ipse scríbere áliquid horum quæ ad doctrínam & sapiéntiam pértinent. *Prol. Eccli.*

*Ant.* 4. A. In fide sua probátus est prophéta, & cógnitus est in verbis suis fidélis. *Eccli.* 46. 17. 18.

*Ant.* 1. g. Dedit illi sa-

piéntia sciéntiam sanctórum, honestávit illum in labóribus. *Sap.* 10. 10.

*Ant.* 6. F. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in séculum non delébitur. *Eccli.* 39. 12.

*Capitulum.* Eccli. 39. 13. 14.

NOn recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem; sapiéntiã ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

*Hymnus.* S. V.

VOs succensa Deo, spléndida lúmina:
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum.

PER vos Relígio, tútaque Véritas,
Per vos virgíneis fulget honóribus:
Per vos Christus amat pándere dívites
Thesauros sapiéntiæ.

VESTRIS unda fluit pura canálibus;
Christi floret ager; munda nitet seges:
Lac aptum púeris, & sólidum viris
Cauti sufficitis cibum.

HI sunt, summe Deus, qui tibi mílitant;
Hi sunt, qui stábiles ædíficant domos;
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónstruit áltera.

VICISTIS stygias vos quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tela supérstites:
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu,
His armis quoque víncimus.

SIT supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris. Amen.

℣. Ignítum elóquium tuum, Dómine, ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118. 140.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. D. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matt.* 5. 19.

*Oratio.*

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti: præsta, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum.

*Alia Oratio.*

EXcita, quæsumus, Dómine, intercedénte beáto N. tuórum corda fidélium; ut sacris in-

tenta doctrínis, & stúdeant amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per.

AD PRIMAM.

*Ant.* Vir perítus.

AD TERTIAM.

*Ant.* Vóluit.

*Capitulum.* Esd. 7. 10.

PArávit cor suum ut investigáret legem Dómini, & fáceret & docéret in Israël præceptum & judícium.

℟. *br.* Judícia Dómini vera, * Justificáta in semetipsa. *Repet.* Judícia. ℣. Desiderabília super aurum.* Justificáta. ℣. Glória. *Repet.* Judícia.

℣. Servus tuus custódit ea, ℟. In custodiendis illis retribútio multa. *Ps.* 18. 10. 12.

AD SEXTAM.

*Ant.* In fide sua.

*Capitulum.* Eccl. 46. 18. 119.

VIdit Deum lucis, & invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnando hostes circumstantes úndique.

℟. *br.* Os justi * Meditabitur sapiéntiam. *Rep.* Os justi. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. * Meditábitur. ℣. Glória. *Rep.* Os justi. *Ps.* 36. 30.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Ps.* 36. 31.

AD NONAM.

*Ant.* Collaudábunt.

*Capitulum.* Eccli. 45. 6.

DEdit illi Dóminus coràm præcepta, & legem vitæ & disciplínæ, docére Jacob testamentum suum & judícia sua Israël.

℟. *br.* Lex Dómini immaculáta * Convertens ánimas. *Repet.* Lex. ℣. Testimónium Dómini fidéle. * Convertens. ℣. Glória. *Repet.* Lex. *Ps.* 18. 8.

℣. Justitiæ Dómini rectæ, ℟. Lætificantes corda. *Ps.* 18. 8.

AD II. VESPERAS.

*Ant. de Laudibus.*

*Capitulum.* Eph. 4. v. 11. 12.

FRatres, Ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres & Doctóres ad consummatiónem sanctórum, in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

*Hymnus*, O qui, *ut in primis Vesperis.*

℣. Elóquia Dómini elóquia casta, ℟. Argentum igne examinátum. *Ps.* 11. 7.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti: & qui ad ju-

stitiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12. 3.

*Oratio, ut suprà ad primas Vesperas. nisi sit propria.*

---

# COMMUNE UNIUS PRESBYTERI.

## IN I. VESPERIS.

*Ant.* 1. D. LAbia Sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus. *Malach.* 2. 7.

*Ant.* 3. a. Ministrábit in nómine Dómini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levítæ. *Deut.* 18. 7.

*Ant.* 5. C. In pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in æternum. *Eccli.* 37. 29.

*Ant.* 6. F. Cibábit illum Dóminus pane vitæ & intellectûs. *Eccli.* 15. 3.

*Ant.* 4. E. Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo suo, nec accédet ad ministérium. *Lev.* 21. 6.

*Capitulum.* Ezech. 44. *v.* 28. 29.

POssessiónem non dábitis eis in Israel, ego enim posséssio eórum. Víctimam & pro peccáto & pro delícto ipsi cómedent, & omne votum in Israel ipsórum erit.

*In Duplicibus, & suprà:*

℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. *Psal.* 109. 4. ℣. Non secundùm legem mandáti carnális factus. *Hebr.* 7. 16. * Tu es. ℣. Glória. * Tu es.

*Hymnus.*

JAM satis fluxit cruor hostiárum;
Prístinæ cessent holocausta legis;
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra, Ministri.

ELICIT flammas Elias ab alto;
Mysta nunc major jubet, & potenti
Obsequens verbo, Deus astat aris,
Hóstia factus.

PINGUE libámen, novus & sacerdos,
Orbe jam toto Deus immolátur;
Se manu nostrâ litat incruento
Fúnere Christus.

TALE nil priscis pátribus tribútum;
Angelis nusquam data par potestas;
Se manu nostrâ Deus ipse jugem

Præbet in escam.
CHRISTE, fac semper tua sacra puro
Corde tractémus, manibusque puris;
Cháritas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.
LUMINIS splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Fructum suum dabit ℟. In témpore suo. *Ps.* 1. 3.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. Tecum est Dóminus Deus tuus, in ómnibus ad quæcumque perréxeris. *Jos.* 1. 9.

*Oratio propria, aut ut infrà ad Laudes.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Sacerdótem in æternum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 5. 6.

*Psal.* Veníte.

*Hymnus.* Jam satis, *ut in primis Vesperis.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Sápiens in verbis suis seipsum amábilem facit. *Eccli.* 20. 13.

*Ant.* 8. c. Quærit legem, replébitur ab ea. *Eccli.* 32. 19.

*Ant.* 3. à. Exorábit pro peccátis, & continébit se ab illis, & in oratióne diérum exaudiétur. *Eccli.* 3. 4.

℣. Loquétur poténtias Dómini, ℟. Audítas fáciet omnes laudes ejus. *Ps.* 105. 2.

℟. *j.* Homo iste justus & timorátus expectans consolatiónem Israel; * Et Spíritus Sanctus erat in eo. *Luc.* 2. 25. ℣. Deprecátus est Deum, & obsecrávit eum intentè, & exaudívit oratiónem ejus. 2. *Par.* 33. 13. * Et Spíritus.

℟. *ij.* Oblátio justi impinguat altáre, * Et odor suavitátis est in conspectu Altíssimi. *Eccli.* 35. 8. ℣. Multum enim valet deprecátio justi assídua. *Jac.* 5. 16. * Et odor suavitátis.

℟. *iij.* Surrexit quasi ignis * Et verbum ipsius † Quasi fácula ardébat. *Eccli.* 48. 1. ℣. Docébat diligenter ea quæ sunt Jesu. *Act.* 18. 25. * Et verbum. ℣. Glória. † Quasi.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. F. Rogante pro eis sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Lev.* 4. 20.

*Ant.* 7. d. Sacrifícia & víctimæ Dómini Dei Israel, ipsa est ejus hæréditas. *Jos.* 13. 14.

*Ant.* 2. D. Erat Dómi-

nus cum eo, & in cunctis ad quæ procedébat, sapienter se agébat. 4. *Reg.* 18. 7.

℣. Nihil proficiet inimícus in eo, ℟. Et filius iniquitátis non appónet nocére ei. *Ps.* 88. 23.

℟. *iv.* Vir Dei es tu, * Et verbum Dómini in ore tuo verum est. 3. *Reg.* 17. 24. ℣. Exaudíta est deprecátio tua. *Luc.* 1. 13. * Et verbum Dómini.

℟. *v.* Invocávit Dóminum omnipoténtem * In oblatióne Agni inviolári. *Eccli.* 46. 19. ℣. Debet pro pópulo & pro semetipso offérre pro peccátis. *Hebr.* 5. 3. * In oblatióne.

℟. *vj.* Vir sápiens plebem suam érudit, & fructus sensûs illius fidéles sunt; * Implébitur benedictiónibus, † Et videntes illum laudábunt. *Eccli.* 26. 27. ℣. Ex homínibus assúmptus pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum. *Hebr.* 5. 1. * Implébitur. ℣. Glória. † Et videntes.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. E. Adhæsit Dómino, & non recessit à vestígiis ejus, fecitque mandáta. 4. *Reg.* 18. 6.

*Ant.* 5. C. Doctrína viri per patiéntiam nóscitur, & glória ejus est iníqua prætérgredi. *Prov.* 19. 11.

*Ant.* 3. a. Ipse Dóminus posséssio ejus, sicut promísit ei Dóminus. *Deut.* 10. 9.

℣. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, ℟. Et misericórdiam à Deo. *Ps.* 25. 5.

℟. *vij.* Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, * Legem exquisívit, & ábstulit omne iniquum & malum. 1. *Mac.* 14. 14. ℣. Tamquam ex virtúte quam administrat Deus. 1. *Petr.* 4. 11. * Legem.

℟. *viij.* Operátus est bonum, & rectum, & verum coram Dómino Deo suo * In universa cultúra ministérii domûs Dómini juxta legem & ceremónias. 2. *Par.* 31. 20. 21. ℣. Justítiæ quæ per fidem est, hæres est institútus. *Hebr.* 11. 7. * In universa.

℟. *ix.* Sacrificium justi acceptum est * Et memóriam ejus † Non obliviscétur Dóminus. *Eccli.* 35. 9. ℣. Per fidem defunctus adhuc lóquitur. *Hebr.* 11. 4. * Et memóriam. ℣. Glória. † Non obliviscétur.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Domus Aaron, benedícite Dómino;

℟. Domus Levi, benedícite Dómino. *Ps.* 134. 19. 20.

*Ant.* 7. d. Miráti sunt in illo multi, & honoravérunt Deum. *Eccli.* 11. 13.

*Ant.* 8. G. Obtulit holocausta super altáre; odoratusque est Dóminus odórem suavitátis. *Gen.* 20. 21.

*Ant.* 3. c. Dedit in celebratiónibus decus, & ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ. *Eccli.* 47. 12.

*Ant.* 5. a. Sancta glorificávit, & multiplicávit vasa sanctórum. 1. *Mac.* 14. 15.

*Ant.* 1. a. Erat potens in verbis & in opéribus suis. *Act.* 7. 22.

*Capitulum.* 1. Tim. 5. 17.

QUi bene præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur, máximè qui labórant in verbo & doctrínâ; dicit enim Scriptúra: Non alligábis os bovi trituranti; & dignus est operárius mercéde suâ.

*Hymnus.*

O Sacerdotum veneranda jura!
Ceu vices Christi téneant, salútis
Arbitri, claudunt, reserantque nobis
Atria cœli.

Omne pendentes scelus in statéra,
Cùm reum solvunt, Deus ipse solvit;
Cùm ligant sontem, Deus ipse sontis
Víncula nectit.

Quam manus morbis ádhibent perítas!
Cùm secant, semper pia dextra cædit;
Cùm fovent, semper pia lenit ungens
Vúlnera dextra.

Verba dum promunt, pópulus fidélis
Excipit vocem, cúpidus docéri;
Nempè divínæ sacra verba legis
Mente recondunt.

Irruens prompti cohibére fulmen,
Stant ab adverso, Dominumque placant,
Víndices in nos quóties ab alto
Dépluit iras.

Dum sacerdótes tua sacra tractant,
Christe, fac sacris quibus applicasti,
Cónsonent mores, populíque fiat
Forma sacerdos.

Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Prævenisti eum, Dómine, ℟. In benedictiónibus. *Ps.* 20. 4.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 6. F. Obtulit holocaustum Dómino, & clamávit ad Dóminum pro Israel, & exaudívit eum Dóminus. 1. *Reg.* 7. 9.

*Oratio.*

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut sacerdótio tibi fungerétur à pópulo segregasti; præsta, quæsumus, ut ejus exempla sectantes, genus electum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis éffici mereámur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Miráti sunt.

AD TERTIAM.

*Ant.* Obtulit.

*Capitulum.* Eccli. 50. 16.

POrrexit manum suam in libatióne, & libávit de sánguine uvæ; effúdit in fundamento altáris odórem divínum excelso príncipi.

℟. *br.* Lætábimur * In salutári tuo. *Repet.* Lætábimur. ℣. Et in nómine Dei nostri magnificábimur. * In salutári. ℣. Glória. *Repet.* Lætábimur. *Ps.* 19. 6.

℣. Memor sit Dóminus omnis sacrificii tui, ℟. Et holocaustum tuum pingue fiat. *Ps.* 19. 6. 4.

AD SEXTAM.

*Ant.* Dedit.

*Capitulum.* Eccli. 50. 22.

MAnus suas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Israel, dare glóriam Deo à lábiis suis, & in nómine ipsius gloriári; & iterávit oratiónem suam volens osténdere virtútem Dei.

℟. *br.* Dabis eum, Dómine, * In benedictiónem. *Repet.* Dabis. ℣. In séculum séculi. * In benedictiónem. ℣. Glória. *Repet.* Dabis. *Ps.* 20. 7.

℣. Glóriâ & honóre coronasti eum, ℟. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8. 7.

AD NONAM.

*Ant.* Erat potens.

*Capitulum.* Esdræ, 7. 10.

PArávit cor suum ut intellígeret legem Dómini, & fáceret & docéret in Israel præceptum & judícium.

℟. *br.* Beátus cujus * Deus Jacob adjútor ejus. *Repet.* Beátus. ℣. Spes ejus in Dómino Deo ipsius. * Deus. ℣. Glória. *Repet.* Beátus. *Ps.* 83. 6.

℣. Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus: ℟. Timentes autem Dóminum gloríficat. *Ps.* 14. 4.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* Miráti sunt, & *cæter.* *de Laudibus.*

*Capitulum.* 1. Tim. 3. 13.

QUi bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, & multam fidúciam in fide quæ est in Christo Jesu.

℣. Magna est glória ejus, ℟. In salutári tuo. *Ps.* 20. 7.

*Hymnus*, Jam satis fluxit, *ut in pr. Vesperis.*

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. E. Plúrimam hóstiam óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus. *Hebr.* 11. 4.

*Oratio, ut suprà, nisi sit propria.*

---

# COMMUNE UNIUS ABBATIS, vel Monachi.

IN I. VESPERIS.

*Ant.* 6. F. EXultábit solitúdo,& florébit quasi lilium, exultábit lætabunda & laudans. *Is.* 35. *v.* 1. 2.

*Ant.* 7. c. Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntia sua, sedébit solitárius,& tacébit. *Thren.* 3. *v.* 27. 28.

*Ant.* 8. G. Erit quasi lignum quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radices suas. *Jerem.* 17. 8.

*Ant.* 2. D. Erumpet radix ejus ut Líbani, & erit quasi olíva glória ejus. *Osee.* 14. *v.* 6. 7.

*Ant.* 1. D. Erit fólium ejus víride, nec aliquando désinet fácere fructum. *Jerem.* 17. 8.

*Capitulum.* Jerem. 51, 6.

FUgite de médio Babylónis,& salvet unusquisque ánimam suam: nolíte tacére super iniquitátem ejus: quóniam tempus ultiónis est à Dómino.

*In Duplicibus & suprà:*

℟. Erit vir sicut qui abscónditur à vento, * Et celat se à tempestáte. *Is.* 32. 2. ℣. Fide obedívit in locum exíre,& éxiit nésciens quò iret. *Hebr.* 11. 8. * Et celat. ℣. Glória. * Et celat.

*Hymnus.* S. V.

FElices némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.

UT te possídeant,quem sitiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,

Dum cœléstia cógitant.
Nudi, prompti, álacres, liberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles óciùs ádvolant;
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuunt.
Æternas ut opes, cértaque gaudia
Secúri rapiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Consili melióribus.
Illis summa fuit glória, déspici;
Illis divitiæ, paupériem pati;
Illis summa voluptas,
Longo supplicio mori.
Fac nos, summe Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et tellúre relictâ,
Immortália quærere.
Æternus sit honos ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Fílio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. Sperat in Dómino,
℟. Et in misericórdia Altíssimi non commovébitur. *Ps.* 20. 8.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. 2. Assumpsit eum Dóminus, atque portávit in húmeris suis: Dóminus solus dux ejus fuit. *Deut.* 32. *v.* 11. 12.

*Oratio ut infra, nisi sit propria.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Jesum, qui ductus est in desertum, * Venite, adorémus. *Matt.* 4. 1.

*Psal.* Veníte.

*Hymnus.* S. V.

Tua beandos glóriâ,
Miris, Deus, probas modis,
Qui, dum lates, præséntior,
Votis amantûm pásceris.
Procul remóti, súpplices
Tendunt manus, & pátriam
Per vota, per suspíria
Cœlum salútant éxules.
Te sola mors cùm det frui,
Sese necant labóribus;
Sese necant jejúniis,
Et, quâ licet, vellent mori.
Quam, morte promptâ, férvidi
Emére palmam Mártyres,
Hic doctus in dies mori
Longo reportat fúnere.
Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utrique, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 2. D. Quid pro-

deſt hómini, ſi mundum univerſum lucrétur, ánimæ verò ſuæ detrimentum patiátur. *Matth.* 16. 26.

*Ant.* 7. c. Dóminus Deus tuus ipſe eſt ductor tuus, & non dimittet nec derelinquet te. *Deut.* 31. 6.

*Ant.* 3. a. Abundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in cunctis opéribus. *Deut.* 30. 9.

℣. Scápulis ſuis obumbrábit tibi, ℟. Et ſub pennis ejus ſperábis. *Pſ.* 90.

℟. *j.* Majóres divítias æſtimans theſauro Ægyptiórum impropérium Chriſti; * Fide reliquit Ægyptum. *Hebr.* 11. 27. ℣. Dixit patri ſuo & matri ſuæ: Néſcio vos; & frátribus ſuis: Ignóro vos. *Deut.* 33. 9. * Fide.

℟. *ij.* In cáſulis habitando cum cohærédibus repromiſſiónis ejuſdem, * Expectábat fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. *v.* 9. 11. ℣. Secéſſerat in deſertum locum, ibíque vitam cum ſuis agébat. 2. *Machab.* 5. 27. * Expectábat.

℟. *iij.* De benedictióne Dómini terra ejus, * De vértice móntium, de pomis cóllium æternórum. *Deut.* 33. 15. ℣. Uberes fructus ager áttulit. *Luc.* 12. 16. * De vértice. ℣. Glória. * De vértice.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. f. Circumduxit eum Dóminus, & dócuit, & cuſtodívit quaſi pupillam óculi ſui. *Deut.* 32. 10.

*Ant.* 8. c. Non hábuit ánimi ſui triſtítiam, & non éxcidit à ſpe ſua. *Eccli.* 14. 2.

*Ant.* 7. b. Pauper gloriátur per diſciplinam & timórem ſuum. *Eccli.* 10. 33.

℣. Mélius eſt módicum juſto, ℟. Super divítias peccatórum multas. *Pſ.* 36. 16.

℟. *iv.* Multitúdinis credéntium erat cor unum, & ánima una; * Nec quiſquam áliquid ſuum eſſe dicébat, ſed erant illis ómnia commúnia. *Act.* 4. 32. ℣. Reliquérunt quæcumque habébant. 1. *Mach.* 2. 28. * Nec quiſquam.

℟. *v.* Opéruit cilício carnem ſuam, * Jejunávit & dormívit in ſacco, & ambulávit demiſſo cápite. 3. *Reg.* 21. 27. ℣. In vigíliis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditáte. 2. *Cor.* 12. 27. * Jejunávit.

℟. *vj.* Iſte pauper clamávit, * Et Dóminus

exaudívit eum. *Ps.* 33. 7. ℣. Multum valet deprecátio justi assídua. *Jacob.* 5. 16. * Et Dóminus. ℣. Glória. * Et Dóminus.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. F. Omnes obédiunt uni, & non est invídia neque zelus inter eos. 1. *Mach.* 8. 16.

*Ant.* 5. C. Fodit in altum, & pósuit fundamentum supra petram. *Luc.* 6. 4.

*Ant.* 4. E. Manducávit panem cum luctu & tremóre. *Tob.* 2. 5.

℣. Adjúvit Dóminus páuperem de inópia, ℟. Vidébunt recti & lætabuntur. *Psal.* 106. 41. 42.

℟. *vij.* Hic multis tempóribus continéntiæ propósitum ténuit,* Corpúsque & ánimam trádere contentus pro perseverántia. 2. *Mach.* 14. 38. ℣. Vir erat religiósus ac timens Deum, cum omni domo sua. *Act.* 10. 2. * Corpúsque.

℟. *viij.* Fecit quod plácuit Deo, *Et spíritu magno vidit última. *Eccli.* 48. *v.* 25. 27. ℣. Grátias agens Deo, accépit fidúciam. *Act.* 28. 15. * Et spíritu.

℟. *ix.* In fide & lenitáte ipsíus * Dóminus sanctum fecit illum. *Eccli.* 45. 4. ℣. Gloriétur frater húmilis in exaltatióne sua. *Jac.* 1. 9. * Dóminus. ℣. Glória. * Dóminus.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætítia. *Ps.* 96. 11.

*Ant.* 1. a. Iste custodívit ánimam suam, & memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1. *v.* 12. 13.

*Ant.* 8. *G.* In solitúdine portávit te Dóminus, ut solet homo gestáre párvulum suum. *Deut.* 1. 31.

*Ant.* 4. a. Videt bonum de labóre suo, hoc donum Dei est. *Eccl.* 3. 13.

*Ant.* 7. *d.* Immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. *Tob.* 2. 13.

*Ant.* 3. b. Abjécit vestimentum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. *Jon.* 3. 6.

*Capitulum.* 1. Cor. 9. 25.

FRatres; Omnis qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet: & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorruptam.

*Hymnus.* S. V.

QUid tu, relictis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solusque tecum cógitas?
MENTIS voláu líbero,
Percurris ætérnas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commercia.
PRÆSENS choris cœléstibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo Númini,
Totus colendo tu vacas.
QUAM pura, qui te díligunt,
O Christe, libant gáudia!
Te propter antris ábditos
Tuo recondis in sinu.
ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. Ascensiónes in corde suo dispósuit, ℟. In valle lacrymárum. *Psal.* 83. 6.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 2. D. Fide demorátus est in terra repromissiónis tamquam in aliéna. *Hebr.* 11. 9.

*Si sit Abbas, Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exemplo & intercessióne beáti N. Abbátis cujus solémnia celebrámus, ut purificátis ab omni séculi desidério méntibus, te solo dívites esse velímus; Per Dóminum.

*Si non sit Abbas, Oratio.*

DEus, qui nos ádmones exemplo beáti N. temporália despícere, & ad ætérna festináre: da fámulis tuis, ut quæ tibi plácita cognóvimus, ipso pro nobis intercedente, implére valeámus; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Iste custodívit.

AD TERTIAM.

*Ant.* In solitúdine.

*Capitulum.* 1. Machab. 2. 29.

DEscendérunt multi quærentes judícium & justítiam in desertum, & sedébant ibi.

℟. *br.* Beáta gens, *Cujus est Dóminus Deus ejus. *Repet.* Beáta. ℣. Pópulus quem elégit. * Cujus est. ℣. Glória Patri. *Repet.* Beáta gens. *Psal.* 32. 12.

℣. Pinguescent speciósa deserti, ℟. Et exultatióne colles accingentur. *Psal.* 64. 13.

AD SEXTAM.

*Ant.* Videt bonum.

*Capitul.* 2. Paral. 31. 20.

OPerátus est bonum & rectum, & verum coram Dómino Deo suo.

℟. *br.* Ecce sic * Benedicétur homo. *Repet.* Ecce. ℣. Qui timet Dóminum. * Benedicétur homo. ℣. Glória. *Repet.* Ecce. *Ps.* 127. 4.

℣. Ingréditur sine mácula, ℟. Et operátur justítiam. *Ps.* 14. 2.

AD NONAM.

*Ant.* Abjécit.

*Capitulum.* Coloss. 3. 5.

MOrtificáte membra vestra, quæ sunt super terram; fornicatiónem, immundítiam, libídinem, concupiscéntiam malam, & avarítiam quæ est simulacrórum sérvitus.

℟. *br.* Beátus vir * Qui timet Dóminum. *Repet.* Beátus. ℣. In mandátis ejus volet nimis. * Qui. ℣. Glória. *Rep.* Beátus. *Ps.* 111. 1.

℣. Fáciet Dóminus judícium inopis, ℟. Et vindíctam páuperum. *Ps.* 139. 13.

IN II. VESPERIS.

*Ant. de Laudibus.*

*Capitulum.* Coloss. 3. v. 3. 4.

MOrtui estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo: cùm Christus apparúerit vita vestra, tunc & vos apparébitis cum ipso in glória.

*Hymnus*, Felíces, *ut in pr. Vesperis.*

℣. Iste pauper clamávit, ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum Dóminus. *Ps.* 33. 7.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Dóminus Deus ductor tuus fuit, & cibávit te manna in solitúdine. *Deut.* 8. 15. 16.

*Oratio, ut suprà ad Laudes, nisi sit propria.*

---

# COMMUNE UNIUS JUSTI.

IN I. VESPERIS.

*Ant.* 3. a. TEnébit justus viam suam, & mundis mánibus addet fortitúdinem. *Job.* 17. 9.

*Ant.* 4. *D.* Timenti Dóminum bene erit, & in diébus consummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1. 19.

*Ant.* 5. C. Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam & gáudium, & longitúdinem diérum. *Ibid. v.* 12.

*Ant.* 8. G. Fortitúdo

símplicis via Dómini; justus in ætérnum non commovébitur. *Prov.* 10. *v.* 29. 30.

*Ant.* 7. d. Quasi virens fólium germinábit; fructus justi lignum vitæ. *Prov. v.* 28. 30.

*Capitulum.* Eccli. 39. 6.

COr suum tradet ad vigilandum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, & in conspectu Altíssimi deprecábitur.

*In Duplicibus & suprà* :

℞. Erit tamquam lignum quod plantátum est secus decursus aquárum, quod fructum suum dabit in témpore suo; * Et fólium ejus non défluet, † Et ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur. *Ps.* 1. 3. ℣. Non audítor obliviósus factus, sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit. *Jac.* 1. 25. * Et fólium. Glória. † Et ómnia.

*Hymnus.* G. Ep. S.

SUMMI pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite;
Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpotes.

GAUDETE; regnat ínclytus
Hic qui fugáci século
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, & sciens pati.

ANGUSTA pœniténtiæ
Ingressus, & viam crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.

CARNEM terit jejúniis;
Linguam domat siléntio;
In páuperum, parcus sibi,
Abscondit & spargit sinu.

SAPORE verbi páscitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil;
Mens celsâ versátur polo.

HAC surgit ad cœlum viâ:
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.
Amen.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus. ℞. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39. 5.

*Ad* Magnífic. *Ant.* 1. D. Assimilábitur viro sapienti, qui ædificávit domum suam supra petram. *Matth.* 7. 24.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Diligentem justos Dóminum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 145. 8.

*Psal.* Veníte.

*Hymnus.* S. V.

NON parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura;

Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.

Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos pécti-nes:
Crudélis & durus sibi,
Se morte lentâ cónficit.

Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori,
Hoc supplet omne cháritas.

Corpus subégit cástitas,
Et liberam mentem fides;
Amor supernis ígnibus
Totam litávit hóstiam.

Venis apertis ómnibus,
Qui vellet ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.

Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori:
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. G. Turris fortíssima, nomen Dómini: ad ipsum currit justus, & exaltábitur. *Prov.* 18. 10.

*Ant.* 1. g. Quasi lux splendens procédit, & créscit usque ad perfectam diem. *Prov.* 4. 18.

*Antiph.* 2. D. Præcepta súscipit, ámbulat simplíciter, ámbulat confidénter. *Prov.* 10. *v.* 8. 9.

℣. Beátus vir qui timet Dóminum: ℟. In mandátis ejus cupit nimis. *Ps.* 111. 1.

℟. *j.* In lege Dómini volúntas ejus, & in lege ejus * Meditábitur die ac nocte. *Ps.* 1. 2. ℣. Quóniam oportet semper oráre & non deficere. *Luc.* 18. 1. * Meditábitur.

℟. *ij.* Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, *Eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum. *Eccli.* 31. 11. ℣. Séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet. 2. *Cor.* 9. 6. * Eleemósynas.

℟. *iij.* Oratiónes tuæ & eleemósynæ tuæ * Ascendérunt in memóriam † In conspectu Dei. *Act.* 10. 4. ℣. In mansuetúdine ópera tua. *Eccli.* 3. 9. * Ascendérunt. ℣. Glória. † In conspectu.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. f. Pergébat ad templum Dómini, & ibi adorábat Dóminum Deum Israel. *Tob.* 1. 6.

*Ant.* 5. a. Ambulat in

justítiis, & lóquitur veritátem; iste in excelsis habitábit. *Isai.* 33. 15. 16.

*Ant.* 1. D. Exquisívit Dóminum; cúmque requíreret Dóminum, diréxit eum in ómnibus.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Psal.* 36. 31.

℟. *iv.* Erat vir ille simplex & rectus, * Ac timens Deum, & recédens à malo. *Job.* 1. 1. ℣. Homo iste justus & timorátus. *Luc.* 2. 25. * Ac timens.

℟. *v.* Dabis eum, Dómine, in benedictiónem in séculum séculi: * Lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo. *Ps.* 20. 7. ℣. Céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit. *Matth.* 19. 29. * Lætificábis.

℟. *vj.* Innocens mánibus & mundo corde * Non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo; † Hic accípiet benedictiónem à Dómino. *Ps.* 23. 4. 5. ℣. Expectans consolatiónem Israel. *Luc.* 2. 25. * Non accépit. ℣. Glória. † Hic.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. ç. Gáudium justo est fácere judícium. *Prov.* 21. 15.

*Ant.* 3. g. Pecúnias non accépit, & non accusávit illum homo. *Eccli.* 46. 22.

*Ant.* 6. F. Fecit quod rectum erat in conspectu Dómini. 3. *Reg.* 22. 43.

℣. Prævenísti eum, Dómine, ℟. In benedictiónibus. *Ps.* 20. 4.

℟. *vij.* Claudit óculos suos ne vídeant malum; * Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus, cernent terram de longè. *Isai.* 33. *v.* 15. ℣. Expectábat & ipse regnum Dei. *Luc.* 23. 51. * Regem.

℟. *viij.* Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso * Vitam pétiit à te, & tribuísti ei longitúdinem diérum in séculum & in séculum séculi. *Ps.* 20. 4. 5. ℣. Factum est ut morerétur, & portarétur ab Angelis in sinum Abrahæ. *Luc.* 16. 22. * Vitam.

℟. *ix.* Ambulávit servus tuus in conspectu tuo, in veritáte & justítia, & recto corde tecum, * Custodísti ei, Dómine, misericórdiã tuam grandem. 3. *Reg.* 3. 6. ℣. Habet vitam ætérnam, & in judícium non venit, sed tránsiit à morte in vitam. *Joan.* 5. 24. * Custodísti ei. ℣. Glória Patri. * Custodísti.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætitia. *Ps.* 96. 11.

*Ant.* 3. à. Oculus Dei respexit illum in bono; miráti sunt in illo multi, & honoravérunt Deum. *Eccli.* 11. 13.

*Ant.* 6. C. Exaudíta est orátio tua, & eleemósynæ tuæ commemorátæ sunt in conspectu Dei. *Act.* 10. 31.

*Ant.* 1. a. Pótuit tránsgredi, & non est transgressus: fácere mala, & non fecit. *Eccli.* 31. 10.

*Ant.* 7. c. Dilectus Deo & homínibus, cujus memória in benedictióne est. *Eccli.* 45. 1.

*Ant.* 8. c. De omni corde suo laudávit Dóminum, & diléxit Deum, qui fecit illum. *Eccli.* 47. 10.

*Capitulum.* Eccli. 31. *v.* 8. 9.

BEátus qui inventus est sine mácula, & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesauris: quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

*Hymnus.* S. V.

QUi te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus suî.

QUID ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxules,
Cives polo quos déstinas.

HINC fervet in dies amor;
In vota toti dífflüunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna, vita lóngior.

VIX iste tardi córporis
Pondus molestum sústinet;
Mortis diem præóccupat,
Ardens Deo se júngere.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Non ábiit in consílio impiórum, ℟. Et in via peccatórum non stetit. *Ps.* 1. 1.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 7. G. Probátus & perfectus est; erit illi glória ætérna. *Eccli.* 31. 10.

*Oratio.*

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. festivitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Oculus Dei.

AD TERTIAM.

*Ant.* Exaudíta est.

*Capitulum.* Jac. 1. 27.

RElígio munda & immaculáta apud Deum hæc est, visitáre pupillos, & víduas in tribulatióne eórum; & immaculátum se custodíre ab hoc século.

℟. *br.* Dispersit, * Dedit paupéribus. *Rep.* Dispersit. ℣. Justítia ejus manet in séculum. * Dedit paupéribus. ℣. Glória Patri & Fílio. *Repet.* Dispersit.

℣. Cornu ejus exaltábitur in glória. ℟. Peccátor vidébit & irascétur. *Psal.* 111. 9. 10.

AD SEXTAM.

*Ant.* Pótuit.

*Capitulum.* Eccli. 33. *v.* 2. 3.

SApiens non odit mandáta & justítias, credit legi Dei, & lex illi fidélis.

℟. *br.* Judícia Dómini vera, * Justificáta in semetipsa. *Repet.* Judícia. ℣. In custodiendis illis retribútio multa. * Justificáta. ℣. Glória Patri. *Ps.* 18. *v.* 10. 11. *Repet.* Judícia.

℣. In memória ætérna erit justus; ℟. Ab auditióne mala non timébit. *Psal.* 111. 7.

AD NONAM.

*Ant.* De omni.

*Capitulum.* Eccli. 11. 13.

ERexit eum Deus ab humilitáte ipsíus, & exaltávit caput ejus.

℟. *br.* Justus * Ut palma florébit. *Repet.* Justus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. * Ut palma. ℣. Glória. *Rep.* Justus. *Ps.* 91. 13.

℣. Jucundus homo qui miserétur, ℟. Et cómmodat. *Ps.* 111. 5.

AD II. VESPERAS.

*Ant. de Laudibus.*

*Capitulum.* 1. Petr. 3. *v.* 10. 11.

QUi vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum: inquírat pacem, & sequátur eam.

*Hymnus*, Summi pusillus, *ut suprà ad pr. Vesper.*

℣. Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum; ℟. Nec est in spíritu ejus dolus. *Psal.* 31. 2.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. *D.* Justum deduxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei; & dedit illi sciéntiam sanctórum. *Sap.* 10. 10.

*Oratio, ut suprà ad Laudes, nisi sit propria.*

# COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

IN I. VESPERIS.

*Ant.* 8. G. NOn vocáberis ultrà derelícta, quia complácuit Dómino in te. *Isai.* 62. 4.

*Ant.* 5. C. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Ibid. v.* 3.

*Ant.* 4. A. Abundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in cunctis opéribus mánuum tuárum. *Deut.* 30. 9.

*Ant.* 3. a. Benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo justítiæ, mons sanctus. *Jerem.* 31. 23.

*Ant.* 6. F. Deus miséricors Deus tuus est, non dimittet te. *Deut.* 4. 30. 31.

*Capitulum.* Osee, 2. 19.

SPonsábo te mihi in sempiternum: & sponsábo te mihi in justitia & judício, & in misericórdia, & in miseratiónibus.

℟. Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam: * Obliviscere pópulum tuum & domum patris tui, & concupiscet rex decórem tuum † Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Psal.* 44. 12. ℣. Spíritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis. *Joan.* 3. 8. * Oblivíscere. ℣. Glória. † Quóniam.

*Si non sit Martyr.*

*Hymnus.* S. V.

VOs ô Vírginei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.

HÆc est festa dies cœlítibus sacra,
Quâ plenâ rútilans óbvia lámpade,
Sponso sponsa Deo próxima concinit
Virgo cántica Vírgini.

MORTALES thálamos, córporis ímmemor,
Solo digna Deo cónjuge, réspuit:
Sponso perpétuo fœdere júngitur,
Sponsæ se Deus óbligat.

ÆGRO vix sua sunt pábula córpori:
Nil cernunt óculi, nil sonat áuribus;
Morti, quod ráperet, próvida præripit;
Unus sit Deus ómnia.

Fac, ô Christe, tuæ
Vírginis æmulos,
Nos instáre sacrâ, quâ
gráditur, viâ;
Qui gens sancta sumus,
móribus íntegris
Uni fac tibi vívere.

Da te, summe Pater,
tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi,
láurea Vírginum:
Fac incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis, frígida péctora. Amen.

*Si sit Martyr.*

*Hymnus.* S. V.

Festis læta sonent æthera cántibus:
Nunc aptáte tubas, súmite
tympana,
Cœtus Angélici; dícite
Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Vestris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

Sed quid cogis, amor? fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem;
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ sítiens necis.

Sic quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna sui córporis, íntegram
Testári Dómino fidem.

Patri máxima laus, máxima Fílio;
Amborúmque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia sústinent,
Spreto fúnere, Vírgines. Amen.

℣. Regnábit Dóminus in sécula Deus tuus, ℟. In generatiónem & generatiónem. *Ps.* 145. 10.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Dóminum elegisti hódie, ut sit tibi Deus, & ámbules in viis ejus. *Deut.* 26. 17.

*Oratio, ut infrà, nisi sit propria.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Agnum quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14. 4.

*Psal.* Veníte.

*Si non sit Martyr.*

*Hymnus.* S. V.

Cœlestis aula pánditur;
En Sponsus; omnes óbviæ,
Exíte sponso vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.

Hæc nuptiális est dies,
Quæ, longa post suspíria,

Dat ómnibus, dat singulis
Jam pléniùs frui Deo.
Quæ casta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éffluit?
Hunc propter unum víluit
Superba regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?
O virginales núptiæ,
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

*Si sit Martyr.*

*Hymnus.* S. V.

Virginum robur, Deus, atque custos,
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!
Pro tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non suos sentit, memor ô! tuórum,
Christe, dolórum.
Non graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem;
Quin sacri crescit magis obstinátus
Ardor amóris.
Sponsa dilécto placitúra Sponso,
Déspicit ruptum laniáta corpus:
Est suus truncis honor, & venustas
Est sua membris.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Nexus,
Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. c. Omnis ponderátio non est digna continentis ánimæ. *Eccli.* 26. 20.

*Ant.* 3. à. Habébit fructum in respectióne animárum sanctárum *Sap.* 3. 14.

*Ant.* 1. a. Dóminus Deus Israël ipse est posséssio ejus. *Jos.* 13. 33.

℣. Exultent fíliæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Ps.* 47. 12.

℟. *j.* Lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum; * Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem. *Cant.* 8. 6. 7. ℣. Pudíca est, pacífica,

pacífica, modésta, bonis consénciens, plena misericórdiâ, & frúctibus bonis. *Jac.* 3. 17. * Aquæ.

℟. *ij.* Innupta & virgo * Cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. 1. *Cor.* 7. 3. ℣. Disciplína illíus datum Dei est. *Eccli.* 26. 17. * Cógitat.

℟. *iij.* Magna facta est, & præclárior erat univérsæ terræ Israël: * Erat étiam virtúti cástitas adjuncta. *Judith.* 16. 25. ℣. Omne opus bonum subsecúta est. 1. *Tim.* 5. 10. * Erat. ℣. Glória. * Erat.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. c. Timens Dóminum, ipsa laudábitur. *Prov.* 3. 30.

*Ant.* 3. a. Omnium óculis gratiósa, & amábilis videbátur. *Esth.* 2. 15.

*Ant.* 5. a. Gáudio gaudet propter vocem Sponsi. *Joan.* 3. 29.

℣. Delectavérunt te, Dómine, fíliæ regum, ℟. In honóre tuo. *Psal.* 44. 9.

℟. *iv.* Deprecabátur Dóminum Deum Israël, dicens; * Dómine mi, qui Rex noster es solus, ádjuva me; præter te nullus est auxiliátor. *Esther.* 14. 3. ℣. Omne datum óptimum & omne donum perfectum desursùm est, descéndens à Patre lúminum. *Jacob.* 1. 17. * Dómine.

℟. *v.* Immortális est memória illíus: * Quóniam apud Deum nota est, & apud hómines. *Sap.* 4. 1. ℣. Lumen ejus símile lápidi pretióso. *Apoc.* 21. 11. * Quóniam.

℟. *vj.* In perpétuum coronáta * Triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4. 2. ℣. Quia fortis est ut mors diléctio. *Cant.* 8. 6. * Triumphat. ℣. Glória. * Triumphat.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. E. Dóminus Deus tuus ignis consúmens est, Deus æmulátor. *Deut.* 4. 24.

*Ant.* 2. D. Silébit Dóminus in dilectióne sua, exultábit super te in laude. *Soph.* 3. 17.

*Ant.* 6. F. Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis, ipse salvábit. *Ibid.*

℣. Benedícat te Dóminus ex Sion, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Psal.* 133. 3.

℟. *vij.* Exultémus & demus glóriam Deo, quia venérunt núptiæ Agni * Et uxor ejus præparávit se. *Apoc.* 19. 7. ℣. Ipse

tamquam sponsus procédens de thalamo suo. *Ps.* 18. 6. * Et uxor ejus præparávit.

℟. *viij.* Exulta satis, filia Sion; júbila, filia Jerúsalem; ecce Rex tuus véniet, * Tibi justus & salvátor. *Zach.* 9. 9. ℣. Médiâ nocte clamor factus est; Ecce sponsus venit. *Matth.* 25. 6. * Tibi justus.

℟. *ix.* Reddat tibi Dóminus pro ópere tuo, * Plenam mercédem recípias à Dómino Deo Israël, † Sub cujus confugisti alas. *Ruth.* 2. 12. ℣. Fília, fides tua te salvam fecit. *Matt.* 9. 22. * Plenam. ℣. Glória. † Sub.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Vírgines laudent nomen Dómini, ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Psal.* 148. 12. 13.

*Ant.* 6. F. Lauda, filia Sion; lætáre, & exulta in omni corde, filia Jerúsalem. *Soph.* 3. 14.

*Ant.* 4. a. Dóminus Deus tuus ipse est vita tua, & longitúdo diérum tuórum. *Deut.* 30. 20.

*Ant.* 8. c. Ipse est pater tuus, qui possédit te, & fecit, & creávit te. *Deut.* 32. 6.

*Ant.* 5. C. Sit Dóminus tuus benedictus, cui complacuisti, eò quòd diléxerit Dóminus Israël. 3. *Reg.* 10. 9.

*Ant.* 1. g. Dominábitur tuî qui fecit te; Dóminus exercítuum, nomen ejus. *Isai.* 54. 5.

*Capitulum.* 1. Cor. 7. 25.

De virginibus præceptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis.

*Si non sit Martyr.*

*Hymnus.* Muret.

O Virgo, pectus cui sacrum
Amóris expers ímprobi,
Intùs suis ardóribus
Sanctus perussit Spíritus!

Non te volupras sénsuum
Fallax venénis mólliit,
Solas amantem pérsequi
Cœlestis Agni núptias.

Sic ille natus Vírgine
Suo decóre céperat,
Ut ejus ardens ígnibus,
Mundána cuncta témneres.

Beata cui nunc Cœlitum,
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponsi potíri gáudiis.

Æterne Sponse Vírginum,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,

In sempiterna sécula.
Amen.

*Si sit Martyr.*

*Hymnus.* S. V.

QUid sacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non unum gémino reportas
Hoste triumphum.

Mollior fregit neque te voluptas;
Impotens flexit neque te Tyrannus;
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amóres.

Liliis Sponsus récubat, rosisque;
Tu, tuo semper bene fida Sponso,
Et rosas Martyr, simul & dedisti
Lília Virgo.

Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriusque Nexus;
Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

℣. Corónat te Dóminus in misericórdia, ℟. Et miseratiónibus. *Psal.* 102. 4.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. E. Felix est stérilis & incoinquináta, quæ nescívit thorum in delicto. *Sap.* 3. 13.

*Si sit Martyr. Oratio.*

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concéde propítius, ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur; Per.

*Alia Oratio.*

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta N. Virgo & Martyr implóret, quæ tibi grata semper éxtitit, & mérito castitátis, & tuæ professióne virtútis; Per.

*Si non sit Martyr. Oratio.*

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituisti: concéde, ut qui fidélis sponsæ tuæ N. puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exemplo; Per Dóminum.

*Alia Oratio.*

OMnipotens sempiterne Deus, qui mundi contemptum te diligéntibus inspirasti: da nobis, in festivitáte beátæ N. Vírginis, ejus intercessióne terréna despícere, & tibi soli firmiter adhærére; Per.

AD PRIMAM.

*Ant.* Lauda.

AD TERTIAM.

*Ant.* Dóminus.

*Capitulum.* Zach. 9. 17.

QUid bonum Dómini est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electórum, & vinum gérminans vírgines?

℟. *br.* Fiat cor meum, Dómine, * Immaculátum. *Rep.* Fiat. ℣. In justificatiónibus tuis. * Immaculátum. ℣. Glória. *Rep.* Fiat. *Ps.* 118. 80.

℣. Beáti immaculáti in via, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118. 1.

AD SEXTAM.

*Ant.* Ipse est.

*Capitulum.* Sap. 8. 21.

UT scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donum; ádii Dóminum.

℟. *br.* Dóminus custódit te, * Dóminus protéctio tua. *Repet.* Dóminus. ℣. Super manum déxteram tuam. * Dóminus protéctio. ℣. Glória. *Repet.* Dóminus custódit. *Ps.* 120. 5.

℣. Per diem sol non uret te, ℟. Neque luna per noctem. *Psal.* 120. 6.

AD NONAM.

*Ant.* Dominábitur.

*Capitulum.* Sap. 6. 19. 20.

CUstodítio legum consummátio incorruptiónis est: incorrúptio autem facit esse próximum Deo.

℟. *br.* Vitam pétiit à te, Dómine, * Et tribuísti ei. *Rep.* Vitam. ℣. Longitúdinem diérum. * Et tribuísti. ℣. Glória. *Repet.* Vitam pétiit.

℣. Magna est glória ejus, ℟. In salutári tuo. *Ps.* 20. 5. 6.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* Lauda, filia, *cum cæteris de Laudibus.*

*Capitulum.* 1. Cor. 7. v. 7. 8.

UNusquisque próprium donum habet ex Deo; dico non nuptis: Bonum est illis, si sic permáneant.

*Hymnus.* Vos ô Virginei, *vel* Festis læta sonent, *ut sup. ad pr. Vesperas.*

℣. Replet Dóminus in bonis desidérium tuum; ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102. 5.

*Ad* Magnif. *Ant.* 7. G. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, tu scis quòd nunquam lætáta sit ancilla tua, nisi in te, Dómine Deus. *Esth.* 14. 16. 18.

*Oratio ut sup. ad Laudes, nisi sit propria.*

# COMMUNE UNIUS MULIERIS vel Viduæ.

IN I. VESPERIS.

*Ant.* 2. D. MUlier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26. 2.

*Ant.* 1. a. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei; sic mulíeris bonæ spécies in ornamentum domûs ejus. *Ibid. v.* 21.

*Ant.* 3. a. Fáciat Dóminus hanc mulíerem, sicut Rachel & Liam quæ ædificavérunt domum Israël. *Ruth.* 4. 11.

*Ant.* 6. C. Sit exemplum virtútis, & hábeat célebre nomen. *Ibid.*

*Ant.* 8. G. Fundamenta æterna supra petram sólidam, & mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ. *Eccli.* 26. 24.

*Capitulum.* Prov. 31. 10.

MUlíerem fortem quis invéniet? Procul & de últimis fínibus prétium ejus; confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit.

*In Duplicibus & suprà :*

℟. Fortitúdo & decor indumentum ejus, * Ridébit † In die novíssimo. *Prov.* 31. 25. ℣. Múlier colens Deum, cujus Dóminus apéruit cor. *Act.* 16. 14. * Ridébit. ℣. Glória. † In die.

*Hymnus.* S. V.

ADESTE, sanctæ Cónjuges;
En illa fortis Fémina,
Ornáta quæ virtútibus,
Triumphat inter Cœlites.

NON illa luxu véstium,
Non crine torto spléndmuit;
Cultu nitens sed símplice,
Puris placébat móribus.

SE sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit;
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amittat decus.

PASCENDA cœlesti cibo,
Sacris studébat lítteris;
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domûs.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Non timébit à timóre noctúrno, ℟. A sagitta volante in die. *Psal.* 90. 5.

*Ad* Magnif. *Ant.* 7. G. Pars bona, múlier bona, in parte timéntium Deû; dábitur viro pro factis bonis. *Eccli.* 26. 3.

*Orat. ut infrà ad Laudes.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Deum in quo sanctæ mulieres speravérunt, * Veníte, adorémus. 1. *Pet.* 3. 5.

*Psal.* Veníte.

*Hymnus.* S. V.

ARDET Deo quæ Fémina,
Latére frustrà cógitat:
Quot indigentes sublevat,
Tot próditur præcónibus.

PRODESSE quærit ómnibus,
Curis honestis ánxia;
Patróna, custos Vírginum,
Secunda mater órphanis.

PANNIS latentem vílibus,
Christum fovébat hóspitem;
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refundit pródiga.

PACEM domi, pacem foris
Alto colit siléntio:
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. *G.* Grátia super grátiam, múlier sancta & pudórata. *Eccli.* 26. 19.

*Ant.* 3. g. Mulíeris bonæ beátus vir; númerus enim annórum illíus duplex. *Ibid. v.* 1.

*Ant.* 2. D. Múlier sensáta & tácita, non est immutátio erudítæ ánimæ. *Ibid. v.* 18.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur, ℟. Et semen ejus hæreditábit terram. *Psal.* 24. 13.

℟. *j.* Non extinguétur in nocte lucerna ejus; * Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas extendit ad páuperem. *Prov.* 31. 18. 20. ℣. Surget in judício cum generatióne ista, & condemnábit eam. *Matth.* 12. 4. * Manum.

℟. *ij.* Lex cleméntiæ in lingua ejus: * Considerávit sémitas domûs suæ, & panem otiósa non comédit. *Prov.* 31. 26. 27. ℣. Quod decet mulíeres promittentes pietátem per ópera bona. 1. *Tim.* 2. 10. * Considerávit.

℟. *iij.* Ingressa est oratórium suum, * Et prosternens se Dómino, † Clamábat ad Dóminum. *Judith.* 9. 1. ℣. Fidélem crédidit esse eum qui repromíserat. *Hebr.* 11. 11. * Et prosternens. ℣. Glória. † Clamábat.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. a. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. *Prov.* 31. 13.

*Ant.* 7. *d.* Facta est quasi navis institóris, de longè portans panem suum. *Ibid. v.* 14.

*Ant.* 5. a. De nocte surrexit, deditque prædam doméstícis suis. *Ibid. v.* 15.

℣. Deus in dómibus ejus cognoscétur, ℟. Cùm suscípiet eam. *Psalm.* 47. 4.

℟. *iv.* Hæc confitebátur Dómino, * Loquebátur de illo ómnibus qui expectábant redemptiónem Israël. *Luc.* 2. 38. ℣. Repléta sapiéntiâ, & femíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens. 2. *Mac.* 7. 21. * Loquebátur.

℟. *v.* Hæc non discedébat de templo, * Jejúniis & obsecratiónibus sérviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37. ℣. Flétibus & lúctui apta induménta suscépit, & deprecabátur Dóminum. *Esth.* 14. 2. 3. * Jejúniis.

℟. *vj.* Benedicta es à Dómino, filia; * Scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. *Ruth.* 3. *v.* 10. 11. ℣. O múlier, magna est fides tua! *Matt.* 15. 28. * Scit enim. ℣. Glória. * Scit enim.

*IN III. NOCTURNO*

*Ant.* 7. d. Considerávit agrum & emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. *Prov.* 31. 16.

*Ant.* 6. F. Gustávit, & vidit, quia bona est negotiátio ejus. *Ibid. v.* 18.

*Ant.* 1. D. Omne opus bonum subsecúta est. 1. *Tim.* 5. 10.

℣. Confirmátum est cor ejus, ℟. Non commovébitur. *Psal.* 111. 8.

℟. *vij.* Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt; * Vir ejus, & laudávit eam. *Prov.* 31. 28. ℣. Múlier glória viri est: non enim vir ex mulíere, sed múlier ex viro. 1. *Cor.* 11. *v.* 7. 8. * Vir ejus.

℟. *viij.* Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemósynis quas faciébat: * Factum est autem in diébus illis ut infirmáta morerétur. *Act.* 9. 36. ℣. Suspexit ad cœlum; erat enim cor ejus fidúciam habens in Dómino. *Deut.* 13. 35. * Factum.

℟. *ix.* Nunc ergo ora pro nobis, * Quóniam múlier sancta es, & timens Deum. *Judith.* 8.

29. ℣. Fides tua te salvam fecit. *Luc.* 7. 50.
* Quóniam. ℣. Glória.
* Quóniam.
Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Exultáte in conspectu Patris orphanórum, ℟. Et Júdicis viduárum. *Psalm.* 67. 5. 6.

*Ant.* 6. F. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. *Prov.* 31. 30.

*Ant.* 8. c. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fusum. *Ibid.* v. 19.

*Ant.* 4. E. Accinxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum. *Ibid.* v. 17.

*Ant.* 1. f. In ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith.* 13. 18.

*Ant.* 5. a. Laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31. 31.

*Capitulum.* 1. Tim. 2. 9.

MUlieres in hábitu ornáto, cum verecúndia & sobrietáte ornantes se, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ.

*Hymnus.* S. V.

O JAM beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!

PER quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ cónjuges.

INSIGNIS & nos Féminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.

QUEIS arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eóque, quo te vis coli,
Amóre, fac mens te colat.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Dilexísti justítiam, ℟. Et odísti iniquitátem. *Psal.* 44. 8.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 2. D. Orábat Dóminum Deum Israël, & munda manébat in tabernáculo. *Judith.* 12. v. 8. 9.

*Si sit Martyr, Oratio.*

TRibue, quæsumus, Dómine, précibus nostris cum exultatióne proventum: ut beátæ N. cujus passiónem recólimus, constántiam imitémur; Per.

*Alia Oratio.*

MArtyris tuæ N. nos, Dómine, conféssio

ſancta commúniat, & fragilitáti noſtræ contínuum ímpetret ſubsídium; Per.

*Si non ſit Martyr. Oratio.*

TUórum corda fidélium, Deus miſerátor, illuſtra; & beátæ N. précibus ac méritis, fac nos terréna deſpícere, & amáre cœléſtia; Per.

*Alia Oratio.*

ESto, quæſumus, Dómine, intercedente beátâ N. propítius plebi tuæ; ut quæ tibi non placent, reſpuentes, tuórum repleámur deſidério mandatórum; Per.

AD PRIMAM.

*Ant.* Fallax.

AD TERTIAM.

*Ant.* Manum.

*Capitulum.* Judith. 10. 8.

GLoriétur ſupèr te Jeruſalem, & ſit nomen tuum in número ſanctórum & juſtórum. Et dixérunt hi qui illic erant omnes unâ voce: Fiat, fiat.

℟. *br.* Lauda Dóminum, * Lauda Deum tuum. *Rep.* Lauda Dóminum. ℣. Benedixit filiis tuis in te. * Lauda. ℣. Glória. *Rep.* Lauda.

℣. Póſuit fines tuos pacem, ℟. Et ádipe frumenti ſátiat te. *Pſal.* 147. 14.

AD SEXTAM.

*Ant.* Accinxit.

*Capitulum.* Tob. 10. 13.

MOnébant filiam ſuam honoráre ſóceros, dilígere marítum, régere famíliam, gubernáre domum, & ſeipſam irreprehensíbilem exhibére.

℟. *br.* Totâ die * Miserétur & cómmodat. *Repet.* Totâ. ℣. Et ſemen illius in benedictióne erit. * Miſerétur. ℣. Glória. *Repet.* Totâ die. *Pſal.* 36. 16.

℣. Pupillum & víduam ſuſcípiet Dóminus, ℟. Et vias peccatórum diſperdet. *Pſal.* 145. 9.

AD NONAM.

*Ant.* Laudent.

*Capitul.* 1. Tim. 2. 15.

SAlvábitur per filiórum generatiónem, ſi permánſerit in fide, & dilectióne, & ſanctificatióne, cum ſobrietáte.

℟. *br.* Vídeas bona Jerúſalem * Omnibus diébus vitæ tuæ. *Rep.* Vídeas. ℣. Et vídeas filios filiórum tuórum. * Omnibus. *Pſalm.* 127. 6. ℣. Glória. *Repet.* Vídeas.

℣. Exultavérunt filiæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Pſal.* 96. 8.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* Fallax, *cum cæteris de Laudibus.*

*Capitulum.* 1. Petr. 3. 1.

MUlíeres súbditæ sint viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifiant.

*Hymnus*, Adeste, *ut supr. ad pr. Vesperas.*

℣. Benedícat tibi Dóminus ex Sion, ℟. Et videas bona Jerúsalem. *Ps.* 147. 5.

*Ad* Magnif. *Ant.* 3. Erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valdè, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. *Judith.* 8. 8.

*Si non sit propria Oratio, dicitur ut suprà ad Laudes.*



# COMMUNE LECTIONUM PRO FESTIS SANCTORUM,

## *Quibus propria non assignantur.*

*Si Festum sit Semiduplex aut Duplex-minus, in I. Nocturno non leguntur Lectiones : in II. de Scriptura occurrente : in III. quarta & quinta sunt prima & secunda Nocturni II. infrà positi ; sexta verò, Evangelium cum Homilia.*

*Si Festum sit Duplex-majus, aut Solemne-minus aut majus, in I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente ; in II. & III. Nocturno, ut infrà.*

*Si Festum sit Annuale Patroni, fit omninò ut infrà.*

---

## In Festo Annuali PATRONI, aut PATRONÆ, aut etiam plurium Patronorum.

*Officium fit de Communi conveniente.*

*IN I. NOCTURNO.*

De libro secundo Machabæórum.

LECTIO I. *Cap.* 15. 7.

*Exemplum spei in Deo.*

MAchabæus semper confidébat cum omni spe auxílium sibi à Deo affutúrum. Et hortabátur suos ne formidárent ad adventum Natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cœlo, & nunc sperárent ab Omnipotente sibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de Lege & Prophétis, ádmonens étiam certámina, quæ fécerant priùs, promptióres constítuit eos : & ita ánimis eórum erectis, simul ostendébat Géntium falláciam, & juramentórum prævaricatiónem.

LECTIO II. *v.* 11.

*Oratio Oniæ pro omni populo.*

SIngulos autem illórum armávit, non clypei, & hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis, & exhortatió-

nibus, expósito digno fide sómnio, per quod universos lætificávit. Erat autem hujuscémodi visus: Oníam, qui fúerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum móribus, & elóquio decórum, & qui à púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendentem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Post hoc apparuisse & álium virum ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum.

LECTIO III. *v. 16.*

*Fratrum amator.*

Respondentem verò Oníam dixisse: Hic est fratrum amátor, & pópuli Israël; hic est qui multum orat pro pópulo & universa sancta civitáte, Jeremías Prophéta Dei. Extendisse autem Jeremíam déxteram, & dedisse Judæ gládium áureum dicentem; Accipe sanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Israël. Exhortáti itaque Judæ sermónibus bonis valdè, de quibus extolli posset ímpetus, & ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre & confligere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret.

*Si Festum sit unius Martyris.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

*Serm. 283. in Nat. Mart. Massil.*

LECTIO IV.

Fortitúdinem sanctórum Mártyrum sic in eórum passióne mirémur, ut grátiam Dómini prædicémus. Neque enim & illi in seipsis laudári voluérunt, sed in illo cui dícitur: In Dómino laudábitur ánima mea. Hoc qui intélligunt, non supérbiunt: cum tremóre petunt, cum gáudio accípiunt: persevérant, jam non amittunt. Quia enim non supérbiunt, mites sunt. Et ideò cùm dixísset: In Dómino laudábitur ánima mea; áddidit: Audiant mites, & jucundentur. Quid caro infirma, quid vermis & putrédo esset, nisi quod cantávimus verum esset: Deo subjiciétur ánima mea, quóniam ab ipso est patiéntia mea? Etenim ut mala ómnia pro fide Mártyres tolerárent, virtus eórum patiéntia nominátur.

LECTIO V.

Duo sunt enim quæ in peccáta hómines aut illíciunt, aut impellunt; volúptas, aut do-

lor : voluptas íllicit, dolor impellit. Contra voluptátes necessária est continéntia ; contra dolóres patiéntia. Hoc enim modo suggéritur humánæ menti ut peccet. Aliquando dícitur : Fac, & hoc habébis ; aliquando autem : Fac, ne hoc patiáris. Voluptátem præcédit promíssio, dolórem comminátio. Ut ergo hábeant hómines voluptátem, vel non patiantur dolórem, peccant. Ideo Deus contra ista duo, quorum est unum in blanda promissióne, álterum in terríbili comminatióne ; & promíttere dignátus est, & terrére : promíttere regnum cœlórum, terrére de suppliciis inferórum. Dulcis est voluptas, sed dúlcior Deus. Malus est dolor temporális, sed pejor est ignis æternus. Habes quod ames pro mundi amóribus, imò pro immundis amóribus. Habes quod tímeas pro mundi terróribus. Sed parum est monéri, nisi impetres adjuvári. Præsens ergo psalmus quem cantávimus, dócuit nos à Deo útique esse patiéntiam nostram contra dolóres. Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℞. Deo grátias.

Lect. VI. *Long. post præd.*

Dicite quod séquitur : Deus adjútor est. Hunc adjutórem, ut vínceret, beátus Martyr hábuit, quem mirámur, cujus solemnitátem hódie celebrámus. Sine illo non vínceret. Et si dolóres vínceret, diábolum non vínceret. Aliquando enim victi à diábolo, vincunt dolóres ; non habentes patiéntiam, sed durítiam. Ille ergo adjútor áffuit, ut donáret ei veram fidem, fáceret ei bonam causam, & pro bona causa donáret patiéntiam. Tunc enim est patiéntia, quando præcédit bona causa. Non enim & ipsam fidem álius quàm Deus donat. Bréviter utrumque commendávit Apóstolus ; & causam pro qua patiámur, & patiéntiam quâ mala perferámus, à Deo nobis esse : exhortans enim Mártyres, ait : Quia vobis donátum est pro Christo ; ecce causa bona : Non solùm ut credátis in eum, sed étiam ut patiámini pro eo ; hæc est vera patiéntia.

IN III. NOCTURNO.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio VII. *Cap. 4.*

Semper enim nos qui vívimus, in mortem

trádimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spíritum fidei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum; & nos crédimus, propter quod & lóquimur: sciéntes, quóniam qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit, & constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos, ut grátia abundans, per multos in gratiárum actióne, abundet in glóriam Dei. Propter quod non deficimus: sed licèt is, qui foris est, noster homo corrumpátur: tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem.

LECTIO VIII.

*Cap.* 4. & 5.

ID enim quod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis: non contempläntibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália sunt; quæ autem non videntur, ætérna sunt. Scimus enim, quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo, est superíndui cupientes: si tamen vestiti, non nudi, inveniámur. Nam & qui súmus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti; eò quòd nólumus expoliári, sed supervestíri; ut absorbeátur quod mortále est, à vita.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. *Cap.* 10.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magistrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

*Epist.* 56. *de Exhort. mart. ad Thibaritanos.*

SIt ante óculos, fratres dilectíssimi, quòd qui omne judícium à Patre solus accépit, & qui ventúrus est & judicatúrus, jam judícii sui & cognitiónis futúræ senténtiam protúlerit, prænúntians & contestans confessúrum se coram Patre suo confiténtes, & negatúrum negantes. Neque áliquis persecutiónis

metu sic terreátur, ut non evangélicis exhortatiónibus & præceptis, ac mónitis cœléstibus, ad ómnia inveniátur armátus. Iráscitur adversárius, & minátur; sed est qui possit de ejus mánibus liberáre. Ille metuendus est, cujus iram nemo potest evádere, ipso præmonente & dicente: Ne timuéritis eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; magis autem metúite eum, qui potest & corpus & ánimam occídere in gehennam. Et íterum: Qui amat ánimam suam, perdet illam; & qui odit ánimam suam in isto século, in vitam ætemam conservábit illam. Ecce agon sublímis & magnus, & corónæ cœlestis præmio gloriósus. Præliantes nos spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat & Christus. Quanta est glóriæ dígnitas, quanta felícitas, præsente Deo cóngredi, & Christo júdice coronári!

*Si Festum sit plur. Martyr.*

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm. 335. in Nat. Mart.*

LECTIO IV.

QUóniam dies sanctórum Mártyrum est, unde pótius áliquid delectet nos dícere nisi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè beátum Paulum Apóstolum prædicantem: Quis nos separábit à charitáte Christi? (Ista vox est Mártyrum.) Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? sicut scriptum est: Propter te morte afficimur totâ die, deputáti sumus ut oves occisiónis: sed in his ómnibus superámus per eum qui dilexit nos. Hæc est vox Mártyrum, ómnia toleráre, & de se nihil præsúmere; illum dilígere, qui glorificátur in suis: ut, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

LECTIO V.

NOverant & illud quod nos cantávimus paulò antè: Lætámini in Dómino, & exultáte justi. Si justi in Dómino lætantur, injusti non novérunt lætári nisi in século. Sed ipsa est prima ácies debellanda: primò vincendæ sunt delectatiónes, & pósteà dolóres. Quómodo potest superáre mundum sævientem, qui non potest superáre blandientem? Blandítur hic mundus, polli-

cendo honóres, divítias, voluptátes: minátur hic mundus, intentando dolóres, egestátes, humilitátes. Qui non contemnit quod pollicétur, quómodo superáre potest quod minátur?

LECTIO VI.

HAbent delectatiónem suam divítiæ: quis néſciat? Sed plus habet delectatiónis justítia. Delectáre divítiis cum justítia. Ubi autem talis articulus tentatiónis incíderit, ut duo hæc véniant in tentatiónem, divítiæ & justítia; & non possis habére utrumque; sed si míseris manum ad divítias, necesse est ut amittas justítiam; si míseris manum ad justítiam, péreant divítiæ: modò élige, modò pugna; modò videámus si non sine causa cantasti: Lætámini in Dómino, & exultáte justi; modò videámus si non sine causa audisti: Quis nos separábit à charitáte Christi? Et quidem prætermísit ómnia quibus blandítur mundus, & te vóluit commemoráre cui blandítur mundus. Quare? Quia certámina Mártyrum prænuntiábat: illa útique certámina, ubi vicérunt persecutiónem, famem, sitim, egestátem, ignomíniam; ad extrémum, timórem mortis, & hostem sævíssimum.

IN III. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO VII. Cap. 8.

FRatres, debitóres sumus non carni, ut secundùm carnem vivámus. Si enim secundùm carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicumque enim spíritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spíritum servitútis iterùm in timóre: sed accepistis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro quòd sumus filii Dei. Si autem filii, & hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi: si tamen compátimur, ut & conglorificémur. Exístimo enim quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expectat.

LECTIO VIII.

SCimus autem quóniam diligéntibus

Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit conformes fieri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversùs electos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio IX. *Cap.* 6.

IN illo témpore, Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib.* 1. *Off. Cap.* 15. & 16.

NOn potest quis præmium accípere, nisi legítimè certáverit: nec est gloriósa victória, nisi ubi fúerint laboriósa certámina. Nonne injustus est, qui antè quærat præmium quàm certámen fúerit absolútum? Ideóque Dóminus in Evangélio ait: Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum: beáti estis cùm vobis maledicent hómines, & persequentur, & dicent omne malum adversùm vos propter justítiam; gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlo. Futúram, non præsentem; in cœlo, non in terra, mercédem promísit esse reddendam. Quid álibi poscis, quod álibi debétur? quid præpróperè corónam éxigis, ántequam vincas? quid detérgere púlverem? quid requiéscere cupis? quid epulári gestis, ántequam stádium solvátur? Adhuc pópulus spectat, adhuc athlétæ in scámmate sunt; & tu jam ótium petis? Sed fortè dicas: Cur ímpii lætantur? cur luxuriantur? cur étiam ipsi

non mecum labórant? Quóniam qui non ſubſcrípſerint ad corónam, non tenentur ad labórem certáminis: qui in ſtádium non deſcénderint, non ſe perfundunt óleo, non oblíniunt púlvere. Quos manet glória, expectat injúria. Unguentáti ſpectáre ſolent, non decertáre; non ſolem, æſtus, púlverem, imbreſque pérpeti. Dicant ergo & ipſis athlétæ: Veníte, nobiſcum laboráte. Sed reſpondébunt ſpectatóres: Nos hìc ínterim de vobis judicámus; vos autem ſine nobis corónæ, ſi vicéritis, glóriam vindicábitis.

*Si Feſtum ſit Pontificis.*

*IN II. NOCTURNO.*

Ex libro S. Gregórii Papæ, de cura paſtoráli.

*Part.* 1. *Cap.* 9. *&* 10.

LECTIO IV.

CUm curam pópuli electus Præſul ſúſcipit, quaſi ad ægrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore paſſiónes vivunt; qua præſumptióne percuſſum medéri própperat, qui in fácie vulnus portat? Ille ígitur modis ómnibus debet ad exemplum bene vivendi pértrahi, qui cunctis carnis paſſiónibus móriens jam ſpiritáliter vivit, qui próſpera mundi poſtpónit, qui nulla adverſa pertiméſcit, qui ſola interna desíderat. Cujus intentióni bene cóngruens, nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valdè per contumáciam repugnat ſpíritus. Qui ad aliéna cupienda non dúcitur; ſed própria largítur. Qui per pietátis víſcera cítiùs ad ignoſcendum fléctitur; ſed nunquam plus quàm déceat ignoſcens, ab arce rectitúdinis inclinátur.

LECTIO V.

QUi nulla illícita pérpetrat, ſed perpetráta ab áliis ut própria deplórat. Qui ex affectu cordis aliénæ infirmitáti compátitur, ſicque in bonis próximi ſicut in ſuis profectibus lætátur. Qui ita ſe imitábilem céteris, in cunctis quæ agit, insinuat; ut inter eos non hábeat, quod ſaltem de tranſactis erubéſcat. Qui ſic ſtudet vívere, ut proximórum quoque corda aréntia doctrínæ váleat fluentis irrigáre. Qui oratiónis uſu & experimento jam dídicit quòd obtinére à Dómino quæ popóſcerit, poſſit; cui prophéticâ voce jam quaſi ſpeciáliter dícitur: Adhuc loquente te, dicam, Ecce adſum.

LECTIO VI.

*Cap.* 11.

SI enim fortasse quis véniat, ut pro se ad intercedendum nos apud potentem quémpiam virum, qui sibi irátus, nobis verò est incógnitus, ducat; prótinus respondémus: Ad intercedendum veníre non póssumus, quia familiaritátis ejus notítiam non habémus. Si ergo homo apud hóminem, de quo minimè præsumit, fieri intercessor erubescit; quâ mente apud Deum intercessiónis locum pro pópulo árripit, qui familiárem se ejus grátiæ esse per vitæ méritum nescit? Aut ab eo, quómodo áliis véniam póstulat, qui utrum sibi sit placátus ignórat? Qua in re adhuc áliud est sollicítiùs formidándum; ne qui placáre iram posse créditur, hanc ipse ex próprio reátu mereátur. Cuncti enim líquidò nóvimus, quia cùm is qui dísplicet, ad intercedendum míttitur, iráti ánimus ad deterióra provocátur.

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola ad Titum.

LECTIO VII.

*Cap.* 1.

OPortet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem, non supérbum, non iracundum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum: sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplecténtem eum qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrína sana, & eos qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobedientes, vaníloqui, & seductóres, máximè qui de circumcisióne sunt, quos opórtet redárgui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non opórtet turpis lucri grátiâ.

LECTIO VIII.

*Cap.* 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam: Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia: Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas; súbditas viris suis, ut non blasphemétur ver-

bum Dei : Júvenes símíliter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex adverso est, vereátur, nihil habens malum dicere de nobis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX.

*Cap.* 24.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilia sancti Hilárii Epíscopi.

*Comment. in Matth. Cap.* 26.

UT ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dóminus propter adventum furis admónuit, & oratiónum assiduitáte detentos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse ostendit zábulum, ad detrahenda ex nobis spólia pervígilem, & córporum nostrórum dómibus insidiantem; ut ea incuriósis nobis & somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos igitur esse nos cónvenit : quia diéi ignorátio intentam sollicitúdinem suspensæ expectatiónis exágitat. Quis namque est fidélis servus & prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam? Quanquam in commúne nos ad indefessam vigilántiæ curam adhortétur; speciálem tamen pópuli princípibus, id est, epíscopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudentem, præpósitum famíliæ sígníficat, cómmoda atque utilitátes commissi sibi pópuli curantem. Qui si dicto áudiens, & præceptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte & veritáte infirma confirmet, disrupta consólidet, depraváta convertat, & verbum vitæ in æternitátis cibum alendæ famíliæ dispendat, atque hæc agens, hisque ímmorans deprehendátur : glóriam à Dómino tamquam dispensátor fidélis, & víllicus útilis consequétur, & super ómnia bona constituétur; id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultrà, quod mélius sit. Tu autem.

*Si Festum sit Sancti non Pontificis.*

*IN II. NOCTURNO.*

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

*Lib.* 10. *Cap.* 16.

LECTIO IV.

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, fallácia demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu à juvénibus scitur, hæc à púeris prétio díscitur: hanc qui sciunt, céteros despiciendo supérbiunt; hanc qui nésciunt, subjecti & tímidi in áliis mirantur: quia ab eis hæc éadem duplícitas iniquitátis nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas, urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adeptâ temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multipliciùs réddere; cùm vires suppetunt, nullis resisténtibus cédere; cùm virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

LECTIO V.

AT contrà, sapiéntia justórum est, nil per osténsiónem fingere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratìs exhibére, mala libentiùs toleráre quàm fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur: quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocenter ágitur, ab eis procul dúbio stultum putátur: & quidquid in ópere véritas appróbat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quàm mentem verbis osténdere; nil cállidâ machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere; pro maledicéntibus oráre; paupertátem quærere; possessa relínquere; rapienti non resístere; percutienti maxillam álteram præbére?

*Post pauca. Cap.* 16. *&* 17.

LECTIO VI.

QUæ nimírum justi simplícitas bréviter sed sufficienter exprímitur, cùm prótinus subinfertur: Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum. Sæpè namque contingit, ut electus quisque, qui ad æternam fe-

licitátem dúcitur, contínuâ hìc adversitáte deprimátur; non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem ostendat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat; à cunctis verò despicábilis cérnitur, & hujus mundi glóriâ indignus æstimátur: sed tamen ante occulti júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis coruscat; honorári métuit, déspici non réfugit; corpus continéntiâ ácit, solâ in ánimo dilectióne pinguescit: mentem semper ad patiéntiam præparat, & erectus pro justítia de perceptis contuméliis exultat; afflictis ex corde compátitur; de bonórum prosperitátibus quasi de própriis lætátur; sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat; & inquisítus quódlibet, éloqui dupliciter ignórat.

*IN III. NOCTURNO.*

De libro Sapiéntiæ.

LECTIO VII. *Cap.* 4.

JUstus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis est, non diuturna, neque annórum número computáta. Cani autem sunt sensus hóminis, & ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, & inconstántia concupiscéntiæ transvertit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus; propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

LECTIO VIII.

POpuli autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcórdiis tália: quóniam grátia Dei, & misericórdia est in sanctos ejus, & respectus in electos illíus. Condemnat autem justus mórtuus vivos ímpios, & juventus celérius consummáta, longam vitam injusti. Vidébunt enim finem sapientis, & non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, & quare muníerit illum Dóminus. Vidébunt, & contemnent eum: illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidentes sine honóre, & in contumélia inter mórtuos in perpétuum: quó-

niam disrumpet illos inflátos sine voce, & commovébit illos à fundamentis; & usque ad suprémum desolabuntur.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio IX. *Cap.* 12.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang. Hom.* 13.

DOminus dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos præcíngimus, cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat & bonis opéribus insudáre, prótinùs ádditur: Et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Lucernas quippe ardentes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis nostris lucis exempla monstrámus. De quibus profectò opéribus Dóminus dicit: Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Duo autem sunt quæ jubentur, & lumbos restríngere, & lucernas tenére; ut & mundítia sit castitátis in córpore, & lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest: si aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinamenta non déserit: aut is qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exercet. Nec cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte.

*Si Festum sit Virginis.*

*IN II. NOCTURNO.*

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris, de disciplína & hábitu Vírginum.

*Paulò post init.*

Lectio IV.

NUnc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quò sublímior glória est, major & cura est. Flos est ille ecclesiástici gérminis, decus atque ornamentum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis & honóris opus íntegrum atque incorruptum; Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fecúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas nú-

mero suo addit, tantò plus gáudium matris augescit.

Lectio V.

AD has lóquimur, has adhortámur affectióne pótiùs quàm potestáte: non quòd extrémi, & mínimi, & humilitátis nostræ ádmodum cónscii, áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quòd ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus. Neque enim inánis hæc cáutio est, & vana formído, quæ ad salútis viam cónsulit, quæ domínica & vitália præcepta custódit; ut quæ se Christo dicáverint, & à carnáli concupiscéntia recedentes, tam carne, quàm mente se Deo vóverint, consumment opus suum magno præmio destinátum: nec ornári jam, aut placére cuiquam, nisi Dómino suo, stúdeant, à quo & mercédem virginitátis expectant, dicente ipso: Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est.

Lectio VI.

DEnuo quoque per hanc Angeli vocem, continéntiæ munus osténditur, virgínitas prædicátur. Hi sunt, inquit, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt; vírgines enim permansérunt: hi sunt qui sequuntur Agnum quocumque íerit. Neque enim tantùm másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromittit, & féminas prǽterit: sed quóniam fémina viri pórtio est, & ex eo sumpta atque formáta est; in scriptúris ferè ómnibus ad protoplastum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, & in másculo simul significátur & fémina. Quòd si Christum continéntia séquitur, & regno Dei virgínitas destinátur; quid est illis cum terréno cultu, & cum ornamentis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offendunt?

*IN III. NOCTURNO.*

De Epístola prima B. Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio VII. *Cap. 7.*

DE virgínibus præceptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem,

uxórem, non peccasti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: tempus breve est: réliquum est, ut & qui habent uxóres, tamquam non habentes sint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; prætérit enim figúra hujus mundi.

LECTIO VIII.

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri: & divísus est. Et múlier innupta & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico: non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultátem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrandi.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. *Cap.* 25.

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipientes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang. Homil.* 12.

Omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent; quia plerumque bona in se ópera cum eléctis & réprobi ostendunt: sed soli ad sponsum cum oleo véniunt, quia de his quæ foris égerint, intùs glóriam requírunt. Unde per Psalmistam quoque de sancta Electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes & dormiérunt: quia dum veníre judex ad extrémum judícium differt, electi & réprobi in mortis somno sopiuntur. De adventu sponsi clamor in média nocte fit: quia sic dies judícii surrépit, ut prævidéri non váleat quando venit. Unde scriptum est: Dies Dómini sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc

omnes vírgines surgunt: quia & electi & réprobi à somno suæ mortis excitantur. Lámpades ornant; quia sua secum ópera númerant, pro quibus æternam recípere beatitúdinem expectant. Sed lámpades fatuárum vírginum extinguuntur; quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in adventu júdicis intùs obscurantur: & à Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

*Si Festum sit sanctæ Mulieris aut Viduæ.*

*IN II. NOCTURNO.*

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Víduis.

*Sub finem.*

LECTIO IV.

UT ad grátiam virtútis víduas adhortámur, ita étiam ad ecclesiásticam disciplínam féminas provocámus, quia Ecclésia constat ex ómnibus. Diversis virtútibus merces diversa propósita est: nec áliud repre- héndirur, ut áliud prædicétur; sed ómnia prædicantur, ut quæ melióra sunt præferantur. Honorábile ígitur conjúgium, sed honorabílior intégritas: nam & qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit; & qui non jungit, mélius facit. Quod ígitur bonum, non vitandum est; & quod est mélius, eligendum est. Itaque non impónitur, sed præpónitur. Et ídeo bene Apóstolus dicit: De virgínibus præceptum Dómini non hábeo, consílium autem do.

*Long. post præd.*

LECTIO V.

SEd nec vídua præceptum áccipit, sed consílium; consilium autem non semel datum, sed sæpe repetítum. Nam & primò dixit, Bonum est enim mulíerem non tángere; & íterùm, Volò sic omnes hómines esse, sicut & meipsum; & tértiò, Bonum est illis si sic máneant sicut & ego; & quartò, Bonum est propter instantem necessitátem: & hoc placére Dómino, & hoc honestum esse: postrémò beatiórem esse in viduitáte perseverantem, non tantùm suo consílio, sed étiam Dei spíritu definivit. Quænam ígitur talis consiliárii benignitátem recúset, qui & voluntáti habénas indúlgeat, & id suádeat áliis, quod in se expertus útile judicávit, non fácilis comprehendi, nec fastidiósus æquári? Quæ ígitur refúgiat san-

cta fieri córpore & spíritu ; cùm supra labórem sit præmium, supra usum grátia, supra opus merces ?

LECTIO VI.

ATque hoc ita dico, non ut láqueum céteris injíciam, sed ut commissi mihi ruris operárius agrum hunc Ecclésiæ fértilem cernam, nunc integritátis flore vernantem, nunc viduitátis gravitáte pollentem, nunc étiam conjúgii frúctibus redundantem. Nam etsi diversi, unius tamen agri fructus sunt : nec tanta hortórum lilia, quantæ aristæ ségetum, méssium spicæ, compluriumque spátia campórum recipiendis aptantur semínibus, quàm rédditis nováles frúctibus feriantur. Bona ergo vidúitas quæ tóties apostólico judício prædicátur : hæc enim magistra fidei, magistra est castitátis.

*IN III. NOCTURNO.*

De Parábolis Salómonis.

LECTIO VII. *Cap.* 31.

MUlíerem fortem quis invéniet ? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam doméstícis suis, & cibária ancillis suis. Considerávit agrum, & emit eum : de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accinxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum.

LECTIO VIII.

GUstávit, & vidit quia bona est negotiátio ejus : non extinguétur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fórtia, & digiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas extendit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi, byssus & púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, & véndidit, & cíngulũ trádidit Chananæo.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. *Cap.* 13.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile

est regnum cœlórum thesauro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang. Homil.* 11.

CŒlórum regnum, fratres charíssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quátenus exemplo visibílium se ad invisibília rápiat, & per ea quæ usu dídicit, quasi confricátus incalescat: ut per hoc quod scit notum dilígere, discat & incógnita amáre. Ecce enim regnum cœlórum thesauro abscóndito in agro comparátur: quem qui invénit homo, abscondit, & præ gáudio illíus vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. Qua in re hoc quoque notandum est, quòd inventus thesaurus abscónditur, ut servétur, quia stúdium cœlestis desidérii à malignis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc & ab humánis láudibus non abscondit. In præsenti étenim vita quasi in via sumus, quâ ad pátriam pérgimus: maligni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Deprædári ergo desíderat, qui thesaurum públicè portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cùm scriptum sit: Vídeant ópera vestra bona, & gloríficent Patrem vestrum qui in cœlis est; sed ut per hoc quod ágimus, laudes extériùs non quærámus. Sic autem fit opus in público, quátenus inténtio máneat in occulto: ut & de bono ópere próximis præbeámus exemplum, & tamen per intentiónem quâ soli Deo placére quærimus, semper optémus secrétum.

DIEBUS INTRA OCTAVAM.

*Semiduplex.*

*Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.*

*Ad Officium Nocturn. tres Ant.* ℣. *&* ℟℟℟. *de Nocturno diei secundùm Feriam occurrentem. Lectio I. & II. de Scriptura occurrente. Fit una ex j. & ij. Lectio III. ut infrà pro qualibet die.*

*Ad Laudes, dicuntur Psalmi Feriæ cum Cantico de Festis sub unica Antiphon. quæ est quarta Laudum.*

*Ad Vesperas, Psalmi Feriæ sub unica Ant. quæ est prima de Laudibus.*

*Dominicâ intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica ut in Psalterio, incipiendo à j. Vesperis quæ erunt integræ de Sabbato ante Dominicam occurrentem, cum commemoratione Octavæ in utriusque Vesperis & Laudibus.*

SECUNDA DIE.

Sermo sancti Gregórii Nisséni Epíscopi.

*Orat. de sancto Theodoro.*

COnsideráte, hujus puri cultûs ministri studiósi, quanta res sit justus, quámque multas consequátur remuneratiónes: & cógnito pietátis fructu, imitámini consílium & aspiráte ad ánimum & voluntátem eórum, qui ita præ céteris honorantur. Cui regum talis honor habétur? quis est ex iis, qui supra modum inter hómines excéllere visi sunt, qui tali memóriâ celebrétur? Quis imperatórum, qui urbes munítas cepérunt, natiónes innúmeras subegérunt, ádeò decantátus & famâ celebrátus est?

TERTIA DIE.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

*Ep. 22. ad Marcel. sororem.*

GRátias tibi, Dómine Jesu, quòd hoc témpore tales nobis Sanctórum spíritus excitásti, quo Ecclésia tua sancta præsídia majóra desíderat. Agnoscant omnes quales ego propugnatóres requíram. Hos ego acquisívi tibi, plebs sancta, qui prosint ómnibus, némini nóceant: tales ego ámbio defensóres: tales mílites hábeo: hoc est, non sǽculi mílites, sed mílites Christi. Nullam de tálibus invídiam tímeo, quorum quò majóra, eò tutióra patrocínia sunt. Horum étiam illis ipsis, qui mihi eos ínvident, opto præsídia. Véniant ergo & vídeant stipatóres meos; tálibus me armis ambíri non nego. Nos etsi eos vidére non póssumus, sentímus tamen.

QUARTA DIE.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri.

*Contra Vigilantium.*

DIcis in libello tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póssumus: postquam autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudienda orátio. Si Apóstoli & Mártyres adhuc in córpore constitúti, possunt oráre pro céteris, quando pro se adhuc debent esse sollíciti: quantò magis, post corónas,

victórias & triumphos! Unus homo Móyses sexcentis míllibus armatórum ímpetrat à Deo véniam: & Stéphanus imitátor Dómini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur: & postquàm cum Christo esse cœperint, minùs valébunt?

QUINTA DIE.

Sermo S. Basílii Epíscopi.

*Orat. in 40. Martyres.*

PArátum est hìc Chrìstiánis auxílium, Ecclésia vidélicet Mártyrum, exércitus triumphántium, chorus laudántium Deum. Qui áliquâ prémitur angústiâ, ad hos cónfugit: qui rursùs lætátur, ad hos occurrit: hic ut à malis liberétur; ille ut duret in rebus lætis. Hìc múlier orans pro fíliis audítur; peregrinanti viro réditum incólumem, ægrotanti verò salútem implórat. O sanctum chorum! ô sacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes géneris humáni custódes! óptimi curárum sócii, precum adjutóres, legáti apud Deum potentíssimi, astra mundi, flores Ecclesiárum! Vos non terra contexit, sed cœlum excépit.

SEXTA DIE.

Sermo sancti Clementis Papæ & Mártyris.

*Epist. 1. ad Corinth. c. 32. 33. sec. 1.*

SI glóriam & amplitúdinem consecúti sunt non per seipsos aut ópera sua, aut justas actiónes quas fecérunt, sed per voluntátem Dei. Et nos ígitur ex voluntáte illíus in Christo Jesu vocáti, non per nosipsos justi effícimur, neque per sapiéntiam nostram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis sanctitáte operáti sumus; sed per fidem, per quam cunctos, qui unquam justi fuérunt, justificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? cessábimus à bonis opéribus, & charitátem derelinquémus? néutiquam hoc à nobis fieri permittat Dóminus: sed cum diligéntia & alacritáte festinémus omne opus bonum perfícere. Videámus quòd in bonis opéribus ornáti fuérunt omnes justi. Et ipse Dóminus cùm se opéribus decorasset, gavísus est. Habentes ítaque hoc exemplar, impigrè ad voluntátem ejus accedámus; ex totis víribus nostris operémur opus justítiæ.

SEPTIMA DIE.
Sermo sancti Augustini Epíscopi.

*Tract. 1. in Ep. 15. Joann.*

JOannes quid dixit? Et si quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem Jesum Christum. Sed dicit áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Epíscopi vel Præpósiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, & vidéte quia & Præpósiti commendant se pópulo. Nam Apóstolus dicit plebi: Orantes simul & pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe: orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres, sed & vos oráte pro nobis: ínvicem pro se ómnia membra orent, caput pro ómnibus interpellet.

*Ad Vesperas, omnia ut in primis Vesperis Festi.*

IN OCTAVA.
*Duplex-majus.*
*Officium ut in die, exceptis quæ sequuntur.*

*IN II. NOCTURNO.*
Sermo sancti Bernardi Abbátis.

LECTIO IV.
*In Vigilia SS. Petri & Pauli.*

TRia sunt quæ in festivitátibus Sanctórum vigilanter considerare debémus: auxílium Sancti, exemplum ejus, confusiónem nostram. Auxílium ejus, quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim dum hìc víveret, misertus est peccatóribus, & orávit pro eis: nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs agnoscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria charitátem ejus non immutávit, sed augmentávit: neque enim quia impassíbilis omnínò, ídeò & incompassíbilis factus est.

LECTIO V.

DEbémus étiam atténdere exemplum ejus, quia quámdiù in terris visus est, & cum homínibus conversátus est, non declinávit ad déxteram, neque ad sinistram, sed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum, qui dicit: Ego sum via, véritas, & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; & tunc vidébitis quómodò tam verbo, quàm exemplo lúxerit inter hómines: quália nobis vestígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè juxta Prophétam: Sémita justi

recta est, rectus callis justi ad ambulandum. ℟.

LECTIO VI.

SEd & diligentióri intúitu confusiónem nostram inspiciámus: quia homo ille símilis nobis fuit passíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo & nos. Quid ergo est quòd non solùm difficile, sed & impossíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiscámus. Hómines isti fuérunt, qui præcessérunt nos, qui tam mirabíliter processérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuisse credámus. Sic ergo in Sanctórum festivitátibus & gaudére & confundi debémus: gaudére, quia Patrónos præmísimus; confundi, quia eos imitári non póssumus.

*IN III. NOCTURNO.*

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECTIO VII. *Cap.* 5. 6.

VIdi, & ecce in médio throni, & quátuor animálium, & in médio seniórum, Agnum stantem, tamquàm occísum, habentem córnua septem, & óculos septem; qui sunt septem spíritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera sedentis in throno librum. Et cùm aperuisset librum, quátuor animália, & vigínti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habentes sínguli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes Sanctórum: & cantábant cánticum novum.

*Si fuerit Dominica, legitur pro VIII. Lectione Evangelium & Homilia Festi, & pro IX. Lectione, Evangelium & Homilia Dominicæ occurrentis.*

LECTIO VIII. *Cap.* 8. 2.

VIdi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ. Et álius Angelus venit, & stetit ante altáre habens thuríbulum áureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de oratiónibus Sanctórum ómnium super altáre áureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensórum de oratiónibus Sanctórum de manu Angeli coram Deo. Et accépit Angelus thuríbulum, & implévit illud de igne altáris, & misit in terram, & facta sunt tonítrua, & voces, & fúlgura, & terræ motus magnus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio IX. *Cap.* 11. 5.

*Oratio persevėrans omnia impetrat.*

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Quis vestrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília sancti Basílii Epíscopi.

*Constitut. Monast. Cap.* 1.

HOc exemplum idcircò nobis propónitur à Dómino, ut in fide acres ac pertináces esse nos dóceat. Exemplum ab hómine ad álium hóminem sumit, ut intélligas nullâ labóris fatigatióne debére te à suscepto propósito desístere, ut vidélicet quandocumque áliquid petíeris, neque impetráveris, támdiù persevéres, quoad ímpetres, si tamen ea petas, quæ voluntáti Dei non repugnent. Neque díxeris: Peccátor sum, & proptérea non exáudior. Ut enim diffidéntiæ ille tibi causam omnem præcíderet, illud adjécit: Etsi non dabit illi surgens, eò quòd amícus ejus sit, propter improbitátem tamen dabit illi quotquot habet necessários. At sæpe petívi, neque impetrávi: prorsùs, quia non rectè petivisti, vidélicet aut dubitabundus, aut áliud agens, aut quæ tibi utília non erant futúra. Quòd si & quæ tibi erant utília sæpe petiisti, at non perseverántiam adhibuisti: scriptum est enim: Qui perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.



# OFFICIUM B. MARIÆ

## IN SABBATO,

### *Et in Festis ejusdem quæ non habent Officium proprium.*

*Omnibus Sabbatis, præterquam in Adventu, Quadragesimâ, Vigiliis cujuscumque Festi, inter Octavas, & nisi occurrat Festum Semiduplex aut suprà, ac nisi Officium fieri debeat de Feria, propter Quatuor Tempora, vel propter Officium alicujus Dominicæ quod eo die ponendum est, fit Officium de sancta Maria, incipiendo à Vesperis Feriæ sextæ præcedentis, & terminatur ad Nonam.*

*Psalmi de Feria per totum Officium.*

FERIA SEXTA.

*AD VESPERAS.*

*Ritu Semiduplici.*

*Ant.* 7. *d.* SUper te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Is.* 60. 2.

*Ant.* 1. f. Ex te egrediétur, qui sit Dominátor in Israël. *Mic.* 5. 2.

*Ant.* 8. G. In te benedicentur universæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12. 3.

*Ant.* 3. a. Vidébunt gentes justum tuum, & cuncti reges inclytum tuum. *Is.* 61. 2.

*Ant.* 5. a. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Is.* 62. 3.

*Capitulum.* Bar. 5. 1. 2.

INdue te decóre, & honóre ejus quæ à Deo tibi est sempiternæ glóriæ. Circúmdabit te Deus diplóide justítiæ, & impónet mitram cápiti honóris æterni.

*Cùm sit de Festo Duplici aut suprà, dicitur sequens*

℟. Deus ostendet splendórem suum in te omni qui sub cœlo est; * Nominábitur tibi nomen tuum à Deo in sempitérnum, † Pax justítiæ, & honor pietátis. *Bar.* 5. 3. 4. ℣. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1. 35. * Nominábitur.

℣. Glória. † Pax justítiæ.

*Hymnus.*

AVE, maris Stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

SUMENS illud Ave,
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Evæ.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis:
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

MONSTRA te esse matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis Natus,
Tulit esse tuus.

VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac & castos.

VITAM præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Concupiscet Rex decórem tuum, ℟. Quia ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44. 12.

*Ad* Magnif. *Ant.* 7. G. Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérsa terra. *Judith.* 10. 21.

*Oratio*, Concéde nos, *ut infrà in Laudibus.*

*Quoties Vesperæ dictæ sunt de Beata, toties*

AD COMPLETORIUM.

*Hymnus.*

VIRGINEIS títulis quæ matris jungit honóres,
Hâc natos fóveat nocte benigna suos.

FULGIDA stella maris, secli dum mérgimur undis,
Sit lux in ténebris, & bene fida quies.

SI sopor obrépit, castis fac Mater amóris,
Cor vígilans uno spiret amóre Dei.

VIRGO Dei génitrix, própiùs res áspice nostras;
Dicáris pópuli vita salusque tui.

GLORIA summa Patri, compar sit glória Nato,
Par tibi laus, Flamen, quo pia Virgo parit.
Amen.

*Capitulum.* Is. 60. 20.

NON óccidet ultrà sol tuus, & luna tua non minuétur, quia erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, &c.

℣. Custódi nos, &c.

*Ad* Nunc dimittis. *Ant.* 7. d. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix, nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus;

ſed à periculis cunctis líbera nos ſemper, Virgo glorióſa & benedícta.

*Non dicuntur preces.*

*Oratio.*

DEus, qui in ſinu Vírginis Matris tuæ caſtíſſimæ requiéſcere dignátus es: da nobis, ipsâ intercedente, ut inimíci per noctem devitémus insídias, & tu ſis noſtra quies & tutum præsídium; Qui vivis.

AD OFFICIUM NOCT.

*Ritu Simplici.*

*Invitatorium.* Ave, María, grátiâ plena; * Dóminus tecum. *Luc.* 1. 28.

*Pſ.* Veníte.

*Hymnus.*

NOBIS Deum quæ párturis,
O Virgo, matrum máxima,
Preces tibi quas fúndimus,
Offer benígna Fílio.

NOVI ſimul tu fœderis,
Et orbis arca náufragi,
Columba pacis núntia,
Et pacis obſes mítteris.

QUO vivis, à te súſcipit
Vitam, Creátor ómnium;
Immenſus in te cláuditur;
De te fit Æternus, caro.

TUIS tenétur légibus,
Mundi tremendus Légifer;
A te puer lac mútuat
Qui dat cibum quo páſceris.

COELUM ferentem ſúſtines,
Greſſus Tonantis témperas;
Suóque ſtantem Númine,
Loco ſitúque dimoves.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Menſibus Januario, Aprili, Junio, & Septembri, dicitur hoc I. Noct.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. c. Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus. *Iſ.* 44. 2.

*Ant.* 6. *C.* Benedicentur in te omnes tribus terræ. *Gen.* 28. 14.

*Ant.* 4. a. Venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt. *Iſ.* 60. 1.

℣. Ipſe eſt Dóminus Deus tuus; ℟. Et adorábunt eum. *Pſ.* 44. 12.

℟. *j.* Manus Dómini confortávit te, * Et ídeò eris benedícta in ætérnum. *Judith.* 15. 11. ℣. Beáta quæ credidiſti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45. * Et.

℟. *ij.* Tu honorificéntia pópuli noſtri, quia feciſti viríliter, & confortátum eſt cor tuum, * Eò quòd caſtitátem

amáveris. *Judith.* 15. 10. 11. ℣. Missus est Angelus Gábriel à Deo. *Luc.* 1. 26. * Eò quòd.

℟. *iij.* In omni gente quæ audíerit nomen tuum, * Magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13. 31. ℣. Ubicumque prædicátum fúerit Evangélium. *Marc.* 14. 9. * Magnificábitur. ℣. Glória. * Magnificábitur.

*Mensibus Februario, Julio, & Octobri, dicitur hoc secundum Nocturn.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. g. Non vocáberis ultrà derelícta, quia complácuit Dómino in te. *Is.* 62. 4.

*Ant.* 2. D. In sécula seculórum luce spléndidâ fulgébis. *Tob.* 13. 12. 13.

*Ant.* 7. d. Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob. *Judith.* 13. 31.

℣. Gloriósa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Psal.* 86. 3.

℟. *iv.* Benedícta es tu, fília, à Dómino Deo excelso,* Præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13. 23. ℣. Ne tímeas, María: Invenisti enim grátiam apud Deum. *Luc.* 1. 30. * Præ ómnibus.

℟. *v.* Multæ filiæ congregavérunt divítias; *Tu supergressa es universas. *Prov.* 31. 29. ℣. Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1. 28. * Tu supergressa.

℟. *vj.* Non pepercisti ánimæ tuæ propter angústias & tribulatiónem géneris tui; * Subvenisti ruínæ † Ante conspectum Dei nostri. *Judith.* 13. 25. ℣. Fecit Dóminus poténtiam in bráchio suo; dispersit superbos mente cordis sui. *Luc.* 1. 51. * Subvenisti. ℣. Glória. † Ante.

*Mensibus Martio, Maio, Augusto, & Novembri, dicitur hoc tertium Nocturnum: etiam Decembri ante Adventum.*

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Quàm pulchra es! Oculi tui columbárum. *Cant.* 4. 1.

*Ant.* 4. E. Sicut vitta coccínea, lábia tua; & elóquium tuum dulce. *Ibid.* 4. 3.

*Ant.* 5. a. Odor unguentórum tuórum super ómnia arómata. *Ibid.* 4. 10.

℣. Pulchritúdine tuâ intende, ℟. Prósperè procéde, & regna. *Ps.* 44. 4.

℟. *vij.* Benedixit te Dóminus in virtúte sua; * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. *Judith.* 13. 22. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fru-

ctus ventris tui. *Luc.* 1. 42. * Quia.

℟. *viij*. Benedictus Dóminus qui creávit cœlum & terram; * Quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13. 24. 25. ℣. Respexit Dóminus humilitátem ancillæ suæ. *Luc.* 1. 48. * Quia.

℟. *ix*. Memento diérum humilitátis tuæ, * Et tu ínvoca Dóminum, & lóquere Regi pro nobis, † Et líbera nos de morte. *Esther.* 15. 2. 3. ℣. Quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1. 37. * Et tu. ℣. Glória. † Et líbera.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confiteantur tibi pópuli, Deus, ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66. 6. 7.

*Ant.* 6. F. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15. 10.

*Ant.* 8. c. Tota pulchra es, & mácula non est in te. *Cant.* 4. 7.

*Ant.* 1. g. Beáti omnes qui gaudent super pace tua. *Tob.* 13. 18.

*Ant.* 4. A. Erit.

Canticum Judith. 13. 17.

LAudáte Deum nostrum, * qui non deséruit sperantes in se;

Et in me ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, * quam promísit dómui Israël;

Et interfécit in manu mea * hostem pópuli sui.

Vivit autem ipse Dóminus; * quóniam custodívit me Angelus ejus:

Et hinc euntem, & ibi commorantem, * & inde huc reverténtem.

Et non permísit me Dóminus * ancillam suam coinquinári.

Sed sine pollutióne peccáti revocávit me * vobis gaudentem,

In victória sua, in evasióne mea, * & in liberatióne vestra.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. *Is.* 60. 19.

*Ant.* 7. d. Quàm pulchra es, & quàm decóra in delíciis! *Cant.* 7. 6.

*Capitulum.* Cant. 6. 3.

PUlchra es, suávis, & decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

*Hymnus.*

O QUÆ polo sublímior,
Regína cœli díceris,
Nos è supernis sédibus,
María, clemens áspice.
CHRISTUS sibi quos éligit

Fratres, adopta filios;
Et matris in nos víscera,
Mitesque vultus índue.
Quid à Deo non óbtines
Supplex tuum per Fílium,
Quem virginali víctimam
Offers placentem déxterâ?
Confisa tanto pígnori,
Ama favére nóxiis,
A te dato quos sánguine
Tuus redémit Fílius.
Fac, Virgo, nostris cástitas
Intacta regnet córdibus:
Vitæque puræ críminum,
Sit mors beáta términus.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Rex noster operátus est salútem, ℟. Tu confregisti cápita dracónis. *Ps.* 73. 12. 14.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. E. Benedictus Dóminus qui te dirèxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13. 24.

*Oratio.*

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére: & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítiâ, & ætérnâ pérfrui lætítiâ. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Tu glória.

*Capitul. ut in Psalterio.*

℟. Christe, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

*Ant.* Tota pulchra.

*Capitulum.* Judith. 8. 28.

Omnia quæ locúta es, vera sunt, & non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio; nunc ergo ora pro nobis.

℟. *br.* Tríbuat tibi Dóminus * Secundùm cor tuum. *Repet.* Tríbuat. ℣. Et omne consílium tuum confírmet. * Secundùm. ℣. Glória. *Repet.* Tríbuat. *Ps.* 19. 5.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD SEXTAM.

*Ant.* Beáti.

*Capitulum.* Tob. 13. 23.

Benedictus Dóminus, qui exaltávit eam, & sit regnum ejus in sǽcula sæculórum super eam.

℟. *br.* Corónat te Dóminus * In misericórdia. *Repet.* Corónat. ℣. Et miseratiónibus. * In misericórdia. ℣. Glória. *Repet.* Corónat. *Psalm.* 102. 4.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

AD NONAM.

*Ant.* Quàm pulchra es.

*Capitulum.* Cant. 4. 11.

FAvus distillans lábia tua, mel & lac sub lingua tua; & odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

℟. *br.* Diffúsa est * Grátia in lábiis tuis. *Repet.* Diffúsa. ℣. Benedixit te Deus in ætérnum. * Grátia. ℣. Glória. *Repet.* Diffúsa.

℣. Replet Dóminus in bonis, ℟. Desidérium tuum. *Ps.* 102. 4.

*Quando dicentur secundæ Vesperæ, Antiphona, Capitulum, ℣. de Laudibus, Hymnus,* Ave, maris stella.

*Ad* Magnif. *Ant.* 8. G. Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritûs Sancti: sola sine exemplo placuisti Dómino nostro Jesu Christo.

*Lectiones sequentes dicuntur singulis mensibus in Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.*

MENSE SEPTEMBRI.

Sermo S. Leónis Papæ.

*De Nativ. Domini.*

LECTIO III.

HUmáno usu & consuetúdine quod crédimus caret, sed divínâ potestáte subnixum est, quòd virgo concéperit, virgo pepérerit, virgo permánserit. Non hìc cogitétur pariéntis condítio, sed nascéntis arbítrium; qui sic homo natus est, ut volébat, & póterat. Si veritátem quæris humánæ natúræ, cognosce matériam: si ratiónem scrutáris oríginis, virtútem confitére divínam. Venit enim Dóminus Jesus Christus contágia nostra auferre, non pérpeti; nec succúmbere vítiis, sed medéri. Venit ut omnem languórem corruptiónis, & univérsa vúlnera sordéntium curáret animárum: propter quod opórtuit ut novo nascerétur órdine, qui novam impollútæ sinceritátis grátiam humánis corpóribus inferébat.

MENSE OCTOBRI.

Ex Epístola S. Ambrósii Epíscopi ad Syrícium Papam.

*Epist. lib.* 1. *Ep.* 7.

LECTIO III.

DEvii à via veritátis produntur dícere: Virgo concépit, sed non virgo generávit. Póruit ergo virgo concípere, non pótuit virgo ge-

neráre; cùm semper conceptus præcédat, partus sequátur? Sed si doctrínis non créditur sacerdótum; credátur oráculis Christi, credátur mónitis Angelórum dicéntium: Quia non est impossíbile Deo omne verbum: credátur symbolo Apostolórum, quod Ecclésia Romána intemerátum semper custódit & servat. Audívit María vocem Angeli; & quæ antè díxerat, Quómodo fiet istud, non de fide generatiónis intérrogans; respondit pósteà: Ecce ancilla Dómini, contingat mihi secundùm verbum tuum. Hæc est virgo quæ in útero concépit, virgóque péperit fílium. Sic enim scriptum est: Ecce virgo in útero accípiet & páriet fílium. Non enim conceptúram tantúmmodo vírginem, sed & paritúram vírginem dixit. Quæ autem est illa porta Sanctuárii, porta illa extérior ad orientem, quæ manet clausa; &, Nemo, inquit, pertransíbit per eam, nisi solus Deus Israël? Nonne hæc porta María est, per quam in hunc mundum Redemptor intrávit? Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

MENSE NOVEMBRI.

De expositióne S. Basílii Epíscopi in Isaíam Prophétam.

*In Cap.* 8. LECTIO III.

ACcessi ad Prophetissam, & in útero accépit & péperit fílium. Quid est, Accessi ad prophetissam? Hoc est, Appropinquávi spíritu & prænotióne futurórum; & perspexi ejus conceptiónem è longínquo, óculis in prophetíæ grátiam atténtis. Péperit fílium, de quo dixit Dóminus: Vocábis nomen ejus, Velóciter détrahe spólia, citò prædáre. Quòd María prophetissa fúerit, ad quam próximè per cognitiónem accessit Isaías, nemo contradíxerit, qui sit memor verbórum Maríæ, quæ prophéticè elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum, & exultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respexit humilitátem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quòd si ánimum accommodáveris univérsis ejus verbis, non dubitábis dícere eam fuisse prophetissam, quòd Dómini Spíritus in eam supervénerit, & virtus Altíssimi obumbráverit ei.

MENSE DECEMBRI.

Ex Diálogo sancti Justíni Mártyris, cum Tryphóne.

LECTIO III.

SI non è vírgine iste de quo Isaías dicébat, nascitúrus erat, de quo Spíritus Sanctus exclamábat: Ecce Dóminus dabit signum, ecce virgo in útero concípiet & páriet filium; si perinde atque álii omnes primogéniti, iste quoque ex concúbitu gignendus erat, quodnam signum non cunctis primogénitis commúne fácere se dixit? Enimvérò quod verè signum est & humáno géneri credíbile futúrum erat, hoc est ut ex virgináli útero primogénitus creaturárum ómnium caro factus verè puer fieret; óccupans id per prophéticum spíritum, álio atque álio modo pronuntiávit, ut cùm factum esset virtúte & consílio rerum universárum Conditóris, factum esse agnosceréur, haud áliter quàm ex uno látere Adæ Eva éxtitit; atque ália animántia ómnia verbo Dei ortum suum cepére.

*Si occurrat Festum celebrandum in aliqua Ecclesia de Beata Maria, si sit Semiduplex, aut Duplex-minus, non leguntur Lectiones in I. Nocturno.*

*In II. leguntur de scriptura occurrente: in III. IV. & V. Lectiones erunt duæ Lectiones apposita pro mensibus. VI. erit Homilia posita inferiùs.*

*Si Festum celebretur ritu Duplicis-majoris, aut suprà, in I. Nocturno Lectiones de scriptura occurrente. In II. tres Lectiones pro mensibus apposita.*

*In III. Nocturno VII. Lectio erit ea quæ est II. in parvo Officio, cui apponetur Titulus,* De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. *VIII. erit III. ejusdem parvi Officii cui apponetur titulus,* De Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *IX. erit Homilia.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO VI. *aut* IX.

*Cap.* 11.

IN illo témpore, Cùm loquerétur Jesus ad turbas, extollens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxisti. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri. *Lib.* 4. *C.* 49. *in Luc.* 11.

EXtollámus vocem cum Ecclésia Cathó-

liea, cujus hæc múlier typum gessit; extollámus & mentem de médio turbárum, dicamusque Salvatóri: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxisti! Verè enim beáta parens, quæ, sicut quidam ait, Enixa est puérpera Regem qui cœlum terramque tenet per sécula. Quin immò beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt! Pulchrè Salvátor attestatióni mulíeris ánnuit, non eam tantúmmodò quæ Verbum Dei corporáliter generáre merúerat, sed & omnes qui idem Verbum spirítáliter audítu fidei concípere, & boni óperis custódiâ, vel in suo, vel in proximórum corde párere, & quasi álere studúerint, assevérans esse beátos: quia & éadem Dei génitrix, & inde quidem beáta, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporális: sed inde multò beátior, quia ejusdem semper amandi custos manébat ætérna.



# OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ.

*Non dicitur quoties fit Officium Semiduplex, aut suprà, nec intra Octavas, nec quando Officium diei est de Beata.*

*Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur hoc modo: Officium Nocturnum, Laudes & Vesperæ dicuntur inter Suffragia. Prima, post Primam diei, ante Officium Capituli: Tertia post* Benedicámus *Tertiæ; & sic de ceteris Horis.*

## AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Ave, María, grátiâ plena; * Dóminus tecum. *Luc.* 1. 28.

*Ps.* Veníte.

*Hymnus.*

NOBIS Deum quæ párturis,
O Virgo, matrum máxima,
Preces tibi quas fúndimus,
Offer benigna Fílio.

NOVI simul tu fœderis,
Et orbis arca náufragi,
Columba pacis núntia,
Et pacis obses mítteris.

QUO vivis, à te súscipit
Vitam, Creátor ómnium;
Immensus in te cláuditur;
De te fit Æternus, caro.

TUIS tenétur légibus,
Mundi tremendus Légifer,
A te puer lac mútuat,
Qui dat cibum quo pásceris.

COELUM ferentem sústines,
Gressus Tonantis témperas;
Suóque stantem Númine,
Loco sitúque dímoves.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

*In Festis beatæ Mariæ dicuntur in Nocturnis novem sequentes Psalmi, cum Antiphonis propriis.*

*In Officio autem parvo dicuntur tantùm tres Psalmi, secundùm ordinem Feriarum, ut infrà notatur.*

## IN I. NOCTURNO.

*Feriâ II. & V.*

*Ant. sola* 1. 2. Ave.

*Psalmus* 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam elevára est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, * lunam & stellas quæ tu fundasti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum pauló minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronasti eum, * & constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves & boves universas, ínsuper & pécora campi.

Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

*Psalmus* 18.

CŒli enarrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum, * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam; * à summo cœlo egréssio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus; * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum, & lápidem pretiósum multum, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occultis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emun-

Reges Tharsis & insulæ munera ófferent ; * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei.

Quia liberábit páuperem à potente, * & páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & inopi ; * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum : * & hónorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper : * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sécula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedictus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus.

Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum : * & replébitur majestáte ejus omnis terra : Fiat, fiat.

*Psalmus* 84.

BEnedixisti, Dómine, terram tuam, * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ, * operuisti ómnia peccáta eórum.

Mitigasti omnem iram tuam, * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster, * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis ? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem ?

Deus, tu conversus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus ; * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsius, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi : * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * & justitia de cœlo prospexit.

Etenim

Etenim Dóminus dabit benignitátem ; * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit , * & ponet in via gressus suos.

*Ant.* María , invenisti grátiam apud Deum. *Luc.* 1. 30.

℣. Gloriósa dicta sunt de te , ℟. Cívitas Dei. *Ps.* 86. 3.

Pater. *Lectiones infrà.*

*IN III. NOCTURNO.*

*Feriâ IV. & Sabbato.*

*Ant. sola.* 8. G. Beáta.

*Psalmus* 86.

FUndamenta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te , * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus , & pópulus Æthiópum ; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo , & homo natus est in ea ; * & ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum , * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

*Psalmus* 96.

DOminus regnávit , exultet terra , * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus : * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet , * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit , & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini ; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus ; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília , * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum , omnes Angeli ejus : * audivit , & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua , Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum , odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum ; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo , * & rectis corde lætítia.

Lætámini , justi, in Dómino , * & confitémini

memóriæ sanctificatiónis ejus.

*Psalmus 97.*

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum; * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ, * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra; cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, & voce psalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspectu regis Dómini: moveátur mare & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

*Ant.* Beáta quæ credidisti; quóniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45.

℣. Pulchritúdine tuâ intende, ℟. Prósperè procéde, & regna. *Ps.* 44. 4.

Pater noster.

*Absolutio.*

PRécibus & méritis beátæ Maríæ semper Vírginis, & ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna cœlórum.

℟. Amen.

Jube, Domne, benedícere.

*Benedictio.* Nos cum prole pia, benedícat Virgo María.

℟. Amen.

LECTIO I. *Isaiæ* 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet, & páriet Fílium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Tu autem.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portasti Creatórem mundi; * Genuisti qui te

fecit, & in æternum pérmanes virgo. ℣. Benedicta es tu, filia, à Dómino Deo excelso. * Genuisti.

*Benedictio.* Vírginis Maríæ Fílius, sit nobis adjútor & propítius.

LECTIO II. *Gal.* 4.

QUanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est, usque ad præfinítum tempus à patre: ita & nos cùm essémus párvuli, sub elementis mundi erámus servientes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Tu autem.

℟. Sancta & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus écferam néscio;* Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contulisti. ℣. Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. * Quia.

*Benedict.* Per Vírginem matrem, concédat nobis Dóminus salútem & pacem.

LECT. III. *Apoc.* 11. & 12.

APertum est templum Dei in cœlo: & visa est arca testamenti ejus in templo ejus, & facta sunt fúlgura, & voces, & terræ mótus, & grando magna. Et signum magnum appáruit in cœlo: Múlier amicta sole, & luna sub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna stellárum duódecim. Tu.

℟. Felix es, sacra Virgo María, & omni laude digníssima; * Quia ex te ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant tuum juvámen, quicumque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. * Quia. ℣. Glória. * Quia.

*Non dicitur* Te Deum.

*Si Laudes non sequantur, dicitur hìc Oratio,* Concéde. *ut infrà, ad Sextam.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confiteantur tibi pópuli, Deus: ℟. Terra dedit fructum suum. *Psal.* 66. 6. 7.

℣. Deus, in adjutórium.

*Ant. sola.* 4. A. Erit tibi.

*Psalmus 66.*

DEus misereátur nostrî, & benedícat nobis; * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostrî;

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ó n-

nibus géntibus salutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, * confiteantur tibi pópuli omnes.

Lætentur & exultent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; * & métuant eum omnes fines terræ.

*Psalmus* 92.

DOminus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * à sǽculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

*Psalmus* 99.

JUbiláte Deo, omnis terra, * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus; quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Cant. *Judith*. 13. 17. Laudáte Deum, *ut in Officio B. Mariæ in Sabbato.*

*Psalmus* 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; lau-

tâte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

*Ant.* Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. *Is.* 60. 14.

*Capitulum.* Galat. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

*Hymnus.*

O Quæ polo sublímior,
Regína cœli díceris!
Nos è supernis sédibus,
María, clemens áspice.

CHRISTUS sibi quos éligit,
Fratres, adopta fílios;
Et matris in nos víscera,
Mitesque vultus índue.

QUID à Deo non óbtines
Supplex tuum per Fílium,
Quem virgináli víctimam
Offers placentem déxterâ?

CONFISA tanto pígnori,
Ama favére nóxiis,
A te dato quos sánguine
Tuus redémit Fílius.

FAC, Virgo, nostris cástitas
Intacta regnet córdibus:
Vitæque puræ críminum,
Sit mors beáta, términus.

SIT laus Patri; laus Fílio,
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Rex noster operátus est salútem, ℟. Tu confregisti cápita dracónis. *Ps.* 73. 12. 14.

*Ad* Bened. *Ant.* 8. G. Beáta Dei génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritûs Sancti: sola sine exemplo placuisti Dómino nostro Jesu Christo.

*Oratio.*

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti: præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem Dóminum.

*Fiunt commemorationes.*

## AD PRIMAM.

*Hymnus.*

MEMENTO, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Nostrî misertus, pérditi
Mundi Redemptor véneris.

ET nos, Dei Virgo parens,
Vultu benigno réspice:
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Fílium.

SIT laus Patri ; laus Filio ,
Qui natus est de Vírgine ;
Quo Virgo fit puérpera ,
Sit par tibi laus , Spíritus.
Amen.

*Psalm.* Deus , in nómine. 126. Cantáte .... omnis terra. 50. Laudáte Dóminum. 152. *sub sola Ant.* 6. F. Tu glória Jerúsalem , tu lætítia Israël , tu honorificéntia pópuli nostri.

*Capitulum.* Cant. 6. 3.

PUlchra es , suávis , & decóra sicut Jerúsalem ; terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. *br.* Misericórdia & véritas * Obviavérunt sibi. *Repet.* Misericórdia. ℣. Justítia & pax osculátæ sunt. * Obviavérunt. ℣. Glória. *Repet.* Misericórdia.

℣. Véritas de terra orta est , ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84. 11. 12.

*Oratio.*

PRótege , Dómine , fámulos tuos subsídiis pacis ; & beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidentes , à cunctis hóstibus & perículis redde secúros ; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

*Psalm.* Ad Dóminum. 75. Levávi. 55. Lætátus sum. 76. *sub sola Ant.* 8. c. Tota pulchra es , & mácula non est in te. *Cant.* 4. 7.

*Capitulum.* Judith. 8. 28.

OMnia quæ locúta es , vera sunt , & non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio ; nunc ergo ora pro nobis.

℟. *br.* Tríbuat tibi Dóminus * Secundùm cor tuum. *Rep.* Tríbuat. ℣. Et omne consílium tuum confírmet. * Secundùm. ℣. Glória. *Rep.* Tríbuat. *Ps.* 19. 5.

℣. Ora pro nobis , sancta Dei Génitrix , ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

*Oratio.*

DEus , qui salútis ætérnæ , beátæ Maríæ Virginitáte fœcundâ , humáno géneri præmia præstitisti : tribue , quæsumus , ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus , per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum ; Qui tecum.

AD SEXTAM.

*Psalm.* Ad te levávi. 97. Nisi quia. 55. Qui confidunt. 97. *sub sola Ant.* 1. g. Beáti omnes qui gaudent super pace tua. *Tob.* 13. 18.

*Capitulum.* Tob. 13. 23.

BEnedictus Dóminus qui exaltávit eam , & sit regnum ejus in sæ-

culа seculórum super eam.

℟. *br.* Corónat te Dóminus * In misericórdia. *Repet.* Corónat. ℣. Et miseratiónibus. * In misericórdia. ℣. Glória. *Rep.* Corónat. *Ps.* 102. 4.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

*Oratio.*

CONcéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eumdem.

AD NONAM.

*Psalm.* In converténdo. 56. Nisi Dóminus. 98. Beáti omnes. 160. *sub sola Ant.* 7. *d.* Quàm pulchra es, & quàm decóra in delíciis! *Cant.* 7. 6.

*Capitulum.* Cant. 4. 11.

FAvus distillans lábia tua, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentórum tuórum. sicut odor thuris.

℟. *br.* Diffúsa est * Grátia in lábiis tuis. *Repet.* Diffúsa. ℣. Benedixit te Deus in æternum. * Grátia. ℣. Glória. *Repet.* Diffúsa.

℣. Replet Dóminus in bonis, ℟. Desidérium tuum. *Ps.* 102. 4.

*Oratio.*

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignosce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem Dóminum nostrum.

AD II. VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium. *Ant. sola.* 2. D. In ancilla.

*Psalmus* 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis;

Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus Sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacerdos in ætérnum secundùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bi-

bet ; * proptérea exaltábit caput.

*Pſalmus* 112.

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc, nunc, & uſque in ſéculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum, * laudábile nomen Dómini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra ?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui ;

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

*Pſalmus* 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jerúſalem ;

Jerúſalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipſum.

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini ; * teſtimónium Iſraël, ad confiténdum nómini Dómini :

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæsívi bona tibi.

*Pſalmus* 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere : * súrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis ſuis ſomnum : ecce hæréditas Dómini, filii ; * merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis, * ita filii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis ; * non confundétur cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

*Pſalmus* 147.

LAuda, Jerúſalem, Dóminum : * lauda

Deum tuum, Sion;
Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit filiis tuis in te;
Qui pósuit fines tuos pacem, * & ádipe fruménti sátiat te;
Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;
Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit;
Mittit crystallum suam sicut buccellas; * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?
Emittet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.
Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israël;
Non fecit táliter omni natióni, * & judícia sua non manifestávit eis.
*Ant.* In ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam quam promísit dómui Israël. *Judith.* 13. 18.

*Capitulum.* Eccli. 24. 12.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo; & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in Israël hæreditáre; & in electis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum.

*Hymnus.*

AVE, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.
SUMENS illud Ave,
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
MONSTRA te esse matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac & castos.
VITAM præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætémur.
SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Post partum virgo invioláta permansisti;
℟. Dei génitrix, intercéde pro nobis.

*Ad* Magnif. *Ant.* 4. E. Sancta María, succurre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto feminéo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicumque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.

*Oratio.*

COrdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde; & intercedente sanctissimâ Dei genitrice Maríâ, córpora nostra castitáte, & mentes nostras humilitáte & caritáte sanctífica; Per eumdem.

*Fiunt commemorationes.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos, Deus. ℣. Deus, in adjutórium.

*Ps.* Sæpè expugnavérunt. 138. De profundis. 98. Dómine, non est exaltátum. 98. *sub sola Ant.* 5. a. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13.31.

*Hymnus.* Virgíneis títulis, *ut suprà in Officio B. Mariæ in Sabbato.* pag. lxxxiij.

*Capitulum.* Judith. 13.25.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabuntur. *Rep.* Vultum. ℣. Omnes dívites plebis. * Deprecabuntur. ℣. Glória. *Rep.* Vultum.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Ps.* 44. 13. 18.

*Ad* Nunc dimittis. *Ant.* 7. d. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus; sed à perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa & benedicta.

*Oratio.*

BEátæ & gloriósæ semperque Vírginis Maríæ, quæsumus, Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, & ad vitam perdúcat æternam; Per.

*PROSA DE BEATA ad devotionem.*

INVIOLATA, íntegra & casta es, María:
Quæ es effecta fúlgida cœli porta.

O MATER alma Christi caríssima,
Súscipe pia laudum præcónia.

NOSTRA ut pura péctora sint & córpora,
Te nunc flágitant devóta corda & ora.

TUA per precáta dulcísona,
Nobis concédas véniam per sécula.

O BENIGNA! O benigna! O benigna!
Quæ sola inviolata permansisti.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix; ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

*Orat.* Famulórum. *p.* ciij.

# PSALMI PŒNITENTIALES.

*Psalmus 6.*

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè; * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac, propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus, * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem, * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur & erubescant valdè velóciter.

*Psalmus 31.*

BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua, * conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * & injustítiam meam non abscondi.

Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meam Dómino; * & tu remisisti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio

aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínstruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo & fræno maxillas eórum constringe,* qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris, * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, justi; * & gloriámini, omnes recti corde.

*Psalmus* 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum: * & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruérunt & corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus;* & non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amíci mei & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & stétérunt;

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam:

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut ho-

mo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergáudeant mihi inimíci mei; * &, dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum; * & dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo; * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me; * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus, * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

*Psalmus* 50.

MIserére meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti: * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: * & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui; * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias

tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses, sacrifícium dedissem útique; * holocaustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocausta; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

*Psalmus* 101.

DOmine, exaudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt; * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exurgens miseréberis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera : * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum ;

Quia prospexit de excelso sancto suo : * Dóminus de cœlo in terram aspexit ;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret filios interemptórum ;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, & reges, * ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundasti : * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt ; tu autem pérmanes : * & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur ; * tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt ; * & semen eórum in séculum dirigétur.

*Psalmus* 129.

De profundis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine ; * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israël in Dómino ;

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio ;

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

*Psalmus* 142.

Dómine, exaudi oratiónem meam ; áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua ; * exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo ; *

quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sǽculi, & anxiátus est super me spíritus meus: * in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum; meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine, * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me, * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam: * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam: * quóniam ego servus tuus sum.

*Ant.* Dómine, memor esto meî, & ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3. 3.

LITANIÆ.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserére nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserére nobis.

Spíritus sancte Deus, miserére nobis.

Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.

Sancta María, Ora pro nobis.

Sancta Dei Génitrix, ora.

Sancta Virgo vírginum, ora.

Sancte Míchael, ora.

Sancte Gábriel, ora.

Sancte Ráphael, ora.

Omnes sancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.

Omnes sancti beatórum

Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*) ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancti Nazári & Celse, oráte pro nobis.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Fabiáne, ora.
Sancte Sebastiáne, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancte Dionysi cum sóciis tuis, ora.
Sancti Cosma & Damiáne, oráte.
Sancti Gervási & Protási, oráte pro nobis.
Sancti Juste & Pastor, oráte.
Sancte Saturníne, ora.
Sancte Justíne, ora.
Sancte Victor, ora.
Sancte Mauríci cum sóciis tuis, ora.
Sancte Ignáti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Guimerra, ora.
Sancte Hilári, *Carc.* ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Exúperi, ora.
Sancte Elígi, ora.
Sancte Paule, *Narb.* ora.
Sancte Carole, ora.
Omnes sancti Pontífices & Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Lupíne, ora.
Sancte Guillelme, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes sancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.

Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléne, ora.
Sanctæ Perpétua & Felícitas, oráte.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Therésia, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Sancta Scholástica, ora.
Sancta Mónica, ora.
Sancta Clotildis, ora.
Sancta Bathildis, ora.
Sancta María Ægyptia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propítius esto, Parce nobis, Dómine.
Propítius esto, Exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A subitánea & improvísa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera nos, Dómine.
Ab immundis cogitatiónibus, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.
A fúlgure & tempestáte, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per advent um tuum, líbera nos, Dómine.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per baptísmum & sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem & passiónem tuam, líbera.
Per mortem & sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per adventum Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te.
Ut remissiónem peccatórum nostrórum nobis dones, te.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te.
Ut fidem, spem & caritátem nobis dones, te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere & conserváre dignéris, te.
Ut Domnum Apostólicum, & omnes Gradûs Ecclésiæ in sancta religióne conserváre dignéris, te.
Ut Antístitem nostrum, & omnes congregatió-

nes illi commissas, in tuo sancto obséquio conservare dignéris, te.
Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Régibus & Princípibus Christiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te.
Ut cuncto pópulo Christiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servítio confortáre & conserváre dignéris, te.
Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempiterna bona retríbuas, te.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, & benefactórum nostrórum, ab æterna damnatióne erípias, te.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris, te.
Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Exaudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, non secundùm peccáta nostra fácias nobis; ℟. Neque secundùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102. 10.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis; ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60. 4.

℣. Orémus pro Pastóre nostro *N.* ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Ps.* 40. 3.

℣. Pro Rege nostro *N.* ℟. Dómine, salvum fac Regem; & exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19. 10.

℣. Pro benefactóribus nostris. ℟. Deus omnem grátiam abundáre fáciat in illis, & áugeat increménta frugum justítiæ illórum. 2. *Cor.* 9. 8. 10.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7. 9.

℣. Pro infirmis, afflictis, captívis, & peregrí-

nis. ℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24. 22.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Ps.* 124. 4.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedisti ab inítio. *Ps.* 73. 2.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

*Psalmus*, Deus, in adjutórium. LI. ℣. Dómine, exaudi, &c. Dóminus vobiscum.

Orémus.

DEus, cui próprium est miseréri semper, & párcere: súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa constringit, miserátio tuæ pietátis clementer absolvat.

EXaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benignus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam clementer ostende; ut simul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro iis merémur, erípias.

DEus, qui culpas delinquéntium districtè feriendo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúsas: quæsumus, ut qui pondus tuæ animadversiónis cognóvimus, pietátis tuæ grátiam sentiámus.

DEus, ómnium fidélium pastor & rector, fámulum tuum N. quem Pastórem Ecclésiæ tuæ præesse voluisti, propítius réspice; da ei, quæsumus, verbo & exemplo, quibus præest, proficere, ut ad vitam unà cum grege sibi crédito, pervéniat sempiternam.

OMnípotens sempiterne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N. & dírige eum secundùm tuam cleméntiam in viam salútis ætemæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perficiat.

QUæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster N. qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus váleat pervenire.

DEus, à quo sancta desidéria, recta con-

silia & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita; &, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, & adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur.

OMnípotens sempiterne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniumque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænoscis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequantur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

---

# ORDO

## COMMENDATIONIS ANIMÆ

### ANTE DECESSUM.

*Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum:*

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Sancta María, Ora pro eo [ *vel* ea. ]

Omnes sancti Angeli, oráte pro eo.

Sancte Abel, ora.

Omnis chorus Justórum, ora pro eo [ *vel* ea. ]

Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancti Nazári & Celse, oráte.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Omnes sancti Confessóres, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora.
Sancta Therésia, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Omnes sanctæ Vírgines, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro eo [ *vel* ea. ]
Propítius esto, Parce ei, Dómine.
Propítius esto, Adjuva eum, [ *vel* eam ] Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, [ *vel* eam ] Dómine.
Ab ira tua, *líbera.*
A mala morte, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera eum, [ *vel* eam ] Dómine.
Per crucem & passiónem tuam, líbera.
Per mortem & sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus, audi nos.
Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

*Deinde cùm in agone sui exitûs anxiatur anima, dicitur :*

Proficíscere, ánima christiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit : In nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est, In nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est : In nómine Angelórum & Archangelórum : In nómine Thronórum & Dominatiónum : In nómine

Principátuum & Potestátum: In nómine Chérubim & Séraphim: In nómine Patriarchárum & Prophetárum: In nómine sanctórum Apostolórum & Evangelistárum: In nómine sanctórum Mártyrum & Confessórum: In nómine sanctórum Monachórum & Eremitárum: In nómine sanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, & habitátio tua in sancta Sion; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen. Orémus.

DEus misléricors, Deus clemens, Deus qui secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remissiónis evácuas: réspice propítius super * hunc fámulum tuum N. [ *vel* hanc fámulam tuam N. ] & remissiónem ómnium peccatórum suórum totâ cordis confessióne poscentem, deprecátus exaudi. Rénova in * eo [ *vel* ea ] piíssime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corruptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum est: & unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annecte. Miserére, Dómine, gemítuum, miserére lacrymárum ejus; & non habentem fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacramentum reconciliatiónis admitte; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

COmmendo te omnipotenti Deo, * caríssime frater [ *vel* caríssima soror; ] & ei cujus es creatúra committo: ut cùm humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egredienti ítaque ánimæ tuæ de córpore, spléndidus Angelórum cœtus occurrat: judex Apostolórum tibi senátus advéniat: candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet: liliáta rutilántium te Confessórum turma circumdet: jubilántium te Vírginum chorus excípiat: beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te complexus astringat: mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspectus appáreat, qui te inter assistentes sibi júgiter interesse decernat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in tormentis. Cedat tibi tetérrimus sátanas cum satellítibus suis: in adven-

tu tuo, te comitántibus Angelis, contremiſcat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exurgat Deus, & diſſipentur inimíci ejus; & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. Sicut déficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei: & juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei. Confundantur ígitur & erubeſcant omnes tartáreæ legiónes: & miniſtri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Líberet te ab æterna morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Filius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœna viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnoſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſolvat, atque ad déxteram ſuam in electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemper aſſiſtens, manifeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. * Conſtitútus [*vel* Conſtitúta] ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Suſcipe, Dómine, * ſervum tuum [*vel* ancillam tuam] in locum ſperandæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inferni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Job de paſſiónibus ſuis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Iſaac de hóſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberaſti Móyſen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera,

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti tres púeros de camíno ignis ardentis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Susannam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti David de manu regis Saül, & de manu Góliath. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam, vírginem & mártyrem tuam, de tribus atrocíssimis tormentis liberasti, sic liberáre dignéris ánimam hujus * servi tui [ *vel* ancillæ tuæ; ] & tecum fácias in bonis cœléstibus congaudére. ℟. Amen.

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui [ *vel* fámulæ tuæ, ] precamurque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut eam propter quam ad terram descendisti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnosce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo & vero; quia non est álius Deus præter te, & non est secundùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conspectu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit; & zelum Dei in se hábuit; & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.
℟. Amen. Orémus.

DElicta juventútis, & ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris, Dómine: sed secundùm magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiantur ei cœli; collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam súscipe. Suscípiat eam sanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cœlestis méruit principátum. Véniant illi óbviàm sancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœlestem Jerúsalem. Suscípiat eam beátus Petrus Apóstolus, cui à Deo claves regni cœlestis tráditæ sunt. Adjuvet eam beátus Paulus Apóstolus, qui

dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro ea sanctus Joannes, electus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia. Orent pro ea omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Electi Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc século sustinuérunt; ut vínculis carnis exúta, perveníre mereátur ad glóriam regni cœlestis, præstante Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sécula seculórum.

℞. Amen.

*Si anxiatur adhuc anima, dicitur Psalmus* Confitémini Dómino. 16. *& totus Psalmus* Beáti immaculáti in via. *per Horas Dominicæ distributus*, 17.

*Egressâ autem animâ, dicitur* : ℞. In te, Dómine, sperávi, non confundar in ætérnum, accélera ut éruas me : in manus tuas commendo spíritum meum : * Redemisti me, Dómine Deus veritátis; illustra fáciem tuam super * servum tuum [*vel* ancillam tuam;] * salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdia tua. *Ps.* 30. ℣. 2. 3. 6. 17. ℣. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. * Redemisti me. *Act.* 7. 58.

Kyrie, eléison, Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater noster. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℞. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo [*vel* ancilla tua,] Dómine; ℞. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142. 2.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi : ℞. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73. 19.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℞. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiscum, ℞. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* ut * defunctus [*vel* defuncta] século, tibi vivat : & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Christum Dóminum nostrum.

℞. Amen.

# OFFICIUM DEFUNCTORUM.

*Qualibet Hora sequentis Officii incipitur absolutè.*

## AD VESPERAS.

*Ant.* 3. c. O Dómine.

*Psalmus* 114.

DIlexi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni; * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: miséricors Dóminus, & justus, * & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus; * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

*In hoc Officio, in fine omnium Psalmorum & Canticorum dicitur:*

Réquiem ætеrnam dona eis, Dómine, * & lux perpétua lúceat eis.

*Ant.* O Dómine, líbera ánimam meam.

*Ant.* 2. D. Heu mihi.

*Psalmus* 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi; * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

*Ant.* Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est!

[illegible]

ræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excelsus Dóminus, & humília réspicit, * & alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

*Ant.* Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

*Continuò dicitur:*

*Ad* Magnif. *Ant.* 7. b. Cujus opus árserit, detriméntum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. *Cor.* 3. 15.

*Secretò*, Pater. *Clarâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. In memória ætérna erunt justi; ℟. Ab auditióne mala non timébunt. *Ps.* 111. 7.

℣. A porta ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88. 49.

℣. Credo vidére bona Dómini, ℟. In terra vivéntium. *Ps.* 26. 13.

*Psalmus* 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea; * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsius, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos: * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: pupíllum & víduam suscípiet; * & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sécula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

℣. Requiescant in pace, ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

*In depositione Defuncti, Oratio.*

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui *N.* quam de hoc século migráre jussisti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & sanctórum tuórum júbeas esse consortem.

*Pro Diacono, post litteram* N. *additur* Diáconi.

*In depositione Defunctæ, Oratio.*

QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam, in æternæ salvatiónis partem restítue.

*In depositione Sacerdotis, Oratio.*

DEus, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Sacerdotáli fecisti dignitáte vigére: præsta, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio; Per Dóminum nostrum.

*Pro Episcopo, loco* Sacerdotáli, *dicitur* Pontificáli.

*In Anniversariis dicuntur tres sequentes Orationes.*

DEus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ * fámuli tui *N.* [ Sacerdótis, *vel* Pontíficis ] [*vel* fámulæ tuæ *N.* ] cujus [ *vel* animábus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum ] [ *vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quarum ] anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem.

*Pro Benefactoribus.*

DEus, véniæ largitor, & humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos, & benefactóres, qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper Vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

*Pro omnibus Defunctis.*

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

*Si aliud Officium non sequatur, dicitur:*
Requiescant in pace.
℟. Amen.
[*Privatim pro patre & matre,*
*Oratio.*

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepisti: miserére clementer animábus patris mei ac matris meæ, eorumque peccáta dimitte; meque eos in æternæ claritátis gáudio fac vidére; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.]

AD VIGILIAS.

*Invitat.* Regem cui ómnia vivunt, * Veníte, adorémus.

*Psalmus* Veníte. *In cujus fine, loco* Glória Patri, *dicitur*: Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; & lux perpétua lúceat eis.

*Dicitur in Commemoratione omnium Fidelium, & quando recitantur tria Nocturna.*

*Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturn. in Depositione corporis, & in omnibus Anniversariis ritu Duplici celebrandis. In iis vero quæ ritu Simplici fiunt, ubi dicitur unicum Nocturnum, Feriâ II. & V. dicitur primum; Feriâ III. & VI. secundum; Feriâ IV. & Sabbato, tertium.*

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 4. E. In ætérnum.
*Psalmus* 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine, * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitátem: * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus; * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam;

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eórum; linguis

suis dolósè agébant ; * júdica illos , Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis ; secundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos , * quóniam irritavérunt te , Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te : * in ætérnum exultábunt ; & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum , * quóniam tu benedíces justo.

Dómine , ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronasti nos.

*Ant.* In ætérnum exultábunt , Dómine ; & habitábis in eis.

*Ant.* 3. b. Tu, Dómine.

*Psalmus 6.*

DOmine , ne in furóre tuo árguas me , * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî , Dómine , quóniam infirmus sum : * sana me , Dómine , quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde ; * sed tu , Dómine , úsquequò ?

Convértere , Dómine , & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam ;

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî : * in inferno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo , lavábo per síngulas noctes lectum meum,* lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus , * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me , omnes qui operámini iniquitátem , * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam : * Dóminus oratiónem meã suscépit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei : * convertantur & erubescant valde velóciter.

*Ant.* Tu , Dómine , úsquequo ? Convértere , Dómine , & éripe.

*Ant.* 8. c. Réspice.

*Psalmus 12.*

USquequo , Dómine , oblivísceris me in finem ? * úsquequo avertis fáciem tuam à me ?

Quámdiu ponam consília in ánima mea , * dolórem in corde meo per diem ?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me ? * réspice , & exaudi me , Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos , ne umquam obdórmiam

in morte, * nequando dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero; * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo, cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi; * & psallam nómini Dómini altíssimi.

*Ant.* Réspice, & exaudi, Dómine.

℣. Ut quid, Deus, repulísti in finem? ℟. Irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? *Ps.* 73. 1.

*Secretò*, Pater. *Clarâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

*Lectiones leguntur sine Absolutione, & sine Benedictionibus.*

De libro Job.

LECTIO I. *Cap.* 13. 22.

*Job apud Deum queritur.*

Réspondemihi: Quantas hábeo iniquitátes, & peccáta: scélera mea & delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscondis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, & stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, & observásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meórum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum, & quasi vestiméntum, quod comédi tur à tínea.

℟. j. Quóniam ibit homo in domum æternitátis suæ; * Revertátur pulvis in terram suam unde erat, & spíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. *Eccles.* 12. 5. 7. ℣. Det illi Dóminus inveníre misericórdiam à Dómino in illa die. 2. *Tim.* 1. 18. * Revertátur.

LECT. II. *Cap.* 14. 1.

*Fragilitas humana.*

Homo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immundo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est, constituísti términos ejus qui prætериri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiescat, donec optáta

véniat, ficut mercenárii dies ejus.

℟. *ij.* Miseréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes, & dissímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: nihil odísti eórum quæ fecísti; * Parcis ómnibus; quóniam tua sunt, Dómine, qui amas ánimas. *Sap.* 11. 24. 25. 27. ℣. Quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti. *Joan.* 11. 27. * Parcis.

LECT. III. *Cap.* 14. 13.

*Job corporum vaticinatur resurrectionem.*

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inferno prótegas me, & abscondas me, donec pertránseat furor tuus, & constítuas mihi tempus, in quo recordéris meî? Putásne mórtuus homo rursùm vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expecto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti; sed parce peccátis meis.

℟. *iij.* Ne tradas, Dómine, béstiis ánimas confiténtes tibi; * Et ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem. *Ps.* 73. 19. ℣. Dómine, miserére nostrî, Fili David. *Matt.* 20. 31. * Et ánimas. ℣. Réquiem. * Et ánimas.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. a. In médio.

*Psalmus* 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguasti in óleo caput meum; * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

*Ant.* In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniã tu mecum es, Dñe.

*Ant.* 8. G. Delicta.

*Psalmus* 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meã; *

Deus meus, in te confido, non erubescam:
Neque irrídeant me inimíci mei; * étenim universi qui sústinent te, non confundentur.
Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.
Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.
Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.
Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à século sunt.
Delícta juventútis meæ * & ignorántias meas ne memíneris.
Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.
Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via:
Díriget mansuétos in judício, * docébit mites vias suas.
Universæ viæ Dómini misericórdia & véritas, * requiréntibus testamentum ejus & testimónia ejus.
Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.
Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.
Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen ejus hæreditábit terram.
Firmamentum est Dóminus timéntibus eum; * & testamentum ipsíus ut manifestétur illis.
Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.
Réspice in me, & miserére meî, * quia únicus & pauper sum ego.
Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt, * de necessitátibus meis érue me.
Vide humilitátem meã, & labórem meum, * & dimitte universa delícta mea:
Réspice inimícos meos, quóniã multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me:
Custódi ánimam meam, & érue me; * non erubescam, quóniam sperávi in te.
Innocentes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.
Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.
*Ant.* Delícta juventútis, & ignorántias ne memíneris, Dómine.

*Ant.* 7. ç. Exaudi.

*Psalmus* 26.

DOminus illuminátio mea, & salus mea ;* quem timébo ?

Dóminus protector vitæ meæ ; * à quo trepidábo ?

Dum appròpiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consistant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Dómini,* & vísitem templum ejus. ;

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo : * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, & psalmum dicam Dómino.

Exaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te : * miserére meî, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum. Exquisívit te fácies mea :* fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me : * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto ; ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus ;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua ; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me;* quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age ; * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

*Ant.* Exaudi, Dómine ; miserére ; ne avertas fáciem tuam.

℣. Ne avertátur húmilis, ℟. Factus confúsus. *Ps.* 73. 21.

Ex Epístola S. Cypriáni Epíscopi ad Antoniánum.

*Epist. 55. edit. nova.*

LECTIO IV.

Aliud est ad véniam stare, áliud ad glóriam perveníre. Aliud missum in cárcerem non exíre inde, donec solvat novíssimum quadrantem; áliud statim virtútis & fidei ardóre mercédem accípere. Aliud pro peccátis longo dolóre cruciátuum emundári, purgári diu igne; áliud peccáta ómnia passióne purgasse. Aliud dénique pendére in diem judícii ad senténtiam Dómini, áliud statim à Dómino coronári.

℟. iv. Qui dórmiunt in terræ púlvere, evigilábunt * Alii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium, ut vídeant semper. *Dan.* 12. 2. ℣. In novíssima tuba; canet enim tuba, & mórtui resurgent. 1. *Cor.* 15. 52. * Alii.

Ex Oratióne sancti Ambrósii Epíscopi, de óbitu Theodósii Imperatóris.

LECTIO V.

Tu solus, Dómine, invocandus es, tu rogandus. Da réquiem perféctam servo tuo, réquiem illam, quam præparasti servis tuis. Illò convertátur ánima ejus, unde descendit, ubi mortis acúleum sentíre non possit, ubi cognoscat mortem hanc non natúræ finem, sed culpæ. Dilexi, & ídeo prósequor eum usque ad regiónem vivórum, nec déseram, donec fletu & précibus indúcam virum, quò sua mérita vocant, in montem Dómini sanctum, ubi perennis vita.

℟. v. Sancta & salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, * Ut à peccátis solvantur. 2. *Mach.* 12. 46. ℣. Tálibus enim hóstiis promerétur Deus. *Hebr.* 13. 16. * Ut à peccátis.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi, de Verbis Apóstoli.

*Serm.* 32.

LECTIO VI.

Oratiónibus sanctæ Ecclésiæ, & sacrifício salutári, & eleemósynis, quæ pro eórum spirítibus erogantur, non est dubitandum mórtuos adjuvári: ut cum eis misericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. Hoc enim à pátribus tráditum univérsa obsérvat Ecclésia, ut pro eis qui in corpóris & sánguinis Christi communióne defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrifícium loco suo commemorantur, orétur; ac pro illis

quoque id offerri commemorétur. Cùm eórum commendandórum causâ, ópera misericórdiæ celebrantur; quis eis dúbitet suffragári, pro quibus orationes Deo non inániter allegantur? Non omníno ambigendum est ista prodesse defunctis; sed tálibus, qui ita víxerint ante mortem, ut possint hæc utília eis esse post mortem.

℟. vj. Dómine omnípotens, ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te: * Audi, Dómine, & miserére; † Quia Deus es miséricors. *Baru.* 3. 1. 2. ℣. Justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex seculórum. *Apoc.* 15. 3. * Audi. ℣. Réquiem. † Quia Deus.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. b. Propter iniquitátem.

*Psalmus* 38.

DIxi: Custódiam vias meas, * ut non delinquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis; * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, * & in meditatióne mea exardescet ignis.

Locútus sum in lingua mea: * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum, quis est; * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuisti dies meos; * & substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen universa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertransit homo, * sed & frustrà conturbátur:

Thesaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipienti dedisti me.

Obmútui, & non apérui os meum, quóniam tu fecisti: * ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego deféci in increpatiónibus, * propter iniquitátem corripuisti hóminem;

Et tabéscere fecisti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meã, Dómine, & deprecatiónem meam, * áuribus

pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrígerer, priusquam ábeam; * & ámpliùs non ero.

*Ant.* Propter iniquitátem corripuisti hóminem: exaudi oratiónem, Dómine.

*Ant.* 3. b. Numquid qui dormit.

*Psalmus* 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum; & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & peribit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei: * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, & resúscita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluisti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepisti; * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dóminus Deus Israël à século, & usque in séculum: * fiat, fiat.

*Ant.* Numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat? Dómine, miserére.

*Ant.* 2. D. In die.

*Psalmus* 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & appa-

rébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam ; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei ;

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea ? * & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est ; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo, Susceptor meus es ;

Quare oblítus es meî, * & quare contristátus incédo, dum affligit me inimícus ?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimici mei ;

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus ? * quare tristis es, ánima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

*Ant.* In die mandávit Dóminus misericórdiam suam.

℣. Usque in sǽculum tu es Deus ; ℟. Ne avertas hóminem in humilitátem. *Ps.* 89. 2. 3.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECT. VII. *Cap.* 15. 1.

*Christus resurrexit à mortuis.*

NOtum vobis fácio, fratres, Evangélium, quod prædicávi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salvámini : quâ ratióne prædicáverim vobis, si tenétis, nisi frustrà credidistis. Trádidi enim vobis imprímis, quod & accépi : quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secundùm Scriptúras, & quia sepultus est, & quia resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras, & quia visus est Cephæ,

& post hoc Undecim. Deinde visus est plus quàm quingentis frátribus simul : ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt.

℟. vij. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum meum. *Job.* 19. 25. 26. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. 1. *Cor.* 15. 53. * Et in.

LECTIO VIII. *v.* 20.

*Futúra corporum resurrectio, & ordo.*

NUnc autem Christus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium : quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum : & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo órdine : primítiæ Christus : deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus credidérunt. Deinde finis; cùm tradíderit regnum Deo & Patri, cùm evacuáverit omnem principátum, & potestátem, & virtútem. Oportet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors. Omnia enim subjécit sub pédibus ejus. Cùm autem dicat : Omnia subjecta sunt ei; sine dúbio præter eum, qui subjécit ei ómnia.

℟. viij. Redemptor noster, à século nomen tuum; * Convértere propter servos tuos, tribus hæreditátis tuæ. *Is.* 63. 16. 17. ℣. Quóniam occísus es, Dómine, & redemisti nos. *Apoc.* 5. 9. * Convértere.

LECTIO IX. *v.* 28.

*Resurrectio corporum fidei fundamentum.*

CUm autem subjecta fúerint illi ómnia : tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjécit sibi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus. Alióquin quid fácient qui baptizantur pro mórtuis, si omninò mórtui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? ut quid & nos periclitámur omni horâ? Quotídiè mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro. Si (secundùm hóminem) ad béstias pugnávi Ephesi, quid mihi prodest, si mórtui non resurgunt? Manducémus, & bibámus, cras enim moriémur. Nolíte sedúci : corrumpunt mores bonos

colloquia mala. Evigiláte, justi, & nolíte peccáre: ignorántiam enim Dei quidam habent, ad reveréntiam vobis loquor.

*Dicitur Responsorium ut sequitur quoties fit* Officium *novem Lectionum.*

℟. *ix.* Audi nunc, Dómine, oratiónem mortuórum Israël, & filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te. * Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum: † Sed memento manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto; § Quia tu es Dóminus Deus noster, ¶ Et laudábimus te, Dómine. *Baruc.* 3. 4. 5. 6. ℣. Parce, Dómine, parce pópulo tuo. *Joel.* 2. 17. * Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum: † Sed memento manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto; § Quia tu es Dóminus Deus noster, ¶ Et laudábimus te, Dómine. ℣. Ne des hæreditátem tuam in oppróbrium. *Joel.* 2. 17. † Sed memento manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto; § Quia tu es Dóminus Deus noster, ¶ Et laudábimus te, Dómine. ℣. Exaudi, Domine; placare, Domine. *Dan.* 9. 19. § Quia tu es Dóminus Deus noster, ¶ Et laudábimus te, Dómine. ℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine; & lux perpétua lúceat eis. ¶ Et laudábimus te, Dómine. *Rep.* Audi nunc, *usque ad* ℣. Parce.

[ *Quando Vigiliæ celebrantur manè, prætermissis quæ sequuntur, continuò inchoantur Laudes.* ]

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Absolve, quæsumus, Dómine, ánimam * fámuli tui *N.* [ Sacerdótis *vel* Pontíficis ] [ *vel* famulæ tuæ *N.* ] [ *vel* ánimas * famulórum tuórum *N.* & *N.* *vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* ] & ánimas ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória, inter sanctos & electos tuos resuscitáti respírent; Per eum qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & séculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

## AD LAUDES.

*In Psal.* Miserére. cix.

*Ant.* 1. *g.* Secundùm multitúdinem miseratió-

num tuárum dele iniquitátem.

*Ant.* 8. G. Tibi Deus.

*Psalmus* 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion, * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi orationē meam:* ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegisti, & assumpsisti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ.; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium finium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ: * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni & vésperè delectábis.

Visitasti terram, & inebriasti eam: * multiplicasti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis; parasti cibum illórum, * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguescent speciósa deserti, * & exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

*Ant.* Tibi, Deus, reddétur votum in Jerúsalem; ad te omnis caro véniet.

*Ant.* 3. b. Propter.

*Psalmus* 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam: áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi; & anxiátus est super me spíritus meus: * in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum an-

tiquórum : meditátus sum in ómnibus opéribus tuis;* in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine ; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me ; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam ;* quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis , Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam , quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum , Dómine , vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in misericórdia tua dispergdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam;* quóniam ego servus tuus sum.

*Ant.* Propter nomen tuum , Dómine , vivificábis in æquitáte tua.

*Ant.* 4. E. Miserére,

*Canticum.* Baruch. 3.

DOmine omnípotens, Deus Israël, * ánima in angústiis , & spíritus ánxius clamat ad te:

Audi , Dómine , & miserére , quia Deus es miséricors ; * & miserére nostrî , quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempiternum , * & nos períbimus in ævum ?

Dómine omnípotens , Deus Israël , * audi nunc oratiónem mortuórum Israël ,

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te , & non audiérunt vocem Dómini Dei sui , * & agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum ; * sed memento manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto :

Quia tu es Dóminus Deus noster ; * & laudábimus te , Dómine.

*Ant.* Miserére, quia Deus es miséricors.

*Ant.* 7. b. Omnis spíritus.

*Psalmus* 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério & cithara.

Laudáte eum in tympano & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

*Ant.* Omnis spíritus laudet Dóminum.

*Ad* Benedict. *Ant.* 4. f. Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, áudient vocem Fílii Dei, & procédent qui bona fecérunt in resurrectiónem vitæ. *Joan.* 5. 28. 29.

Pater. *& cætera, ut suprà in Vesperis,* cxxv. *excepto quòd loco Psalmi* Lauda, *dicitur Ps.* De profundis. cxxiv.

*A prima die mensis Septembris, usque ad Vesperas Sabbati ante Dominicam primam Adventûs, dicuntur sequentes Lectiones in tria Nocturna distributa juxta Feriam occurrentem, quoties dicitur tantùm unum Nocturnum.*

FERIA II. ET V.

*Dicitur primum Nocturnum, ut suprà, p.* cxxvij. *cum sequentibus Lectionibus & Responsoriis.*

De libro Job.

LECTIO I. *Cap.* 7. 1.

*Humana vita calamitates explicat.*

Militia est vita hóminis super terram: & sicut dies mercenárii, dies ejus. Sicut servus desíderat umbram, & sicut mercenárius præstolátur finem óperis sui : sic & ego hábui menses vácuos, & noctes laboriósas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam : Quando consurgam ? rursùm expectábo vésperam, & replébor dolóribus usque ad ténebras. Indúta est caro mea putrédine & sórdibus púlveris ; cutis mea áruit, & contracta est. Dies mei velóciùs transiérunt quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Memento quia ventus est vita mea, & non revertétur óculus meus ut vídeat bona. Nec aspíciet me visus hóminis : óculi tui in me, & non subsistam.

℟. *j.* Quóniam. *pag.* cxxix.

Ex Homília sancti Joannis Chrysóstomi in Acta Apostolórum.

*Seculo* 4.

LECTIO II.

Non frustrà oblatiónes pro defunctis fiunt, non frustrà preces,

non frustrà eleemósynæ. Hæc ómnia spíritus depósuit volens, ut nos mútuum juvémus. Minister clamat pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illórum memóriam fáciunt. Non Diáconus est, qui talem vocem illam emittit, sed Spíritus sanctus. In mánibus est hóstia, & ómnia propósita sunt benè ordináta. Adsunt Angeli, adsunt Archángeli, cum tanto horróre adstant omnes, adstant illi clamantes ómnibus siléntibus, & putas simplíciter hæc fieri. Itaque ne fortúitò hæc fieri putémus. Hæc scientes, considerémus quantas consolatiónes possémus mórtuis pro lácrymis, pro monumentis præstáre, nempe eleemósynas, preces, oratiónes, ut & illi, & nos assequámur promissa bona.

℟. *ij.* Miseréris. *pag.* cxxx.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO III. *Cap.* 8. 1.

*Ab omni damnatione liberi erunt, qui carnem non sequuntur.*

NIhil ergo nunc damnatiónis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ámbulant. Lex enim spíritûs vitæ in Christo Jesu liberávit me à lege peccáti & mortis. Nam quod impossíbile erat legi, in quo infirmabátur per carnem: Deus Fílium suum mittens in similitúdinem carnis peccáti, & de peccáto damnávit peccátum in carne, ut justificátio legis implerétur in nobis, qui non secundùm carnem ambulámus, sed secundùm spíritum. Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sápiunt: qui verò secundùm spíritum sunt, quæ sunt spíritûs, séntiunt. Nam prudéntia carnis, mors est: prudéntia autem spíritûs, vita & pax.

℟. *iij.* Ne tradas. *pag.* cxxx.

FERIA III. ET VI.

*Dicitur II. Nocturnum, ut suprà, pag.* cxxx. *cum sequentibus Lectionibus & Responsoriis.*

De Michæa Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 7. 7.

*In solo Deo Salvatore confidendum.*

EGo ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum Salvatórem meum: áudiet me Deus meus. Ne lætéris, inimíca mea, super me, quia cécidi: consurgam, cùm sédero in ténebris; Dóminus lux mea est. Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei, donec causam

meam júdicet, & fáciat judícium meum: edúcet me in lucem, vidébo justítiam ejus. Et aspíciet inimíca mea, & operiétur confusióne, quæ dicit ad me: Ubi est Dóminus Deus tuus? óculi mei vidébunt in eam: nunc erit in conculcatiónem ut lutum plateárum.

℟. *iv.* Qui dórmiunt. *pag.* cxxxiij.

Ex testamento sancti Ephrem Diáconi Edesséni.

Lectio II. *Anno* 310.

VOlo, fratres mei, commonefácere & adhortári vos, firmiterque constabilíre, ut post meum éxitum ac tránsitum, assíduè memóriam meî in vestris précibus faciátis. Accédite ad me ígitur, fratres mei, & extendentes compónite me: nam spíritus meus pénitùs defécit: & comitámini me in psalmis, atque oratiónibus vestris: & assíduè pro mea pravitáte oblatiónes fácere dignémini: & quando diem trigésimum complévero, meî memóriam faciátis. Mórtui enim, in precatiónibus atque oblatiónibus, commemoratiónis Sanctórum vivéntium benefício afficiúntur.

℟. *ij.* Sancta. *pag.* cxxxiij.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio III. *Cap.* 3. 7.

*Unusquisque pro labore suo mercedem propriam accipiet.*

NEque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Unusquísque autem própriam mercédem accípiet secúndùm suum labórem. Dei enim sumus adjutóres: Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. Secundùm grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architectus fundamentum pósui: álius autem superædíficat; unusquísque autem vídeat quómodo superædíficet.

℟. *iij.* Dómine. *pag.* cxxxiv.

FERIA IV. ET SABBAT.

*Dicitur tertium Nocturnum, ut suprà, p.* cxxxiv. *cum sequentibus Lectionibus & Responsoriis.*

De libro Job.

Lectio I. *Cap.* 16. 17.

*Dolorem suum plangit.*

FAcies mea intúmuit à fletu, & pálpebræ meæ caligavérunt. Hæc passus sum absque iniquitáte manûs meæ, cùm habérem mundas ad Deum preces. Terra, ne opérias

sánguinem meum, neque invéniat in te locum latendi clamor meus. Ecce enim in cœlo testis meus, & cónscius meus in excelsis. Verbósi amíci mei: ad Deum stillat óculus meus. Atque útinam sic judicarétur vir cum Deo, quómodò judicátur filius hóminis cum colléga suo. Ecce enim breves anni tránseunt, & sémitam, per quam non revertar, ámbulo.

℟. *j.* Scio. *p.* cxxxvij.

Ex libro primo Officiórum sancti Isidóri Hispalensis.

LECTIO II. *Cap.* 18.

SAcrificium pro defunctórum fidélium réquie offerri, vel pro eis orári, quia per totum hoc orbem custodítur, crédimus quòd ab ipsis Apóstolis tráditum sit. Hoc enim ubíque cathólica tenet Ecclésia, quæ nisi créderet fidélibus defunctis dimitti peccáta, non pro eórum spirítibus vel eleemósynam fáceret, vel Deo sacrifícium offerret. Nam & cùm Dóminus: Qui peccáverit in Spíritum sanctum, non remittétur ei, neque in hoc século, neque in futúro; demonstrat quibusdam illic dimittenda peccáta, & quodam purgatório igne purganda.

℟. *ij.* Redemptor. *pag.* cxxxvij.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO III. *Cap.* 8. 7.

*Qui suscitavit Jesum, vivificabit & mortalia corpora nostra.*

SApiéntia carnis inimíca est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spíritu: si tamen Spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem Spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mórtuum est propter peccátum, spíritus verò vivit propter justificatiónem. Quòd si Spíritus ejus, qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitat in vobis: qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra, propter inhabitantem Spíritum ejus in vobis.

℟. *iij.* Audi nunc. *pag.* cxxxviij.

*Dicitur tantùm primus Versus, deinde* Réquiem. ¶ Et laudábimus.

COMMENDATIONES.

*Pro pluribus dicuntur in plurali.*

℟. MIserēris ómnium, Dómine,

mine, quia ómnia potes; & dissímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: nihil odísti eórum quæ fecísti: * Parcis ómnibus; quóniam tua sunt, Dñe, qui amas ánimas. *Sap.* 11. 24. 25. 27.
℣. Quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti. *Joan.* 11. 27. * Parcis.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Clarâ voce*, Et ne nos indúcas.

TIbi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui *N.* ut defunctus [ *vel* fámulæ tuæ *N.* ut defuncta ] século, tibi vivat: & quæ per fragilitátem mundánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

MIsericórdiam tuam, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis affectu rogáre pro áliis cógimur, qui pro nostris rogáre peccátis nequáquam sufficimus; tamen de tua confísi gratúitâ pietáte & inólitâ benignitáte, clementiam tuam depóscimus, ut ánimam * fámuli tui [ *vel* fámulæ tuæ ] ad te revertentem, cum pietáte suscípias: adsit ei Angelus testamenti tui Míchaël, & per manus sanctórum Angelórum tuórum inter sanctos & electos tuos in sínibus Abrahæ, Isaac & Jacob Patriarchárum tuórum, eam collocáre dignéris, quátenus liberáta de princípibus tenebrárum & de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis, vel ignorántiæ, aut própriæ iniquitátis seu fragilitátis confundátur erróribus; sed agnoscátur à Sanctis tuis, & beatitúdinis réquie perfruátur: atque cùm magni judícii dies advénerit, inter sanctos & electos tuos * resuscitátus [ *vel* resuscitáta ] glóriâ manifestæ contemplatiónis tuæ perpétuò satiétur; Per Christum Dóminum nostrũ. ℟. Amen.

*In Psalm.* In éxitu. 31. *in cujus fine dicitur* Réquiem.

*Ant.* 7. *f.* Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; adjútor eórum & protector eórum est. *Ps.* 113. 11.

Orémus.

OMnípotens sempitérne Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es: dum, te jubente, pulvis in pul-

verem revértitur; tu imáginem tuam cum sanctis & electis tuis æternis sédibus præcípias sociári; eamque ad te revertentem de Ægypti pártibus, blandè leniterque suscípias, & Angelos tuos sanctos ei óbviam mittas; viamque illi justítiæ demonstra, & portas glóriæ tuæ áperi. Repelle, quæsumus, Dómine, ab ea omnes príncipes tenebrárum, & agnosce depósitum fidéle quod tuum est. Súscipe, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo & vero; quia non est álius Deus præter te, Dómine, & non est secundùm ópera tua. Lætífica, clementíssime Pater, ánimam ejus, & clarífica eam in multitúdine misericórdiæ tuæ. Ne memíneris, quæsumus, iniquitátum ejus antiquárum quas suscitávit furor mali desidérii: licèt enim peccáverit, tamen te non negávit; sed signo fídei insigníta, te qui ómnia, & eam inter ómnia fecisti, fidéliter adorávit; Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

*In Ps.* Dilexi. 55. Crédidi. 117. Laudáte Dóminum, omnes gentes. 152. Confitémini. 16. *&* Beáti immaculáti. 17. *integrè.*

*Antiph. sola* 8. G. Circumdedérunt me dolóres mortis, & pericula inferni invenérunt me. O Dómine, líbera ánimam meam. *Ps.* 114. 3. 4.

Orémus.

Diri vúlneris novitáte perculsi, & quodámmodo córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redemptor, flebílibus vócibus implorámus; ut * cari nostri N. [ *vel* caræ nostræ N. ] ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, revertentem blandè leniterque suscipias; & quas ex carnáli commoratióne contraxit máculas, tu, Deus, inólitâ bonitáte clementer déleas, *Chorus*, Amen: Piè indúlgeas, *Chorus*, Amen: Oblivióni in perpétuum tradas, *Chorus*, Amen: Atque hanc laudem tibi cum cæteris redditúram, & ad corpus próprium quandóque reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre & Spíritu sancto vivis & regnas, Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

Pater, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Requiem æternam

dona ei, Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Anima ejus in bonis demorétur, ℟. Et semen ejus hæréditet terram. *Ps.* 24. 13.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo [*vel* ancilla tua, ] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142. 2.

℣. A porta ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimam ejus. *Ps.* 88. 49.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

PArtem beátæ resurrectiónis obtíneat, quæsumus, Dómine, ánima * fámuli tui [ *vel* fámulæ tuæ *N.* ] vitamque ætérnam habére mereátur in cœlis, per te, Jesu Christe, Salvátor mundi.

DEus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem; præsta, quæsumus, ut ánima * fámuli tui [ *vel* fámulæ tuæ *N.* ] terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

℟. Amen.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

## BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM.

BEnedícite. ℟. Dñs. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; & tu das illis escam in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144. 15. 16.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat, &c. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

*Secretò*, Pater. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Orémus.

BEnedic, Dómine, dona † tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

*Si fiat Lectio, Lector dicit*: Jube, domne, benedícere.

*Bened.* Mensæ cœlestis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

*In fine Lectionis, dicitur*: Tu autem, Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO post Prandium.

CONfiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, & Sancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10. Glória Patri, &c.

*Qui benedixit menſam, dicit:*

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univerſis beneficiis tuis; Qui vivis & regnas in ſǽcula ſæculórum.

℟. Amen.

*Deinde procedendo ad Eccleſiam, dicitur Pſal.* Miſerére. 164. *Si verò non procedatur, dicitur Pſ.* Laudáte Dóminum, omnes gentes. 153. *Qui Pſalmus ſemper dicitur quando abſolvitur Gratiarum actio in loco refectionis.*

*In fine Pſalm. dicitur* Glória Patri. *deinde* Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Diſperſit, dedit paupéribus; ℟. Juſtítia ejus manet in ſǽculum ſǽculi. *Pſ.* 111. 9.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Pſ.* 33. 2.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea; ℟. Audiant manſuéti, & lætentur. *Pſ.* 33. 3.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipſum. *Pſ.* 33. 4.

℣. Sit nomen Dómini benedictum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſǽculum. *Pſ.* 112, 2.

REtribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen ſanctum tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

Benedicámus Dómino.

*Secretò*, Et fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ante Cœnam.

BEnedícite. ℟. Dñs. Edent páuperes & ſaturabuntur; & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: vivent corda eórum in ſǽculum ſǽculi. *Pſ.* 21. 27. Glória Patri, &c. Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. *Secretò*, Pater noſter. *Clarâ voce*, Et ne nos, &c.

Orémus.

BEnedic, Dómine, dona † tua quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum.

℟. Amen.

*Ad Lect. Bened.* Ad cœnam perpétuæ vitæ per-

dúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO post Cœnam.

MEmóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. 4.
Glória Patri & Fílio & Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio & nunc & semper, &c.

*Qui benedixit mensam dicit:*

BEnedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit & regnat in sécula séculorum. ℟. Amen.

*Psal. & reliqua, ut suprà*, cxlviij.

IN JEJUNIIS, *ad refectionem, fit Benedictio mensæ & Gratiarum actio, ut notatum est pro Cœna.*

# ITINERARIUM.

*Viator in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari; si cum sociis, in plurali, ut sequitur.*

*In Cant.* Benedíctus. 14.

*Ant.* 5. C. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos omnípotens & miséricors Dóminus: & Angelus Ráphaël comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte & gáudio revertámur ad própria. *Tob.* 4. & 5.

PRECES.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater. *Secretò, usque ad* ℣. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperantes in te. *Ps.* 85. 2.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Ps.* 19. 3.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Psal.* 60. 4.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis, ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88. 23.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie: ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67. 20.

℣. Vias tuas, Dómine, demonstra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Ps.* 24. 4.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas! *Ps.* 118. 5.

℣. Erunt prava in dirécta, ℟. Et áspera in vias planas. *Is.* 40. 4.

℣. Angelis suis Deus

mandávit de te, ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90. 11.

℣. Dómine, exaudi, &c.

Orémus.

DEus, qui filios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecisti, quique Magis iter ad te, stellâ duce, pandisti: tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum tempusque tranquillum; ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum pervenire felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodisti; quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine, in procinctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia & frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, próspere perveniámus, & demum incólumes ad própria redeámus.

ADesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris, & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; & beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus cum pace in nómine Dómini.

℟. Amen.

# PRÆPARATIO AD MISSAM,

## AD LIBITUM SACERDOTIS.

*Psalmi*, Quàm dilecta. 113. Benedixisti. 64. Inclína, Dómine, *cum sua divis.* 164. Crédidi, 117. De profundis clamávi ad te, Dómine, 98.

*Ant.* Dómine, memor esto meî; & ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

PRECES.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, &c.
℣. Et ne nos, &c.
℣. Ego dixi, Dómine, miserére meî; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40. 5.
℣. Convértere, Dómine, úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto, super servos tuos. *Ps.* 89. 13.
℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Psal.* 32. 22.
℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exultent. *Psal.* 131. 9.
℣. Ab occultis meis munda me, Dómine, ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Psal.* 18. 13. 14.
℣. Dómine, exaudi, &c.

Orémus.

AUres tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, & grátiâ sancti Spiritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis dignè ministráre, teque æternâ charitáte diligere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas lóquitur, & quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem sancti Spiritûs cogitatiónes cordis nostri; ut te perfectè diligere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros, & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet, & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Filius, veritátem.

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs sancti; quæ & corda nostra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur adversis.

DEus, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuisti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére.

COnsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica, ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Filius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem; Qui tecum vivit & regnat Deus. ℟. Amen.

# GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

*Canticum.* Benedícite. 12. *Ps.* Laudáte Dóminum in sanctis ejus. 67.

*Ant.* Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: laudáte & superexaltáte eum in sæcula. *Dan.* 3. 84.

PRECES.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, &c. Et ne nos, &c.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Psal.* 144. 10.

℣. Exultábunt sancti in glória: ℟. Lætabuntur in cubílibus suis. *Psal.* 149. 5.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113. 1.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

Orémus.

DEus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium; concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, & adjuvando proséquere: ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæsumus, Dómine, vitiórum nostrórum flammas extínguere; qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.



# INDEX PSALMORUM.



g v

*Index Canticorum Psalterii.*

FINIS.

*Sequuntur terminationes incompletæ de primo modo.*

f. vel f.

e u o u a e.

g. e u o u a e. g. e u o u a e.

a. vel a.

e u o u a e.

## II. Modus in A.

A

Nunc di- mittis ſervum tuum, Domine:


ſe- cundùm verbum tu-um in pa- ce.

e u o u a e.


## II. Modus in D.

Di- xit Do-mi-nus Domi- no me- o.

Bene-di- ctus Dominus De- us Iſ- ra-ël.
Et e- re- xit cornu ſa- lu- tis no- bis.




. Facta est Ju-dæ- a sancti- fi- ca- ti- o




e- jus : Ad-ji-ci- at Domi- nus super vos.

*Clavis ut plurimum sic transponitur.*




Glo-ri-a Patri, & Fi-li-o.




Magni-ficat a- nima. secu-lorum. Amen.

e u o u, A e.


## *I. Modus in* D.



Di-xit Dominus Domino me-o *vel* me-o :




Sede à dextris me- is. seculorum. A-men.




Magni- fi-cat. e u o u a e.

*Sequens terminatio, licèt completa, designatur per numerum,* J. *caudatum.*




Spi- ri- tu- i sancto.


*Sequuntur terminationes incompletæ de primo modo.*




e u o u a e.





e u o u a e. e u o u a e.





e u o u a e.


## II. *Modus in* A.




Nunc di- mittis servum tuum, Domine:




se- cundùm verbum tu- um in pa- ce.




e u o u a e.


## II. *Modus in* D.



Di- xit Do-mi-nus Domi- no me- o.




Bene-di- ctus Dominus De- us Is- ra-ël.
Et e- re- xit cornu sa- lu- tis no- bis.




Magni- ficat a-nima me-a Do-minum.


## *III. Modus.*




Di-xit Domi-nus Domi-no me-o :




Se- de à dextris me- is.




e u o u a e.

*vel* 


e u o u a e.

a. 
*vel a.*

e u o u a e.

*vel* 


e u o u a e.

à. 

e u o u a e.

g.


e u o u a e.

b. 


e u o u a e.

c.

e u o u a e.




Bene- dictus Dominus De- us Iſ-ra- ël.




Magni- fi-cat.


## *IV. Modus in* E.




Be- a- tus vir qui ti- met Do-




mi- num: in manda- tis e-jus vo- let




ni- mis. ſe- cu- lo- rum. A- men.

E. 


e u o u a e.

E. 


e u o u a e.

D. 

e u o u a e.


f. 


e u o u a e.

a. 


e u o u a e.


## *Alia species IV. Modi.*









*In Canticis Evangelicis.*









## *V. Modus.*








*Sed clavis vulgò sic transponitur.*







Se-de à dex-tris me-is.



Spi-ri-tu-i ſanĉto. e u o u a e.




Be-ne-dictus Dominus De-us Iſ-ra-ël.




Magni- fi- cat.

## *VI. Modus.*


F



Lauda- te, pu-e-ri, Domi-num: laudate




nomen Domi- ni. Spi- ri- tu- i ſanĉto.




e u o u a e. Magni- fi- cat.


*In* C. *verò ſic vulgò notatur cum* b *molli.*




Nunc di-mittis ſervum tuum, Domine:






*Aut ſine* b *molli.*





## *VII. Modus.*









*in* a.





b.





c.





d.



d.




e u o u a e.



Be-ne- dictus Dominus De- us If- ra- ël.


quod lo- cu- tus fum.

qui potens eft.




Magni- fi- cat.

## *VIII. Modus.*




Lauda- te pu-e- ri Dominum: lauda- te




nomen Domi- ni.

G




e u o u a e.

*G.*




e u o u a e.


c.




e u o u a e.



Be- ne- di- ctus Do- mi- nus De- us




Iſ- ra- ël.





Magni- fi- çat a- nima.


*Neumata quæ in fine quarumdam Antiphonarum cantantur juxta uſum locorum, maximè in Solemnitatibus.*


## *I. Modus.*












5.


6.


7.


8.





